EPHEMERIDES

ISAACI CASAUBONI

CUM

PRÆFATIONE ET NOTIS

EDENTE

JOHANNE RUSSELL S. T. P.

CANONICO CANTUARIENSI

SCHOLÆ CARTHUSIANÆ OLIM ARCHIDIDASCALO.

TOMUS I.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO ACADEMICO.

M.DCCC.L.

PRÆFATIO.

EPHEMERIDAS, quas Isaacus Casaubonus manu sua scripsit, Mericum filium ejus, postquam patris sui memoriam pluribus earum locis in testimonium advocatis contra inimicos vindicaverat, bibliothecæ Ecclesiæ Cantuariensis, in qua uterque, et Isaacus et Mericus, fuit Præbendarius, anno salutis 1671 morientem consignasse credibile est. Earum partem aliquam Joannes Batteleius, Præbendarius olim et Archidiaconus Cantuariensis, cum Theodoro Jansonio ab Almeloveen communicavit, Isaaci Casauboni vitam, collectasque ejus et Merici epistolas, cum utriusque dedicationibus et aliis opusculis Roterodami edente a. 1709. Integras denique manu mea transcriptas dignas censuerunt typographei Academici Delegati quas suo sumptu imprimendas curarent.

Isaacus quidem Casaubonus quantus vir fuerit, quantaque laude dignus, marmor in honorem

mortui octodecim post annos in Æde Westmonasteriensi positum inscripto titulo testatur.

ISAACUS CASAUBONUS

(O doctiorum quicquid est assurgite
Huic tam colendo nomini)

QUEM GALLIA REIP. LITERARIÆ BONO PEPERIT
HENRICUS IV FRANCORUM REX INVICTISSIMUS
LUTETIAM LITERIS SUIS EVOCATUM BIBLIOTHECÆ
SUÆ PRÆFECIT CHARUMQUE DEINCEPS DUM
VIXIT HABUIT EOQUE TERRIS EREPTO JACOBUS
MAG. BRIT. MONARCHA REGUM DOCTISSIMUS
DOCTIS INDULGENTISS. IN ANGLIAM ACCIVIT [ET]
MUNIFICE FOVIT POSTERITASQUE OB DOCTRINAM
ÆTERNUM MIRABITUR
H. S. E. INVIDIA MAJOR
OBIIT ÆTERNAM IN CHRISTO VITAM ANHELANS
KAL. JUL. CIƆ IƆ CXIV ÆTAT. LV
VIRO OPT. IMMORTALITATE DIGNISS.
THOM. MORTONUS EP. DUNELMENS.
JUCUNDISSIMÆ QUOAD FRUI
LICUIT CONSUETUDINIS MEMOR PR. S. P. CU.
CIƆ IƆ CXXXI

Qui nosse vult Casaubonum
Non saxa sed chartas legat
Superfuturas marmori
Et profuturas posteris.

Qualis ille, quo animo, qua religione, qua pietate fuerit, ipsa hominis verba satis diligenter quotidie scripta, atque, omisso annorum trium et sex mensium spatio, a Kal. nempe Jan. 1604 ad 12 Kal. Aug. 1607, deest enim, proh dolor! fasciculus quartus, ab anno 1597 ad decimum

sextum ante obitum ejus diem continuata declarabunt.

Ante inchoatas Ephemeridas ubi vixerit, ut appareat, pauca præfari visum est ex ipsius scriptis partim sumpta, partim ex iis quæ Mericus in "Pietate sua contra maledicos" ab Almeloveenio edita de patre suo tradidit.

Isaacus igitur Casaubonus natus est anno salutis 1559, Februarii die decimo octavo, Genevæ, quo pater ejus Arnaldus Casaubonus cum uxore Johanna Rousseau metu "vivicomburii" propter religionem ex Aquitania confugerat. In Galliam relatus 1561 bimulus puer, Chrestæ in Delphinatu educatus est a patre, quem Geneva accitum reformata apud Chrestenses ecclesia pastorem habuit: atque Latine ante annum ætatis nonum scribebat emendate et expedite loquebatur: sed quum pater abesset domo triennium, navans operam ecclesiæ necessariam, tantum dedidicit, ut, duodecimum agens annum, proprium suum nomen vix posset declinare. Reverso patre, eodem præceptore ab ipsis literarum fundamentis perductus est ad elementa linguæ Græcæ, non sine multis sane remoris, atque impedimentis, sub istam præcipue anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi, quam nuncupat, lanienam, quum puer parentem per montes ac sylvas aliquandiu comitaretur. Sed anno ætatis decimo

nono (1578) Genevam missus studiorum caussa, Theodoro Beza primas tenente apud Genevenses, literis adeo se dedidit, quantum poterat dies noctesque contendens, ut post quinque annos (1583) nemo videretur dignior, qui in locum Francisci Porti Cretensis succederet. Genevæ igitur vixit annos quatuordecim, Professor literarum primo Græcarum, deinde etiam Latinarum, aliquando etiam Hebraicarum, juventutem suam, ut ipse ait, exigens bonis artibus discendis, et omnis generis auctoribus diurna nocturnaque manu pervolutandis.

Primo nempe professionis anno 1583 publicavit notas in Diogenem Laertium horis succisivis scriptas, atque patri Arnaldo dedicavit. Sed "venerandus parens meus, quum ego illi notas in Diogenem Laertium offerrem, et de meis inceptis ad rem literariam promovendam multa juvenili more narrarem, respondit mihi, laudare se quidem propositum meum, καὶ τὴν πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμὴν, cæterum pluris se vel unicam observationem facturum ad libros sacros pertinentem, quam illa omnia quorum spem illi feceram. Hæret animo meo penitus infixa viri optimi vox illa, semperque ex illo tempore θεῖα μελετᾶν sum conatus." Illud vero observandum est notas illas quæ in editione prima Genevensi nomina Isaaci Hortiboni (priore scilicet vocis parte *Cas* in Lati-

num versa) et Arnaldi Hortiboni præ se ferunt, in altera ab Henrico Stephano procurata Isaaci Casauboni et Arnaldi Casauboni exhibere.

1584. Misit ad Henricum Stephanum lectionum Theocriticarum libellum Eustathii Vignonis typographi Genevensis rogatu scriptum.

Tertium, (qui est Merici ordo,) publicavit Notas in Evangelia et Acta Apostolorum; atque extat Præfatio ejus "præmissa notis in quosdam Novi Testamenti locos." Novum Fœdus cum notis illis Raphelengius anno 1600 ad Francofurdienses nundinas inconsulto atque reclamante Casaubono pollicitus est.

1586. Arnaldus Pater ejus "Diæ Vocontiorum in Delphinatu Kalendis Januariis in morbum incidit. Mensem integrum ægrotavit. Kalendis Februariis animam Deo Creatori placide reddidit. Elatus est humeris honestissimorum civium. Deduxerunt funus cives omnes, et Gallicæ nobilitatis ejus provinciæ pars magna."

Johanna mater ejus, jam vidua, Burdigalam in Delphinatu habitatum concessit.

Tum vero Isaacus Florentiam, Henrici Stephani typographi celeberrimi filiam, uxorem duxit; de quo in prima ἐφημερίδων pagina hoc scriptum reliquit. "Anno 1586, mense Aprili exeunte, die 28, veteri supputatione, ego et Florentia Stephana Henrici F. matrimonio juncti sumus in eccle-

sia Dei, Genevæ, templo Petri. Deus benedicat porro, ut fecit hactenus, pro sua infinita benignitate."

1587. Strabonem edidit, quem partim sponte sua, partim patris hortatu, unice amare et admirari cœperat jam ab illo tempore quo vix ab ephebis excesserat, deditque e Musæo suo Jacobo Lectio, viro Patricio et clarissimo doctissimoque Jurisconsulto, emendatum e MSS. cum commentariis.

1588. Dionysium Halicarnasseum edentibus Henrico Stephano et Eustathio Vignoni adjecit animadversiones suas quibus præfixa est Præfatio data Nonis Augusti.

Polyænum edidit primus Græce, cum Vulteiana in Latinum sermonem versione a Johanne Tornæsio typis eam mandante emendata, atque commendavit patrocinio Philippi Mornaii Plessiaci Domini, "unici pæne," ut aiebat, "ex omni nobilitate Gallica, qui studia Musarum cum Marte serio conjunxit, quique studia sua non ad oblectationem animi tantum sed ad gravissimarum rerum scientiam, et ad scrutanda religionis mysteria retulit."

1590. Aristotelis scripta quæ tum edebantur Genevæ recensuit, collatisque codicibus non pauca restituit. "Quod opus quum ad umbilicum esset perductum" scribit ipse, "incessit me voluntas

visendæ Germaniæ, et nundinarum imprimis Francofurtensium. Itaque sine ulla mora itineri me statim accinxi."

1592. Theophrasti Characteras edens dedicavit Nicolao Brulardo a Sileri, Henrici IV in sacro consistorio Consiliario et apud Helvetios Rhætosque Legato.

1594. Apuleii Apologiam cum notis edidit dedicatam Josepho Scaligero, quem fores amicitiæ obnixe sibi petenti benigne jam aperuisse epistola ad eum cum ipso libello, ut videtur, missa, gratus confitetur.

1595. Suetonium, in quo multus fuerat, et cujus secundum librum in Schola Genevensi ante triennium publice explicuerat, jam tandem editum dedicavit Philippo Canaio Fraxineti et Monticuli Domino, sanctioris consistorii Regni Consiliario, Germaniæ Exlegato, et in supremo Occitaniæ senatu Præsidi, qui edendi ejus auctor ipse fuerat et suasor.

Sub ejusdem anni finem "tota," ut ait, "in Galliis mens erat," quo ad visendam matrem excurrit, necessitate quadam sibi imposita, atque ad negotia quædam Burdigalæ conficienda.

1596. Appendiculam animadversionum in Suetonium, hanc etiam Canaio dedicatam, atque ipsum Suetonium forma minore excudendum curavit.

His vero editis totus fuit in Athenæo.

Sed Canaius illum serio jam et sæpe hortabatur ut Geneva relicta veniret Monspelium, "ubi," ait Casaubonus ad Bongarsium scribens (Ep. 45) 1596 19 Kal. Jan., "etsi in præsens non usque adeo lauta offertur conditio, spes tamen certa ostenditur meliorum, et, ut ejus (*Canaii*) verbis utar, ille futurus est infimus fortunæ meæ gradus in Gallia, unde ad uberiorem et luculentiorem conditionem transitus brevi possit sperari, habere me in Galliis copiam amicorum, qui me ament, qui studiis meis cupiant consultum: posse aliquam rationem inveniri, qua otium illud τριπόθητον quod tam diu sitio, otium studiorum optimum coagulum consequar." Addens postremo, "hic (*Genevæ*) posito mihi omnem etiam spem rerum lætiorum esse præcisam. Unde enim illa effulgeat? Cui non nota et cognita nostræ Reipublicæ non paupertas, sed egestas? Et tamen sunt alia quoque non pauca quæ vetent ab iis qui hic clavum tenent, λόγου quicquam ἄξιον sperare."

Scripsit ad illum et Nemausensis civitas, operam illius in restauranda Academia sua exposcens.

Annum autem Genevæ necessario agens, id enim se facturum Senatui Genevensi pollicitus erat, incertus de migratione sua scripsit Ep. 54, ad Josephum Scaligerum 1596 Id. Mart. "Mihi ea conditio multis de caussis nondum probari potuit.

Sum enim otii amantissimus, neque aliud a Deo Opt. Max. exopto, quam ut in alta et profunda quiete quod superest vitæ exigere possim, et simul charissimis pignoribus meis consulere, non ut divitias illis congeram: abest a me ὡς πορρωτάτω illa cura: sed ut olim post funus nostrum sit unde honeste et liberaliter educari possint. Tu, vir summe, qui nostrorum Gallorum ἴδες ἄστεα καὶ νόον ἔγνως, quid suades? Stabo enim libentissime etiam in his rebus judicio tuo. Magnam quidem benevolentiam erga nos duabus legationibus Monspelienses ostenderunt. Conditio tamen non adeo lauta aureorum ducentorum cum ædibus et nescio quibus aliis rebus. Noster hic senatus, ni deessent nervi non belli tantum, sed omnium fere rerum, facile illos in hac contentione superaverit: nunc in angustissimum locum redactæ sunt res hic nostræ publicæ."

Tandem XIII. Kal. Dec. senatus Genevensis ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ missionem concessit Casaubono, qui Monspelium ante Kal. Jan. cum uxore et tribus liberis, Philippa octavum jam agente annum, septimum Johanne, Elizabetha secundum, itineris difficultatibus propter anni tempus non mediocribus nec minoribus periculis superatis pervenit salvus et incolumis.

Hæc vero ad Lectium, quem Genevæ reliquerat, pr. Kal. Jan. scripsit Ep. 112. "Monspelium tan-

dem, Lecti sapientissime, pervenimus; ubi quam amanter, quam honorifice fuerimus accepti, propterea narrare supersedeo, quia vereor ne si omnia sigillatim tibi recensere instituam, tu me putes isto nimis honore gaudere, quo me plane indignum agnosco et fateor. Nihil enim prætermissum est ad ingentis cujusdam publicæ lætitiæ significationem. Breviter omnibus modis superatæ sunt hactenus spes nostræ: ac nisi vis major obstiterit, nullus dubito facturos Monspelienses omnia, quo me consilii pœnitere nunquam possit. Id vero in Dei unius ter Optimi ter Maximi voluntate et manu situm. Illum veneror supplex fingat me eorum studiis utilem, qui tanta cum cupiditate meam expetierunt operam. Nos quidem publice de superiore loco vocem nullam adhuc misimus. Sed me omnes amici de successu professionis nostræ jubent sperare quam optime: esse enim in hac urbe et studiosæ juventutis non exiguum numerum, et virorum etiam qui publicis muneribus fungantur, aut qui reis patrocinium suum accommodent, nostrarum literarum percupidorum."

1597. Sed ægrotare cœperat. Nam hæc ad Scaligerum scribebat 14 Kal. Feb. Ep. 117. "Novus hic annus quæ secum fata velit Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Principium quidem non nimis lætum ob distillationem in τραχεῖαν ἀρτηρίαν atque interiora

veterem et oppido contumacem. Vexavit me is morbus per hos dies vehementissime, nunc Dei beneficio habebam meliuscule, et iter ad sanitatem videmur ingressi. Itaque licet semiægri audemus Casseronem ad amplissimum Præsidem a Fraxinis media anni hyeme, perque obscœnissimas tempestates profectionem suscipere. Inde simul reversi cum Deo fuerimus, conabimur cum Musis, quas pridem ne salutavimus quidem, in gratiam redire."

Profectus ergo est Casseronem, unde reversus post idus jam Februarias munus suum apud Monspelienses obire cœpit, et quater in hebdomade suggestum conscendere.

Tum demum inchoatæ sunt Ephemerides, quæ vitam illius veluti in tabula descriptam exhibent. Quum autem in iis nonnulla hisce temporibus obscuriora videantur, non abs re fore putavi, si subsidia explicandi alicunde peterem. Id quod factum est evolvendis epistolis ab Almeloveenio editis, necnon aliis nondum editis quæ in Museo Britannico adservantur, unde haud pauca excerpsi, lectoribus, ut spero, profutura.

Joannis Hume Spry S. T. P. Canonici Cantuariensis amicitiæ id debeo, quod utor exemplari sylloges Almeloveenianæ: humanitati illorum, qui in Museo Britannico manuscriptos codices legentibus adsunt, quod multos scribentium nodos

explicare potui; est et quod debeo benignitati Ricardi Thomson qui summa cum fide Instituti Londinensis bibliothecæ præest.

Quod superest, minime mirandum est si aliquoties in describendis hisce viri magni reliquiis et ad prelum parandis aliquando erraverim: ea est enim chirographi Casauboniani indoles, tot litterarum nexibus et scribendi compendiis abundans, ut non nisi conjectura aliquando, quid auctor voluerit, assequi potuerim.

J. R.

7 Kal. Oct. 1849.

ISAACI CASAUBONI

ΕΦΗΜΕΡΙΔΕΣ.

Σὺν Θεῷ ἁγίῳ.

CUM sit πάντων πολυτελέστατον ἀνάλωμα τὸ τοῦ χρόνου, vereque dixerit Stoicus Latinus unius rei honestam avaritiam esse, temporis: quo mihi constaret ratio tam pretiosæ rei, nec sera pœnitudo unquam invaderet, hanc ἐφημερίδα et totius mei temporis rationarium istud visum instituere, ut et bene collocato gauderem, ac Deo Opt. Max. gratias agerem; et siquid, nihil, aut aliud agenti periisset, id quoque scirem, et meam infelicitatem aut imprudentiam agnoscerem. Te nunc veneror, Deus Opt. Max. quantumcunque est, quod mihi adhuc necdum actæ vitæ superest, totum id πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ ad te magis magisque cognoscendum, te colendum impensius, tuam gloriam promovendam, et rem literariam adjuvandam, necnon ad meam et omnium meorum salutem procurandam, assidue conferam.

Igitur quod Deus ὁ πανтάριστος καὶ πανελεήμων

vertat bene, ineuntis anni mei XXXIX. dies primus qui erat Februarii XVIII. anni ἀπὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐνσαρκώσεως CIↃ IↃXCVII. is inquam dies sic est transactus.

Februarii XVIII. Surreximus hora ὡσεὶ quinta, aut non multo post: dein pro more pexo capillo, museum ingressi, Deum supplici prece venerati, ad horam fere decimam lectione Suidæ occupati fuimus. A prandio ad horam quartam ad ἀκρόασιν imminentem nos paravimus; quarta docuimus. Mox cœnati, non multo post prece iterum venerati Deum ter Max. ter Opt. cubitum nos contulimus. Per id tempus die nempe eodem aut priore memores Demosthenem non sine caussa toties Thucydidem manu sua descripsisse librum unum e sacris literis Hebraicis describere cepimus. Is erat Estheræ liber.

Senec. Ep. 48. *Etiam si nullum superesset ætatis, parce tamen dispensandum erat ut sufficeret necessariis.*

Ep. 88. *Nunc cogita quantum temporis tibi auferat mala valetudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio privata, quantum occupatio quotidiana, quantum somnus: metire ætatem tuam, tam multa non capit.*

Ep. 117. *Non tam benignum ac liberale tempus,* etc. Totus eleg.

Beatus Dorotheus Doctrina IIII. *Affirmaverunt Patres communi sententia possidere eum timorem Dei qui mortis crebro et gehennæ reminiscitur: quique vespere a seipso rationem exigit quemadmodum die ambulaverit, mane similiter quo pacto noctem transegerit.* Biblioth. T. 3.

Idem Doctrina X. in princip. *Curemus nosipsos dilectissimi, inviligemus. Quis enim nobis amissum tempus resti-*

tuet? Quæsiti a nobis dies hi nusquam invenientur. Abbatem Arsenium solitum aiunt sibi ipsi semper dicere, Arseni, ad quid venisti?

Scripsit Dorotheus hic Doctrinas XXIIII. sic vocat suas vel διαλέξεις vel ὁμιλίας. Non vulgaris eruditio illius, præter pietatem singularem; habetur tomo 3. bibliothecæ patrum ex interpretatione Hilarionis antiqui monachi. Tituli hujusmodi sunt. 1. De renuntiatione. 2. De humilitate. 3. De conscientia. 4. De divino timore. 5. Non debere quenquam suæ prudentiæ confidere. 6. Ne proximum judicetis. 7. De accusatione suiipsius. 8. De simultate. 9. De mendacio. 10. *Ut ad certum scopum et sobrietatem dirigamur*, etc.

Solet interserere dicta Patrum ut in XI. *Recte aiebat sentiebatque Abbas Nischeron, Qui raperetur a passione fieri servum passionis.* XIIII. est De ædificio et harmonia virtutum animæ. XV. est de jejunio sancto, et pandit mysteria quadragesimæ, et pentecostæ, etc. cur genua in Ecclesia non flecterent per sanctam omnem Pentecosten. Hoc idem fuse explicat quid λαιμαργία et γαστριμαργία, illud esse *friandise* hoc *gourmandise*. XVI. est ad quosdam celliotas etc. XVIII. ad eum qui penum administrat. XXII. et XXIII. continent expositionem aliquot dictorum Greg. Nazianz. quæ cantantur per modulos in Ecclesia. XXIV. est De compositione monachi, continens moralia præcepta etiam minutissimarum rerum.

Feb. XIX. Post preces in museo Philostrati εἰκόνας et Vigenerium volutavimus a sexta fere ad octavam: inde ad concionem et sacram σύναξιν adivimus. A prandio amicos invisimus G. Ranchinum et Gigantium. Ita maxima pars diei elapsa. Reversi lectionem Basilii sumus aggressi. A cœna ista scribere primum instituimus. Preces inde et quies.

Feb. XX. A quinta (heu quam sero) surreximus: ac statim museum ingressi, Dei implorata ope, cum Basilio fuimus, et divini viri ἑστιάσεσι animum pavimus magna cum animi voluptate. A prandio ad quintam lectio et παρασκευὴ ad lectionem. Cœna dein studiorum et valetudinis caussa spreta, lenique et levi cibo sumpto iterum cum Basilio fuimus. Preces inde et quies.

Feb. XXI. Cum a quinta surrexissem, abductus ad paranda quædam per urbem negotia, vix post septimam, proh dolor, museum ingressus, Deum precatus, Basilio impendi quod supererat ad prandium temporis. Inde ad lectionem nos paravimus, quanquam frustra, neque enim docuimus. Ita reliquum temporis Basilio datum, cœnæ, lecto post preces ad Deum.

Feb. XXII. A quinta surreximus: museum ingressi, et Deum Opt. Max. venerati, Basilio nos dedimus. Amici a prandio nos habuere occupatos; a cœna preces; lectus.

Feb. XXIII. Ante quintam e lecto: a quinta ad stationem rediimus: et exorata Dei venia, quia dies erat Dominicus, ex more divinis studiis vacaturi in Hebraicis ad concionem nos exercuimus. A prandio iterum concionem adiimus, et temporis reliquum literis Hebraicis et Basilio impendimus: cœna inde, colloquia amicorum, et quies post preces.

Feb. XXIV. A quarta surreximus, museumque ingressi ac Deum precibus venerati, Basilii lec-

tionem repetiimus, inque eo fuimus, donec abducti, ah miseri, ad negotia quædam fuimus. Non multo tamen post ad Basilium iterum reversi, cum alia illius, tum a prandio orationes *περὶ νηστείας* legimus elegantissimas, sanctissimas et eo viro dignissimas. Itaque ergo ne sine fructu eas legerimus, hodie *τὸ λοιπὸν τῆς ἡμέρας* genium defraudare et sacris meditationibus a lectione nos occupare constituimus, et fecimus Dei beneficio utcunque ad decimam fere. Tum preces et quies.

Feb. XXV. A quinta et precibus Basilius nos habuit. A prandio docuimus, et mox ad *τὰ ἐγκύκλια* rediimus, ad multam sic satis noctem. Tum preces ac lectus.

Feb. XXVI. Ante quintam stationem ingressi ac Deum venerati oratione, Basilio vacavimus ad octavam. Inde ad prandium aliis curis vel inviti vacavimus. A prandio amici nos habuere; tandem Basilius. Cœna, Basilius, preces, quies.

Feb. XXVII. Mane Basilius. A prandio meditatio lectionis, lectio; dein tenuis cibus, Basilius, *τὰ ἐγκύκλια.*

Feb. XXVIII. Preces mane statim et Basilius. A prandio ad docendum nos paravimus. Docuimus. Cœnati, qua amicis, qua Basilio vacavimus ad preces et quietem.

Kal. Martiæ : Hic dies, præter quam quod literas accepi a pia matre, cætera periit mihi infelicissime. Vix otium ad matutinas et vespertinas *εὐχάς* : vix Basilium salutavi.

Mar. II. Et hic literis scribendis consumtus fere dies: mane tamen concio post preces. A prandio amici nos habuere et aliquantulum Basilius καὶ τὰ Ἑβραϊκα.

Mar. III. Mane τὰ ἐγκύκλια. Basilius ad prandium. A prandio cum ad lectionem nos parare incipimus, rapimur inviti et abducimur ad nugas. Tandem docemus qua potuimus fide: et de crastina luce cogitare incipimus.

Mar. IV. Mane τὰ ἐγκύκλια. Meditatio lectionis ante prandium, quia totum a prandio tempus erat periturum.

Mar. V. Mane preces, Basilius, concio cum propositione quæ eo die habita. A prandio amici, negotia, tandem levis cœna, Basilius, τὰ ἐγκύκλια.

Mar. VI. Mane literæ scribendæ: preces dein et ad prandium Basilius. A prandio lectio, Basilius, τὰ ἐγκύκλια.

Mar. VII. Mane preces; Basilius. A prandio lectio, levis cœna, Basilius, preces, quies.

Mar. VIII. Mane preces; Basilius. A prandio amici, Basilius, τὰ ἐγκύκλια.

Mar. IX. Mane preces; Basilius, concio. A prandio Basilius, amici, cœna, Hebraïca, preces, quies. Dies copia nivis insignis.

Mar. X. Mane preces; Basilius, sed ob frigoris vehementiam lente. A prandio meditatio lectionis, nec lectio tamen, quia inaudita hora. Basilius, cœna, τὰ ἐγκύκλια.

Mar. XI. Mane preces, Basilius, quem ante octavam Dei ope absolvi legere. Atque hic dies mihi lætus, et eo quidem nomine; sed magis ob divinum beneficium quod eodem tempore in me meosque collatum. Jam fere ad umbilicum perveneram, cum clamor familiæ me avocat, index magni alicujus casus: accurro: invenio filiolam Elizabetham in ignem lapsam: tremor artus invadit et horror. Sed illam periculo exemit tua Deus Opt. Max. tua dextra. Tu casum illius moderatus es: tu fecisti, ut non prona sed supina caderet: itaque ignis non ipsi sed calanticæ ejus et capitis ornamento nocuit: apparent enim in eo vestigia lambentis et jam urere incipientis flammæ. Quod si in faciem prona cecidisset, de facie, ut videtur, erat actum. Tibi igitur, Deus æterne et immortalis, pro tanto et tam insigni beneficio grates agimus ego uxorque non quas debemus, neque enim possumus, sed quantas maximas agere sumus potes. Tibi, Deus Opt. Deus Max. gloria, tibi honos *εἰς αἰῶνας αἰώνων. ἀμήν.* A prandio lectio, negotia: leniter in Chrysostomo quædam et Hebræis, dein *τὰ ἐγκύκλια.*

Mar. XII. Hodie ut serius paullo surgerem non vehementia frigoris adeo fecit, ac dolor quem sub diluculum in dextri pedis articulo sensi non mediocrem. Alter jam mensis est, cum tu, mi Domine, mi Deus, monere me videris imminentis cujusdam infirmitatis articularis. Percepi enim hoc spatio in omnibus fere omnium artuum com-

missionibus dolores sic satis magnos: præsertim vero in utriusque pedis articulo maximo. Et fateor, mi Deus, longa hac sanitate, quæ beneficio tuo mihi hactenus obtigit, non bene semper usum, imo abusum esse me sæpius. Itaque si visum tibi, Pater clementissime, isto potissimum modo meam *ῥαθυμίαν καὶ ῥᾳδιουργίαν* ulcisci, et molestissimi morbi cruciatibus obnoxium me in posterum reddere, ecce, fiat voluntas tua in me, Pater clementissime. Tantum ne me, oro te quæsoque, *εἰς πειρασμὸν ὑπὲρ δύναμιν* induxeris: neque etiam inertem me et inutile prorsus terræ pondus vivere et solum fruges consumere volueris. Me et meam denique ac meos semper cura tua, Pater indulgentissime, dignare.

Hodie Hippocratem cepi legere, totum destinans pellegere *σὺν τῷ Θεῷ*.

Mar. XIII. Mane, preces, Hippocrates. A prandio lectio, *τὰ ἐγκύκλια*.

Mar. XIV. Mane preces, Hippocrates. A prandio lectio, cœna, Hippocrates, preces, lectus.

Mar. XV. Mane Hippocrates a precibus ad prandium. Inde amici, Hippocrates, *τὰ ἐγκύκλια*.

Mar. XVI. Mane concio: a prandio amici, qui totum fere diem mihi, proh dolor, abstulerunt: deinde ad piam matrem et fratrem literæ scribendæ: cœna inde, ac postea aliquid in Hebræis, saltem dicis caussa. Preces demum et quies.

Mar. XVII. Tardius ad libros hoc die. Preces, Hippocrates. A prandio lectio nos occupavit

totos, amici dein: tum cœna, libri leniter inspecti, preces, quies.

Mar. XVIII. Preces et Hippocrates mane toto. Sed heus non toto: nam acceptis literis dum respondeo, non bona solum pars matutini temporis sed totus dies penitus periit.

Mar. XIX. Et hujusce diei mane fere totum literis scribendis periit. Etiam pomeridiani temporis τὸ πλέον perdidi. Reliquum τοῖς ἐγκυκλίοις datum.

Mar. XX. Preces mane, Hippocrates, prandium. Inde lectio, postea literæ.

Mar. XXI. Hic quoque dies literis scribendis absumptus totus.

Mar. XXII. Et iste dies scribendis literis mihi ablatus pæne totus.

Mar. XXIII. Mane preces, Hebræa, concio. A prandio Hebræa, amici, cœna, literæ, preces, quies.

Mar. XXIV. Literæ, amici, nugæ. Nam et hujusce diei pars maxima aliud agenti sed necessario, periit male. Κύριε ἐλέησον.

Mar. XXV. Preces, Hippocrates, prandium. Consulum jusjurandum. Lectio, et a cœna Hippocrates, preces.

Mar. XXVI. Preces, Hippocrates, concio. Cæterum quærendo Floro τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου misere periit, et quidem frustra: imo non frustra. Reperi enim σὺν Θεῷ, et reliquum diei studiis tributum.

Mar. XXVII. Preces, Hebræa, Hippocrates, prandium: inde literæ, lectio, τὰ ἐγκύκλια.

Mar. XXVIII. Preces, literæ, Hippocrates: lectio, τὰ ἐγκύκλια.

Mar. XXIX. Preces, Hippocrates, prandium, amicorum officia. τὰ ἐγκύκλια.

Mar. XXX. Preces, Syriaca, concio: amici, τὰ ἐγκύκλια.

Mar. XXXI. Preces, Hippocrates mane. Dein amicorum officia et studia, preces.

Kal. April. Hebræa a precibus. Hippocrates, et toto die ad colophonem, hoc est, preces ante quietem.

Apr. II. Preces, Hippocrates, concio, et oblatus in ea per nos baptismo infans. A prandio amici, τὰ ἐγκύκλια.

Apr. III. Preces, Hippocrates, τὰ ἐγκύκλια.

Apr. IV. Preces, τὰ ἐγκύκλια. Sed magna pars horarum matutinarum quærendis libris quibusdam absumpta. οἴμοι.

Apr. V. Mane preces, Hippocrates, officia amicorum: a prandio amici, Hippocrates ad umbilicum Dei beneficio perductus.

Apr. VI. Dies celebrationi passionis Dominicæ sacer. ὢ βάθος σοφίας, ὢ πλοῦτος.

Apr. VII. Preces. Tertullianus nos habuit. A prandio lectio, τὰ ἐγκύκλια.

Apr. VIII. Preces, Tertullianus. A prandio lectio. Tertullianus, et consuetus vitæ ordo.

Apr. IX. Preces. Menander Rhetor nos tenuit. Reliquus dies amicis datus et curæ valetudinis.

Apr. X. Preces. Senecæ nos dedimus scriptori

vere sapienti, humana quidem sapientia. A prandio lectio, *τὰ ἐγκύκλια.*

Apr. XI. Preces, Seneca, et varia studia: a prandio lectio, *τὰ ἐγκύκλια.* In Senecæ lectione mihi arrisit maxime iste locus. *Pacuvius*, ait, (Ep. 12.) *qui Syriam usu suam fecit cum vino et illis funereis epulis se sepelisset, quasi sibi parentaret, sic in cubiculum ferebatur a cœna, ut inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur, βεβίωκε, βεβίωκε. Nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus, et in somnum ituri læti hilaresque dicamus, Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi.* Laudo Stoici sapientis industriam, qui etiam mala exempla in bonum usum, hoc est, venenum in medicinam norit vertere. Cæterum ut possit aliquis bona conscientia dicere quotidie in somnum iturus, *βεβίωκα, βεβίωκα*, non e schola tua, mi Seneca, prodeundum illi est: sed ex illius disciplina qui docere quam optime et discentium animos immutare et *σχηματίζειν* ut vult solus potest. Tu is es, Deus Opt. Max., qui per Filii tui misericordias et Spiritus Sancti tui vim efficaciter in electis tuis *ἐνεργοῦσαν* veram virtutem nos docuisti, et fruge illa *ζωοποιῷ* animos nostros quotidie inseris. Tu igitur, Pater clementissime, da hoc mihi, per ego te Jesum Christum Filium tuum oro et precor, animo sim ita composito, ita ad omnem voluntatem tuam parato, ut quotidie in somnum iturus bona conscientia dicere possim et hilari lætoque animo, *βεβίωκα, βεβίωκα*:

crastinum si adjecerit Deus, lætus recipiam. Inde hanc eandem mentem et veram *εὐθυμίαν καὶ εὐεστώ* et charissimæ conjugi, et cum feret ætas, omnibus quoque liberis nostris. *Ναὶ Κύριε, ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου.*

Ep. 45 graviter eos reprehendit quorum vita spectat in crastinum. Tota Ep. 101, ejusdem argumenti: inter alia ibi: *Sic itaque formemus animum tanquam ad extrema ventum sit. Nihil differamus. Quotidie cum vita paria faciamus.*

Apr. XII. Tardius ob valetudinem surrexi, et magna pars horarum matutinarum periit. Fui in Seneca, et hoc illius præceptum alte imbibi, (locus est Ep. 13.) *Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia; semper incipit vivere. Considera quid vox ista significet, Lucili, virorum optime: et intelliges quam fœda sit hominum levitas, quotidie nova vitæ fundamenta ponentium, novas spes etiam in exitu inchoantium. Circumspice tecum singulos: occurrent tibi senes, qui se cum maxime ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent. Quid est autem turpius quam senex vivere incipiens?*

Sic Ep. 23. *Male vivunt qui semper vivere incipiunt. Quare, inquis? desiderat enim explanationem ipsa vox. Quia semper illis imperfecta vita est.* Ep. 32. In summa brevitate vitæ *breviorem illam inconstantia facimus, aliud subinde atque aliud facientes initium.* Ep. 35. *Mutatio voluntatis indicat animum natare, aliubi atque aliubi apparere prout tulit ventus.* Ep. 101. *Maximum vitæ vitium est, quod imperfecta semper est, quod etiam aliquid ex illa differtur.*

Assentior tibi magne philosophe: teque adeo consultore potius utar, quam amicis illis meis, viris alioquin optimis et prudentissimis qui auctores mihi sunt, ut vitæ genus mutem, et seram Juris docendi professionem instituam. Fateor e re familiari id omnino futurum: magis e fama. Nam hodie nostris Musis vix alicubi ἐν παραβύστῳ locus. Sed fama vulgi quid ad me? Liberis autem charissimis prospiciet is qui et mihi hactenus. Te igitur sequar, o meus doctor: nec committam ut inconstantia vitam fecisse mihi breviorem judicari possim. Sane enim vitæ summa brevis spes vetat inchoare longas. Ni hoc sit, et probabili ratione aliqua impelli possim ad transeundum in alia castra, tu scis, mi Deus, quæ mihi studia potissimum cordi sint. Diu enim est cum invasit me impetus totum iis literis me dedendi, in quibus solis omnis continetur veritas, et quæ sola τοὺς ἐνδιατρίβοντας αὐταῖς ἀπαθανατίζουσιν, et Deo conjungunt. Nam qui tot tantisque Dei beneficiis quotidie magis ac magis benignitati ejus devinciar, quid habeo quod illi impendam præter ipsum me? Ecce enim dum in his sum cogitationibus, novo Patris clementissimi afficior munere. Hodie namque uxor charissima sub horam quintam εὐτοκήσασα filiola auxit familiam, quæ utinam, mi Deus, sic adolescat, sic olim vitam instituat, ut ad præscriptam in tuo verbo regulam facta, dicta, cogitationesque omnes suas exigat, γένοιτο, γένοιτο.

Apr. XIII. Preces. Sed propter valetudinem nec concionibus interesse, nec studia nisi leniter attingere fui potis. Preces.

Apr. XIV. Preces. Valetudo afflicta. Docui tamen. Preces.

Apr. XV. Preces. Valetudo haud melius affecta. Nec docui, nec fere quicquam. Deus meliora si videtur. Τὸ δ' ἐκείνου νικάτω θέλημα. Preces.

Apr. XVI. Preces. Valetudo itidem ut prioribus diebus. Ac cum nova indies male affecti corporis indicia emergant, nam et pectus et latus dextrum et tota superiorum intestinorum sedet ad tactum quidem graviter, sed et alias semper dolet, oro te et veneror, mi Deus, indas hunc animum mihi, ut quandocunque fatalis advenerit hora, hilaris ad te me sistam, firma et valida fide æterna illa et vera gaudia etiam in hoc mundo præcipiens et delibans, quæ tuis a te Deus Opt. Max. sunt præparata, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, οὖς οὐκ ἤκουσε. Exaudi, mi Deus, et peccata omnia mea vere ψαμμακοσιογάργαρα tolle, dele, et dilue per sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui τοῦ μονογενοῦς καὶ ὁμοουσίου, qui cum Sancto Spiritu una tecum regnat, regnabit εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ναὶ Κύριε βοήθει, καὶ ἐμοὶ καὶ τῇ φιλτάτῃ συγγάμῳ καὶ τέκνοις. Ναὶ πάλιν καὶ πάλιν αὖ βοήθει, Κύριε, καὶ ἐλέησον. Jam quia literarum agrum voluisti me colere, mi Deus (etsi tenue est, leve est et infra quam nihil, quod adhuc promovi) ne sine aliquo studiosæ juventutis fructu tot exanclatæ nobis

vigiliæ frustra pereant, statuo *σὺν τῷ Θεῷ* incumbendum deinceps in hanc curam esse mihi, ut saltem quæ affecta habeo, foras illa protrudam quam primum. Ergo Athenæo nos totos dedere primo quoque die stat sententia, si modo ita et tibi visum, o qui cœlum et terras nutu numineque tuo temperas. Obsecro te, mi Deus, fac me hujus voti reum, si ad gloriam tui nominis, salutem meam, et aliqua commoda charissimæ uxoris et dilectissimorum liberorum ea res pertinet. Ναὶ Κύριε ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου.

Apr. XVII. Cum paullo haberem meliuscule, summo mane surgens e stratis abdo me in literulas et museum. Ac primum *γονυπετήσας* dedo me lectioni et meditationi sacrosancti Dei Verbi. Inter alia lego Canticum illud vere olorinum Davidis quod habetur 1 Chron. c. ult. O merum mel! o veras delicias! o dulce animæ pabulum! Sed nonne præposteri sumus nos qui literati cluimus? Legimus studiose paganorum scripta, et siquid ibi paullo callidius invenimus dictum quod ad mores formandos faciat, id avide colligimus et decerpimus. Neque id male. Sed quanto uberiore cum fructu e libris divinis id genus documenta poterant parari? in queis cum omnia sint *θεόπνευστα*, etiam venustas et elegantia sæpe mirabilis. Talis hæc *γνώμη* Davidis in dicto cantico. כַּצֵּל יָמֵינוּ עַל הָאָרֶץ וְאֵין מִקְוֶה. Vertere LXX. *ὡς σκιὰ αἱ ἡμέραι ἡμῶν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ οὔκ ἐστιν ὑπομονή.* Sed mihi postremum verbum non satisfacit. Nam

מִקְוֶה est ad verbum *exspectatio*, addit Junius, vel *consistentia*, quod non videtur ei voci convenire. Ipse vertit, *Velut umbra sunt dies nostri super terram quæ non consistit.* Malim *quæ non stat* vel *subsistit.* Nam hoc vult, vitam nostram esse fluxam et non fixam. Propterea patres Græci passim omnia humana vocat ῥευστὰ, et ab eadem mente dictus βροτὸς παρὰ τὸ ῥέειν. Umbram autem intelligo in verbis Mosis, quæ solis recessu inducitur: de qua sentit et poeta Græcus, cum ait σκιόωντο δὲ πᾶσαι ἀγυιαί. Umbra illa vere non habet מִקְוֶה. Nunquam enim cursum suum sol intermittit. Ὑπομονὴ ferri poterat, si aliter accipiatur, quam vulgo sonat in libris sacris; neque id absurdum. Nam ὑπομένειν est pauxillulum præstolari, ut declarat eximie locus Theophrasti in Charact. cap. περὶ αὐθαδ. Inde erit ὑπομονὴ modici temporis mora. Vetus interpres Lat. vertit, *et non est mora* quam versionem præfero ei Junianæ, et nostræ Gallicæ *et ni a nulle attente.* Malim *laquelle ne s'arreste point* Solomo Jarchi interpretatur

אין מי שיש לו מקוה שלא ימות

h. e. *Nemo est cui spes sit non moriendi.*

Magis probo interpretationem D. Cimchi, quæ hæc est:

אין שום מקוה לאדם שיארוך בעולם כי הרוצים ימינו

h. e. *et nulla est spes homini vitæ in æternum producendæ, quia cursores sunt dies ipsi nostri.* Simile est ἀγγελία παρατρέχουσα in libro Sapientiæ.

Apr. XVIII. Hoc die puella nostra ante sex dies nata in Ecclesiam Dei recepta est, et denuo renata. Spero equidem, Pater clementissime, vere te illam in electorum tuorum album et designasse *πρὸ καταβολῆς κόσμου* aliquando recipiendam, et nunc recepisse. Petimus igitur a te, Pater misericordiarum, ego uxorque quorum ministerio venire illam in lucem hanc voluisti, petimus, et prece supplici contendimus in nomine Domini nostri Jesu Christi Filii tui, des illi, postquam grandior fuerit, ut sic vivat in ecclesia tua, sic se gerat, quemadmodum piam et tui timentem par est. Da illi, Pater optime, Spiritum Sanctum tuum, qui omnia ipsius dicta, facta, cogitata regat: denique non opes illi, mi Deus, sed opem tuam ipsi fratrique et sororibus exposcimus. Exaudi nos, Deus Opt. Max. exaudi.

Apr. XIX. Preces. Seneca, *τὰ ἐγκύκλια.*

Apr. XX. Preces. Hebræa, concio. Amici per totum diem. Preces.

Apr. XXI. Preces. Hebræa, Seneca, docui, fui in Suida. Preces.

Apr. XXII. Preces. Hebræa, Seneca: a prandio docui, scripsi literas. Preces.

Apr. XXIII. Preces. Hebræa, Seneca, Suidas. A prandio amici, Suidas. Preces.

Apr. XXIV. Preces. Meditatio sacræ Scripturæ et expositio loci Lucæ XXII. 20. A prandio amici, lectio, et quod valde me sollicitum habet, uxoris

charissimæ morbus; quem ut diuturnum esse nolis, sed ipsam brevi priori restituas εὐεξίᾳ, supplici prece te veneror, Deus Opt. Max.

Apr. XXV. Nox uxori acta valde inquieta ob τεινεσμὸν quo laborat. σὺ δὲ βοήθει ὁ Θεός. Mane preces, et inter turbas domesticas lectio aliquot horarum a prandio.

Apr. XXVI. Preces. Hebræa, Seneca, literæ. A prandio amici, studia leniter. Preces.

Apr. XXVII. Hoc die cepi καθαρτηρίοις uti et experiri remedia adversus inveterascentem jam morbum. Sed tu, Domine Deus, animum potius purga, et cor mundum mihi da. Imprimis vero luce veritatis tuæ mentem illustra, ut ea magis in dies magisque agnita, vitam ad ejus regulam possim componere et meam et meorum. Ναὶ, Κύριε, ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. Studia leniter attigimus, sed meliora. Preces.

Apr. XXVIII. Et hodie potione usi sumus. Rediimus tamen ad studiorum solennia, sed leniter et ἀκροθιγῶς. Preces.

Apr. XXIX. Potio et hac die. Surreximus tamen bene mane, et in studiis mane post preces fuimus. A prandio amici, et totum fere tempus ademtum. Cœna, studia, preces.

Apr. XXX. Mane preces et τὰ ἐγκύκλια: distulimus enim in crastinum τὸ καθαρτήριον. Tu ne differ, mi Deus, animi sordes mihi purgare, et tenebras mentis adimere.

Kal. Mai. Ad potiones medicatas hodie, quod Deus vertat bene, rediimus: eaque re a libris fere abstinere sumus coacti.

Mai. II. Potione hausta mox surreximus, et a prandio libros saltem salutavimus. Preces.

Mai. III. Hodie ut venienti morbo occurrerem, imo jam inveterascentem tollerem, consilio medici brachium sinistrum ussi admoto cautico, et humoribus evacuandis viam aperui. Sed enim humanæ opis hæc remedia sunt, quæ etsi insuper habenda non sunt, frustra tamen his utar, nisi tua adsit, Pater clementissime, benedictio. Te igitur, te unum appello in auxilium mihi: a te totus pendeo: in te omnis spes mea et meorum. Studia leniter attigi hoc die. Preces.

Mai. IV. Mane preces. Studia Hebraica: concio. A prandio amici, et summus in sinistro brachio dolor, quem mox secuta febris. Ea totam noctem nos habuit: mane demum reliquit, sed languentes valde et κακῶς ἔχοντας. Βοήθει Κύριε.

Mai. V. Etsi male habebam, surrexi tamen lecti tædio: sed, eheu, sine ullo studiorum commodo. Totum enim mane remissioni animi dandum necessario fuit. A prandio utcunque prostratis viribus, docui tamen et literis scribendis vacavi. Preces.

Mai. VI. Nox insomnis per febrem acta: dies misere combustus propter migrationem in ædes Verchantii. Docui tamen a prandio, et, cum mihi non poteram, aliis saltem prodesse sum conatus.

Hic igitur dies est quo ædes Verchantianas cepimus inhabitare; quod si τὰ μέλλοντα τοῖς γεγενημένοις δεῖ εἰκάσαι, et principia ratum omen habent insecuturi temporis, certum est manere et me et meos multa parùm læta. Ita mihi fuit iste dies ob varias caussas illætabilis. Nox vero insecuta, molesta et mœsta. At tu, Domine Deus, si placet, omnia vertes in melius: et pro tua infinita clementia dabis nobis ut quietem aliquam hic nancti, tibi ego, uxor, liberique toto pectore serviamus. Miserere, Domine, et peccata nostra plurima eheu ac maxima tege, imo dele per meritum mortis Filii tui τοῦ μονογενοῦς, Κυρίου ἡμῶν, qui una cum Spiritu Sancto tecum regnat εἰς αἰῶνας αἰώνων. Γένοιτο, γένοιτο.

Mai. VII. Post infelicem noctem secutus dies non multo lætior. Studia jacere coacta ob languorem animi et corporis. Preces.

Mai. VIII. Mane preces. Magna diei pars occupata in libris componendis et digerendis in novo museo. Studia leniter attigimus. Hebræa: Seneca: docuimus. Preces.

Mai. IX. Mane preces: τὰ ἐγκύκλια: sed leniter. A prandio docuimus, et tractatum initio professionis hujus nostræ in ista urbe de Magistratibus Populi Romani hoc die ad umbilicum docendo perduximus. Gratias tibi, Deus æterne, qui vires in hac corporis infirmitate dedisti tamen. Tu vero, Pater clementissime, da nunc item novas vires, ut et discere ipse et alios docere ea possim

quæ ad nominis tui gloriam spectent, ecclesiæ tuæ ædificationem, et salutem meam atque eorum qui nobis operam navabunt. Ναὶ Κύριε ἔρχου καὶ βοήθει.

Mai. x. Preces, et ad studiorum solennia rediimus bona fide. A prandio amici totum diem mihi eripuere; tamen profecto non amici.

Mai. xi. Preces. Conciones geminæ, et studia sacra nos hodie habuere. Quod utinam, O utinam, sic Deo Opt. Max. esset visum, ut in hoc genus studiis et meditationibus toti esse possemus. Preces.

Mai. xii. Preces: et τὰ ἐγκύκλια. Preces.

Mai. xiii. Mane preces. Hebræa, et Seneca. Cujus scriptoris lectio eo mihi utilis, quod quæ ille de sapientia scribit, et illo sapiente quem Stoici animo finxerunt, et scriptis suis depinxerunt, viderunt autem nunquam, illa ego novo quodam genere παρῳδίας veræ pietati accommodo. Itaque efficio ut multa vera efficiantur, quæ de suo sapiente falso scripserat philosophus. Multa enim Seneca scribit, quæ intelligi aut credi sine veræ pietatis sensu non queant. Quo bono cum ipse caruerit, sequitur ut ea dicamus ab illo scripta non ex certa scientia aut fide; sed veluti μαντευόμενον et more poetarum ἐνθουσιάζοντα. Inter alia quæ in hoc scriptore admiror est et hoc Ep. lxxix. *Tunc animus noster habebit quod gratuletur sibi, cum emissus his tenebris in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem ad-*

miserit, et redditus cælo fuerit, cum receperit locum quem occupavit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua. Erit autem illic etiam antequam hac custodia exsolvatur, cum vitia disjecerit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit. Dictum verum, et aureum; sed cujus πληροφορίαν nos habemus, auctor habere non potuit. Domine Deus, Pater clementissime, per ego te Filium tuum τὸν μονογενῆ Jesum Christum oro et supplex veneror, efficias pro tua bonitate, ne sine fructu ista lectitem, sed ut pro aculeo hæc sint mihi, ad voluntatem tuam quam in verbo tuo humano generi patefecisti, scrutandam rimandamque interea dum tempus illud præstolor, quo animus meus cælo receptus non ex parte, ut nunc, veritatem tuam cognoscet, sed ea totus pascetur ac vivet.

Hodie cepi summatim historiam Romanam publice exponere, qui labor ut ad tuam, mi Deus, gloriam et honorem referatur percupio.

Ep. CII. Disputans de statu post mortem. *Tunc in tenebris vixisse dices, cum totam lucem totus aspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscure intueris, et tamen admiraris tam procul.*

Mai. XIV. Mane preces, τὰ ἐγκύκλια. A prandio amici; et totum tempus effluxit. Preces.

Mai. XV. Mane sero in museum. Preces. A prandio docui. Literas dein scripsi ad multam noctem. Preces.

Mai. XVI. Toto fere mane literæ ad amicos

Genevenses non sine lacrymis et suspiritibus. A prandio docui et studia leniter attigi. Preces.

Mai. XVII. Mane preces, *τὰ ἐγκύκλια.* Legi hodie in Seneca pulcherrimum hoc præceptum. *Utilissimum est diem secum recognoscere. Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus, et id raro: quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito venit. Hodiernus dies solidus est. Nemo ex illo quicquam mihi eripuit: totus inter stratum lectionemque divisus est.* Ita profecto est, graviter hac parte peccamus, et tempus misere elapsum non desideramus, sæpe non observamus. Nam si quotidie in somnum ituri diem nobiscum recognosceremus, et ex Pythagorico præcepto diceremus Πῆ *παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;* quam magnam sæpe occasionem doloris inveniremus! quam paucos enim dies solidos reperiremus?

Mai. XVIII. Mane preces. Sacræ literæ. Concio. A prandio officia amicorum. Concio. Preces.

Mai. XIX. Mane preces, *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio docui. Amici. Studia leniter attigi. Preces.

Mai. XX. Mane preces, *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio docui. Studiis vacavi. Τὰ *ἐγκύκλια.* Θεῷ *χάρις.*

Mai. XXI. Mane fere scribendis in Germaniam literis totum periit. Preces. A prandio amici. Studia. Τὰ *ἐγκύκλια.* Preces.

Mai. XXII. Mane preces: studia. A prandio studia, lectio, etsi per multa tristia traductus hic dies ob uxoris languorem animi et corporis. Te

appello, mi Domine, mi Deus, in auxilium meum. Ναὶ Κύριε βοήθει.

Mai. XXIII. Mane preces, studia. A prandio studuimus, docuimus, plus tamen doluimus. O duras hujus vitæ ærumnas. Sed tu, mi Deus, si placet εἰς ἀγαθὸν κρινεῖς hæc omnia. Tibi honos, tibi gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν. Preces.

Mai. XXIV. Mane preces, et statim ingens gaudium acceptis literis a Beza, a Scaligero, et aliis amicis, quos omnes ad gloriam nominis tui serva, custodi, rege et tege, mi Deus, mi σῶτερ. Studia inde et concio. A prandio amici, ut totus mihi fere perierit dies. Preces.

Mai. XXV. Hoc die in memoriam ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου cœna ex ritu celebrata: et nos cum cæteris piis ad sacrum illud convivium accessimus. Deus Opt. Max. venerandum illud mysterium in animo et nostro et uxoris, ac mox nostrorum liberorum cum ætas feret, velit esse efficax, et nos componere ac fingere haud penitus indignos qui corporis divini h. e. Domini nostri Jesu Christi fiamus participes. Ita dico, corporis Domini nostri Jesu Christi, qui persona et ὑποστάσει distinctus a Patre, sed natura unus et idem, ἄλλος inquam, sed non ἄλλο, una cum Deo Patre, et Deo Spiritu Sancto Deus ipse regnat, regnabit æternum. Γένοιτο, γένοιτο.

Mai. XXVI. Preces mane et studia. A prandio docuimus, studuimus, Deo gratias egimus, agimus, et dum erimus, agemus.

Mai. XXVII. Preces mane et studia. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

Mai. XXVIII. Preces, studia, amici et officia. Ita magnam temporis matutini partem combussimus. A prandio studuimus. Preces.

Mai. XXIX. Preces, studia, amici. A prandio docuimus, *τὰ ἐγκύκλια*. Preces.

Mai. XXX. Preces, studia: a prandio docuimus et Præsidem amplissimum a Fraxinis vidimus. Preces.

Mai. XXXI. Preces, studia, et cum maximo virorum Præside a Fraxinis.

Kal. Junii. Mane preces. Concio; cum amplissimo Præside colloquia suavissima, et *κέντρα ἐν τῇ ψυχῇ ἐγκαταλείποντα*.

IV. *Non. Jun.* Mane preces. *Ὁμιλία* et confabulatio aliquot horarum cum Præside virorum optimo. Studia *ἐγκύκλια*. A prandio docuimus, et quod supererat temporis cum eodem præstantissimo amicorum confabulatione jucundissima produximus. Preces.

III. *Non. Jun.* Preces, *τὰ ἐγκύκλια*.

Prid. Non. Jun. Mane preces. Studia leniter.

Non. Jun. Mane *τὰ ἐγκύκλια*. Concio. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

VIII. *Eid. Jun.* Mane preces, *τὰ ἐγκύκλια*. A prandio docuimus. Studia. Preces.

VII. *Eid. Jun.* Mane preces, *τὰ ἐγκύκλια*.

VI. *Eid. Jun.* Mane preces. Studia pietatis, concio. A prandio amici, Hieronymus et alii sacri vel ecclesiastici scriptores. Preces.

v. *Eid. Jun.* Mane preces, studia ἐγκύκλια. A prandio docuimus languente animo. Preces.

iv. *Eid. Jun.* Mane preces: studia ἐγκύκλια. Cedrenum hoc die cepi percurrere. Hoc item die historiæ Romanæ σύνοψιν digestam a nobis in sex epochas, et cum cura expositam publicis recitationibus, ad umbilicum perduximus. Tibi, mi Deus, gratias pro hoc beneficio ago immortales: teque supplici prece obsecro, quantumcunque est quod me degere mortalem inter mortales voles, id omne tempus velis me collocare in iis studiis quæ et mihi et τοῖς πέλας utilia sint; quæque ad tui nominis gloriam, ceu ad ἀρχιτεκτονικὸν finem suum omnia omnino referantur. Γένοιτο, γένοιτο.

iii. *Eid. Jun.* Mane preces: studia. Concio. A prandio amici totum me fere habuerunt. Studia leniter. Preces.

Prid. Eid. Jun. Mane preces: studia. A prandio amici. Studia. Preces.

Eid. Jun. Mane sero ad libros: preces: studia. A prandio studia. Amici. Preces.

xviii. *Kal. Jul.* Mane preces: studia. A prandio amici. Studia. Preces.

xvii. *Kal. Jul.* Literæ ad amicos. Concio. Prandium: amici: literæ. Preces.

xvi. *Kal. Jul.* Preces, et studia lenia mane, ob literas et amicos. A prandio item amici occupatos diu habuerunt: reliquum literis datum. Preces.

xv. *Kal. Jul.* Preces: studia toto mane.

xiv. *Kal. Jul.* Hic dies jejunio publico sacer.

Jejunavimus igitur, et ad serum diei usque sacris concionibus operam dedimus. Sed tu, Domine, pro tua infinita clementia, habe ratum hoc jejunium: et miserere ecclesiæ tuæ paullatim in tenebras densissimas sese abdentis. Ναὶ ἔρχου Κύριε.

XIII. *Kal. Jul.* Studia mane post preces. Sed statim literæ scribendæ, et diei totius pars maxima periit.

XII. *Kal. Jul.* Mane preces, τὰ ἐγκύκλια. A prandio amici. Studia. Preces.

XI. *Kal. Jul.* Mane preces, τὰ ἐγκύκλια. A prandio amici, et misere consumtus dies. Domine Deus, da mihi, ut posthac omnibus impedimentis liberatus, tibi et iis studiis, quæ tractare me voluisti, vacem ad gloriam nominis tui, publicam studiosorum utilitatem et nostram quoque. Ναὶ Κύριε βοήθει.

X. *Kal. Jul.* Bene mane abdidi me in museum, ut lectioni Cedreni colophonem imponerem; frustra: literæ enim statim scribendæ, et bona pars temporis erepta: non omne tamen: nam et studia partem horarum matutinarum sibi vindicarunt, et concio ordinaria. A prandio amici, studia. Itaque hoc die Cedrenum absolvi, cujus lectionem ante paucos dies orsus eram. Quod superest, te oro, πανέλεε Θεὸς, faxis beneficio hoc tuo bene utar, et ut pium servum tuum decet. Quantum enim est, mi Deus, quod in hoc rerum statu otium suppetit et animi tranquillitas ad colenda hæc

studia? Bipedum sim ingratissimus, si quantum tibi vel hoc uno nomine debeam, quotidie non attendam, et gratias tibi non agam. Ego vero et habeo, et ago, Pater clementissime, quantas possum maximas tibi grates, non pro isto tantum beneficio in me tuo, sed aliis infinitis, quæ tua ἀνεκδιήγητος benignitas in me, in uxorem charissimam, in liberos dilectissimos quot diebus confert. Scio equidem, mi Deus, τὰ μεγάλα τοῦ Θεοῦ δῶρα μέγαν ἔχειν φόβον. Hoc, inquam, scio: et me quoque scio, qualis sim: ut merito tremendum mihi sit, quoties in cælos oculos tollo. Sum enim, fateor, inutilis ille servus: confido tamen, mi Deus, non in propria quidem virtute, sed in merito Filii tui, Domini nostri Jesu Christi: qui una tecum et Spiritu Sancto εἰς αἰῶνας αἰώνων regnat, regnabit.

IX. *Kal. Jul.* Mane preces: studia, et ad scribendum in Athenæum προπαρασκευή. A prandio amici et nugæ, sed molestæ et invitæ. Preces.

VIII. *Kal. Jul.* Mane preces: studia, et ad Persium, quem eo die publice interpretari incepi cum Deo, παρασκευή. Da mihi, Pater clementissime, absolvam, inoffenso pede, quod institui, et sic hæc studia tractem, ut et conatus nostri et juvenum profectus ad nominis tui gloriam tanquam ad verum et ἀρχιτεκτονικὸν finem suum referantur. Γένοιτο, γένοιτο.

VII. *Kal. Jul.* Preces mane et τὰ ἐγκύκλια. Dein Apicium percurrimus totum. A prandio notas in

Athenæum scribere cepimus: quod opus da, O Domine, ut detexere possim, et eo peracto gratias tibi agere tuumque sanctissimum nomen laudibus celebrare possim. Exaudi, Deus magne, Pater clementissime, una salutis meæ et meorum anchora.

VI. *Kal. Jul.* Mane preces et *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio docuimus, studuimus, tuo, Pater cælestis, beneficio. Tibi gloria, tibi honos æternum. Preces.

V. *Kal. Jul.* Mane preces: *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio docuimus, studuimus. Preces.

IV. *Kal. Jul.* Mane preces: studia, et in suscepto penso assidua opera. Quod utinam, mi Deus, opere absoluto brevi gratias tibi agere, et vota persolvere possim. Sic esto, Pater clementissime, si ad aliquam tuæ gloriæ procurationem nostri hi conatus spectent. Preces.

III. *Kal. Jul.* Mane preces: *τὰ ἐγκύκλια.* Ut die sacro concio: studia. Preces.

Prid. Kal. Jul. Mane preces: *τὰ ἐγκύκλια.* Docui, studui. Preces.

Kal. Jul. Mane preces: *τὰ ἐγκύκλια.* Docui, studui, et tibi, O Domine, gratias egi.

VI. *Non. Jul.* Mane preces: *τὰ ἐγκύκλια*; ac, quia a docendo liber eram, in Athenæo totus fui, et promovi nonnihil. Tibi gloria, tibi grates gratissimæ, O fautor unice meorum studiorum, Deus.

V. *Non. Jul.* Mane preces: perreximus in opere suscepto. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

IV. *Non. Jul.* Mane preces: ordinaria studia. A prandio docuimus, studuimus, sed et doluimus. Tu caussam doloris mei nosti, Deus Optime Maxime. Da, quæso te supplexque veneror aut finem his ærumnis; aut illis ferendis pares vires. Deficimus enim, O Pater, sub hoc pondere. Sed aderis, spero, nobis pro ea benignitate tua, quam hactenus sumus experti. Amen.

III. *Non. Jul.* Mane preces: studia, et officia a studiis avocantia, ac valde inofficiosa: nam est pomeridiani temporis plera pars absumta. Siquid superfuit, studuimus. Preces.

Hic dies et sequens frigore notabiles; imo et plures insecuti.

Prid. Non. Jul. Mane preces. Studia: concio. A prandio studia; officia. Preces.

Non. Jul. Mane preces: studia: docuimus a prandio, studuimus.

VIII. *Eid. Jul.* Mane preces: τὰ ἐγκύκλια. Docuimus: studuimus. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Jul.* Mane preces: τὰ ἐγκύκλια. Fuimus eo die multi in penso nostro, hoc est in Athenæo, quem ut brevi liceat perficere tibique εὐχαριστεῖν, supplex te, O magne Deus, veneror.

V. *Eid. Jul.* Mane preces: τὰ ἐγκύκλια, et otium ad studia tuo, mi Deus, tuo beneficio. A prandio docuimus, studuimus, et hoc σὴν χάριν agnoscimus, benigne Deus, et profitemur. Preces.

IV. *Eid. Jul.* Mane preces: τὰ ἐγκύκλια. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

III. *Eid. Jul.* Mane preces: officia amicorum totum fere diem occupatos habuerunt. Parum igitur promovimus. Sed ab amicis Genevensibus literas habuimus. Itaque albo lapillo signandus hic dies. O Pater, rege, et tege nos atque illos.

Prid. Id. Jul. Summo mane preces: et studia ad septimam. Inde concio, et a prandio variæ occupationes maxime propter suscipiendum postridie σὺν τῷ Θεῷ iter. Ita periit magna pars temporis. Κύριε ἐλέησον, et navem nostram dirige nihilominus ad suum portum, hoc est gloriam nominis tui. Γένοιτο, γένοιτο.

Id. Julii. Statim a precibus matutinis iter cum uxore et filia Philippa ad matrem institui, et libris valedixi. Dolet quidem et temporis et aliarum quoque rerum facere jacturam: sed me pietas eo vocat, eo adigit. Quare supplex te, æterne Parens, veneror, regas nos in isto itinere, et sis nobis per Dominum nostrum Filium tuum vere ἡγεμόνιος Θεός. Fac igitur quæso obsecroque te, ut brevi redux cum omnibus meis, inservire gloriæ tuæ, et instituta persequi possim. O Deus salutis meæ, ades, et rege ac serva tum nos in itinere, tum quos hic relinquimus, omnes denique. σοῦ γὰρ ἡ βασιλεία καὶ τὸ κράτος εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

IV. *Non. Aug.* Tu vero servasti, Deus salutis meæ; et precibus hisce exauditis salvos atque incolumes domum reduxisti omnes, nisi quod filiolam apud piam matrem reliquimus. Reliqui

omnes rediimus die secunda Augusti sub vesperam. Agimus igitur tibi, Pater indulgentissime, pro hoc beneficio gratias quantas possumus maximas. Ac quoniam domum me reduxisti, fac ut diligentia et assiduitate tempus amissum recuperare, et quasi reparatis viribus, tanto efficacius te colam, literis dem operam, et munus quod mihi a te est impositum fideliter exequar. Hoc te, Deus magne, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum te oro, te obsecro, et toto pectore te veneror. Γένοιτο, γένοιτο.

III. *Non. Aug.* postridie quam sumus reversi, mane fere totum literis scribendis amisimus; ad Musas tamen accessimus, et Deo gratias egimus. Concio inde, et dies totus amicis datus. Preces.

Prid. Non. Aug. Ad pridem institutam studiorum rationem serio rediimus. Preces igitur mane, et bibliorum lectio: dein caput unum apud Senecam: tandem Athenæus. Sed eheu vix libros attigi, et adsunt amici, qui totum mihi mane absumunt. A prandio docui, studui. Preces.

Non. Aug. Preces: τὰ ἐγκύκλια, nisi quod ἀταξία librorum multum nocuit. A prandio docuimus: studuimus. Θεῷ χάρις.

VIII. *Id. Aug.* Preces mane: et τὰ ἐγκύκλια. Sed multum temporis ereptum. A prandio studuimus, et in Athenæo diligentes fuimus. Juva nos, O Deus, καὶ βοήθησον, ὦ Κύριε.

VII. VI. *Id. Aug.* Mane preces: et τὰ ἐγκύκλια. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

v. *Eid. Aug.* Mane preces: et serio in Athenæo sumus versati. A prandio amici, studia et Athenæus. Tu, Domine, perge benignitate tua fovere nostra studia, da otium, da ἀμεριμνίαν, da animum de tuo cultu tantum sollicitum. Γένοιτο, γένοιτο.

iv. *Eid. Aug.* Mane τὰ ἐγκύκλια. Concio audita, quam habuit Johannes Serranus. Officia deinde amicorum, et leniter libri tacti. Preces.

iii. *Eid. Aug.* Mane τὰ ἐγκύκλια a precibus; a prandio autem docui, studui, sed leniter aut nihil prorsus, quod gemo. Preces.

Prid. Eid. Aug. Literæ mane a precibus scribendæ, nec processere τὰ ἐγκύκλια in Hebræis nisi ex parte. A prandio docui, studui. Preces.

Eid. Aug. Mane τὰ ἐγκύκλια, saltem ex majore parte. A prandio studui, docui. Preces.

xix. *Kal. Sept.* Mane preces, amici, studia ut potuimus. A prandio amici, et æstus ingens; docuimus tamen, et leniter studuimus, nec omne penitus tempus amisimus. Σοὶ δὲ, ὦ Κύριε, ἡ χάρις.

xviii. *Kal. Sept.* Mane, sero ad literas accessimus. Preces dein, et studia leniter. A prandio amici, et lectio: studia lenia. Preces.

xvii. *Kal. Sept.* Mane in museum nos abdidimus, Deum Opt. Max. precati benediceret nostris studiis et laboribus.

Sed eheu miseri mortales quid sumus? ὄναρ nempe σκιᾶς et εἴδωλον. Dum hæc cogito, paullo postquam hæc scripsi, occupat nos vis morbi major

quam ut dissimulari a nobis posset. Itaque hora quarta museum ingressi, septima egressi sumus, et in lectum nos conjecimus. Διαρροίᾳ jam per aliquot dies laboraveramus: sed tum morbus ille auxit, et febris accessione vehementer increvit. Ita nobis non ille dies, sed plurimi sine studiis elapsi dies, non tam molesti quod morbo vexaremur, quam quod facultate studendi privaremur. Atque hic tamen infinitam illam Dei parentis, Dei ter maximi, ter optimi clementiam celebrandam habeo. Ille morbum leniorem fecit: ille morbo fecit medicinam: ille percussit, idem et sanavit. Septimo quippe die a morbi initio hæc scribebam, ausus jam etiam in museum conscendere et libris aliquot horas impendere. Filiola superest ægrota, quæ optimæ matris cura unica est, me restituto: eadem ingens sollicitudo mea; cum cogito contumaciam διαρροίας et ἄσης quæ illam plurimos jam dies tenent. Sed in Deo omnis spes matris, omnis mea. Tu, Domine, per Jesum Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum sine te exorari, ut et illa morbo recreetur, et reliquæ familiæ partes omnes ὑγιεινῶς καὶ μακαρίως tibi gloriæque tuæ inservire et nunc et semper possint. Amen.

In hoc morbo cum curis vacuum animum haberemus, et Deo nos nostraque omnia permitteremus, scripsimus in ipsa febri quæ διάρροιαν comitabatur hoc ad Patrem cælestem epigrammatium non felicis ingenii sed piæ mentis testimonium.

Τήκομαι ὁ τλήμων, καὶ φθείρομαι· ἡ δέ νυ νοῦσος
Ἃ στυγερὰ στυγερῶς σάρκας ὅλας κατέδει.
Πῦρ καὶ ὕδωρ γίνομαι ὅλος· ὧν τὸ μὲν αἴθει,
Τοῦτο δὲ ἀενάου ῥεῖ ποταμοῖο δίκην.
Ἔμπης, ὦ σῶτερ, πλὴν τοῦδ' ἑνὸς, οὐ δέομαί σου,
Ποίησόν με θέλειν σὸν τὸ θέλημα μόνον.

XI. *Kal. Sept.* Hæc scribebam.

X. *Kal. Sept.* Etsi morbo, nondum tamen languore morbi recreatus vix pauculas horas matutinas studiis mox a precibus impendimus. Deinde advenit vir nobilissimus et eruditissimus Philippus Marnixius, quicum in museo multas horas consumsimus: a prandio amici, et studiorum nulla fere ratio. Preces.

IX. *Kal. Sept.* Mane preces: et studia ex more sacra non indiligenter: exin concio, et cum Philippo Marnixio prandium et gravissima colloquia. Deinde literæ, et non multa lectio.

VIII. *Kal. Sept.* Mane cum ad Musas me recepissem, et in illis esse inciperem, ecce ad cœnaculum revocor uxoris ejulationibus ob filiolæ dulcissimæ et charissimæ morbum, qui præcedente nocte valde auxit. Cum igitur vitæ tam chari capitis metuamus, serio et tota mente, totoque pectoris affectu ad te, Pater clementissime, convertimur, te supplices per Dominum nostrum Filium tuum Jesum Christum veneramur, respicias languentem puellam nostram, et eam prope deficientem restituas in pristinam sanitatem. Tu

solus potes, velis modo, mi Deus, mi Servator. Veruntamen, O Domine, non quod volumus nos, id æquum est, sed tu quod volueris, id æquum, id justum, id sanctum; tibi gloria, tibi honos εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν. Hic dies ita per suspiritus magna ex parte ductus: studiorum οὐδεὶς ἢ ὀλίγος λόγος. At tu, Domine, ades.

VII. *Kal. Sept.* Noctem charissima filia non admodum inquietam habuit. Sed vires penitus prostratæ, nec jam ulla nisi in potentia et benignitate Dei spes. In te, mi Deus, ego uxorque speramus; in te confidimus; ad te clamamus. O exaudi, Deus magne, per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto regnat, regnabit æternum. Ναὶ Κύριε βοήθει.

VI. *Kal. Sept.* Eloquar an silebo? Vocem comprimit, O Pater cælestis, doloris magnitudo. Hic enim est, hic ille dies, quo placitum tibi, Deus æterne, charissima filiola Elizabetha nostra patrem matremque orbos reddere. Hora diei fere septima migravit in cælos illa pia animula, illa charissima nobis filiola, mel denique et μέλημα nostrum prope unicum. Ea extincta, omnia nostra gaudia videntur esse extincta: ea sublata, omnia læta, omnia jocunda nobis sublata. Tanta fuit charissimi capitis venustas, ea elegantia; adeo scitum et amœnum ingenium. Hujus dileciæ blandissimæ omnem nobis vitæ amaritudinem aut penitus adimebant, aut plurimum certe edulcabant. Quid multa? Spes certa concepta fuerat

nobis parentibus, fore olim cum in Dei timore lætari et gaudere per hanc possemus. Tibi aliter visum, O sola et vera Sapientia; tu nostras nobis spes hasce præcidisti: et ipsam quidem mature in Abrahami sinum recepisti: nos vero πειράζειν hoc genere πειρασμοῦ decrevisti. Acquiescimus, O magne mundi Rector, sanctissimæ et æquissimæ tuæ voluntati. Rectum est, æquum est, justum est, bonum est, quicquid voluisti. Filiolam, Pater optime, maxime, nobis dederas; hanc ademisti: fiat voluntas, Pater clementissime, tua, et nomen tuum in æternum sit benedictum. Unius voti, O Pater, nos damna et reos face: serves nobis reliquias familiæ, et qui supersunt hodie tres liberi, velis eos parentibus suis esse superstites: illi funera nostra ordine naturæ faxint: illi a parentibus fideliter pietatem et tui timorem edocti, in Ecclesia tua suo tempore olim vivant feliciter, vigeant ac floreant. Hæc votorum nostrorum summa est, O Deus, O Pater, O Servator noster et nostrorum suavissimorum pignorum. Exaudi pia parentum vota, mi Deus. Ναὶ Κύριε ἐλθὲ καὶ βοήθει.

V. *Kal. Sept.* Quod Deus Opt. Max. vertat bene, etsi languente corpore ex morbo, jacente animo ex obitu filiolæ, hodie tamen solennia studiorum repetiimus; ac mane totum studiis ἐγκυκλίοις, præsertim Athenæo impendimus. A prandio amici nos habuere, et totum tempus ereptum.

IV. *Kal. Sept.* Mane preces, et τὰ ἐγκύκλια. A prandio amici, et studia leniter. Preces.

III. *Kal. Sept.* Preces mane et studia. A prandio amici et studia. σοὶ χάρις ὦ πανάριστε.

Prid. Kal. Sept. Mane preces: et de more studia sacra: inde concio, sed et matutini temporis partem et τοῦ μεθημερινοῦ τὸ πλεῖστον tuo, mi Deus, beneficio Athenæi censuræ impendimus, et gratiæ immortales, O Deus salutis meæ, quod eo die secundum librum recensere absolvimus. σὴ ἡ χάρις ὦ Θεός.

Kal. Sept. Cum hoc die decrevissem in tertio Athenæi sedulus esse, expertus sum hominem proponere, Deum disponere. Adversa enim valetudine totum diem detentus vix hisce scribendis suffeci. Tu nempe ita vis, O Pater cælestis: tibi honos, tibi gloria in æternum. Ἀμήν.

IV. *Non. Sept.* Mane studia Dei beneficio, et concio audita: a prandio studia. Preces.

III. *Non. Sept.* Mane studia a precibus, et iterum a prandio. Preces.

Prid. Non. Sept. Mane preces: studia, concio, et a prandio studia. Preces.

Non. Sept. Mane studia, et in Athenæo serio navata opera immortali tuo, O mi Deus, mi Pater, beneficio. Tua dextera, mi Deus, tua illa benigna dextera jacentem et domesticis ærumnis misere cruciatum (scis ipse ὦ καρδιογνῶστα Deus) fulcit, et succumbere non sinit. Itaque inter medios suspiritus laboribus hisce literariis sufficimus præter omnem spem. Domine Deus, per ego te Filium tuum supplex veneror, regas me, et uxo-

rem charissimam ac liberos suavissimos. Tolle mihi, si ita videtur tibi, hanc segetem doloris et mœroris: et uxorem solare, atque in voluntate tua fac acquiescere. *Ναὶ Κύριε ἐλθὲ καὶ βοήθει.*

VIII. *Eid. Sept.* Mane sed alto propter insomniam noctis: a precibus *τὰ ἐγκύκλια* nos habuerunt. Sed amici multum nobis temporis sæpe eripiunt. *Τὸ γοῦν καδδύναμιν.* Tibi gloria et grates, O Deus.

VII. *Eid. Sept.* Mane summo ad concionem primam *πανοικεὶ* ivimus, et cœnæ Domini communicavimus: utinam non *ἀναξίως*. Sed Domini benignitas tegat nostra peccata, et nos in posterum regat. Totus deinde dies literis scribendis consumtus. Preces.

VI. *Eid. Sept.* Mane preces et *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio amici, et studia pro viribus. Gratias tibi O Deus.

V. *Eid. Sept.* A precibus studia *ἐγκύκλια*, et navata strenue Athenæo opera. A prandio idem, tuo, Deus æterne, beneficio.

IV. *Eid. Sept.* A precibus *τὰ ἐγκύκλια* summo mane: deinde ad concionem comitatus uxore ivi: a prandio uxoris morbus me detinuit diu multumque. Preces.

III. *Eid. Sept.* A precibus *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio studia. Preces.

Prid. Eid. Sept. Mane preces, studia, et eo die satis diligenter, licet uxoris charissimæ lacrymæ perpetuæ et molestiam magnam mihi

creent, et non mediocre meis studiis afferant impedimentum. Sed in tua, Domine, voluntate acquiesco: tua mihi sufficit gratia. Ναὶ Κύριε ἐλθὲ καὶ βοήθει.

Eid. Sept. Dei beneficio non indiligenter in Athenæo fuimus: nisi quod amici seduli nimis nobis tempora surripiunt. Τῷ Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Oct.* Mane studia ἐγκύκλια, et audita concio: tum literæ eo die scriptæ. Ades vero, mi Deus, Deus salutis meæ, et fac me liberum curis, ut perfecto opere quod nunc in manibus, totum me ad alia studia convertam, quæ sola mihi esse cordi scis, Pater καρδιογνῶστα. Tibi honos, tibi gloria in æternum. Amen.

XVII. *Kal. Oct.* Summo mane in museum ad preces et libros me contuli, et Dei ope atque auxilio in literis fui totus: multumque eo die in Athenæo operæ posuimus: tuo, Pater cælestis, beneficio.

XVI. *Kal. Oct.* Mane a precibus τὰ ἐγκύκλια. A prandio amici, studia, literæ. Preces.

XV. *Kal. Oct.* Mane a precibus τὰ ἐγκύκλια ad concionem, cui interfuimus: inde iterum studia, prandium, colloquia cum amicis et nugæ. Sero ad museum rediimus, unde evocati sumus ob nuncium de pia matre et filia Philippa, fratre et sorore ac reliquis. Omnes valere didici, præcipue Philippam corculum meum et matris suæ. Ago tibi, Pater clementissime, pro hoc beneficio gratias

immortales. Serva vero ὦ σῶτερ et matrem, et illam, et omnes qui ibi sunt, et cum illis nos quoque. Ναὶ Κύριε βοήθει.

XIV. *Kal. Oct.* Mane summo in museum me abdidi, et a precibus studia ἐγκύκλια tractavi.

XIII. *Kal. Oct.* Mane a precibus τὰ ἐγκύκλια: a prandio amici, et magna pars temporis erepta. Preces.

XII. *Kal. Oct.* Mane a precibus studia Dei beneficio. A prandio amici, studia. Preces.

XI. *Kal. Oct.* Mane a precibus studia, concio; et διαγωγῆς χάριν in villam hospitæ excursus. Inde studia. Preces.

X. *Kal. Oct.* Mane studia a precibus. A prandio studia leniter, amici. Preces.

IX. *Kal. Oct.* Mane a precibus studia ἐγκύκλια, sed non sine impedimento ab amicis. A prandio et studuimus et docuimus. Hoc enim die post longam cessationem od morbum meum, et charissimæ filiolæ obitum ad docendum redii, magna quidem animi alacritate, si Deus Opt. Max. cœptis faverit. Fave autem, mi Deus, Pater mi, et σῶτερ unice: da mihi ut studiosæ juventutis prosim studiis, et ut exstet aliquis operæ nostræ tibi ecclesiæque tuæ hac in parte navatæ fructus. Fac denique ut omnium vigiliarum nostrarum scopus et finis sit tui sanctissimi nominis gloria. Γένοιτο, γένοιτο.

VIII. *Kal. Oct.* Mane sero ad libros ob languorem noctis et insomniam. Tu scis, mi Deus, mei do-

loris caussam domesticam. Vel igitur medere huic incommodo studiorum meorum, si ita placet, O Pater: aut ei ferendo pares da vires. A precibus studuimus ad prandium; inde amicis fere vacavimus parum amicis. Preces.

VII. *Kal. Oct.* Mane in museum nos abdidimus, et a precibus studuimus, non sine impedimentis tamen amicorum.

VI. *Kal. Oct.* Mane a precibus studia *ἐγκύκλια*. A prandio negotia cum quæstore parum ut studiis impendere potuerim. Preces.

V. *Kal. Oct.* Mane literis scribendis, et dimittendis qui filiolam charissimam Philippam referrent, fere est consumtum. Illa enim diutius carere nobis parentibus in hac solitudine durum. Petimus igitur a te, Domine Deus, Pater et *σῶτερ* noster ducas et reducas quos nunc mittimus; filiamque nostram salvam nobis sistas et incolumem. O Pater clementissime, da hoc quoque nobis beneficium, sed hoc maxime, ut et nos et nostri liberi pie sancteque vivamus, dum terras colemus. A prandio studia *ἐγκύκλια*.

IV. *Kal. Oct.* Mane a precibus studia sacra ex more, sed amici mox impedierunt: deinde concionem audivi; inde et a prandio amici, et Hieronymi lectio. Preces.

III. *Kal. Oct.* Mane preces: *τὰ ἐγκύκλια*. Nisi quod hoc die cepimus detrahere privatis studiis horam matutinam, ut illam juventuti *φιλέλληνι* imputaremus; male, si peritura nobis ea est

opera, sed quam optime, si, ut speramus, σὺν Θεῷ spectabit hic noster labor ad Dei Opt. Max. gloriam. A prandio studuimus, docuimus. Preces.

Prid. Kal. Oct. Τὰ ἐγκύκλια a precibus: item a prandio. Preces.

Kal. Oct. Mane totum a precibus literis Genevam scribendis impendi, nisi quod ad concionem accessi. A prandio studuimus quantum per amicos licuit. Preces.

VI. *Non. Oct.* Mane preces: τὰ ἐγκύκλια, docui: a prandio τὰ ἐγκύκλια, et iterum docui, studui. Preces.

V. *Non. Oct.* Mane sed serius in museo, a precibus τὰ ἐγκύκλια. Preces.

IV. *Non. Oct.* Mane ante quartam in museo Deum supplici prece veneratus studiis me dedidi: sed eheu, quid prodest? nam totum mane imo totum diem amici surripuerunt; non penitus tamen frustra. Neque enim pœnituerit unquam sermonum quos una habuimus ego et V. cl. Gulielmus Ranchinus qui mei amantissimus amoris hodie sui certum τεκμήριον mihi in sermonibus exhibuit. Atque utinam, O Deus salutis meæ, id ita sit. Alterum impedimentum sub vesperam oblatum est, cum advenit charissima parentibus et dilectissima Philippa. Hanc tu, Pater cælestis, hodierno die iterum donasti nobis, et salvam atque incolumem confecto feliciter itinere reddidisti. Da nunc, da, Pater benignissime, ut viam illi præire ad pietatem et virtutem ego materque possimus. Fac pro tua infinita clementia, ut et illa et frater

et altera quoque filia cum parentibus tibi toto pectoris affectu inserviamus, te veneremur, te vereamur. O Domine exaudi, hujusque voti me damna. Ἀμήν.

III. *Non. Oct.* Sero in museum, et statim a prandio ivimus ad concionem. A prandio amici non amici. Preces.

Prid. Non. Oct. Mane a precibus in museo τὰ ἐγκύκλια; a prandio amici, occupationes publicæ, studia. Preces.

Non. Oct. Quarta surreximus, et a precibus serio studuimus, docuimus, et quidem bis, ut semper a suscepto Homero. Preces.

VIII. *Id. Oct.* Mane studia ἐγκύκλια a precibus: et audita concio. A prandio publica negotia, et minimum ad studia otii. Preces.

VII. *Id. Oct.* Sero in museum. Preces: τὰ ἐγκύκλια. Sed et ante prandium et a prandio multum temporis datum aliis nec meis rebus. Κύριε σῶτερ, ἐλθὲ καὶ βοήθει. Ἀμήν.

VI. *Id. Oct.* Et hodie serius in museum veni: a precibus τὰ ἐγκύκλια. A prandio studuimus, docuimus, literas scripsimus. Preces.

V. *Id. Oct.* Mane a precibus, in museo τὰ ἐγκύκλια: sed literæ Lutetiam scriptæ multum studiis obfuerunt.

IV. *Id. Oct.* Sero in museum: et lectioni sacræ ac concioni totum mane impensum: a prandio docuimus, et quantum per amicos licuit studuimus. Precati Deum Opt. Max. sumus, teque

adeo veneramur et supplici prece oramus, Pater clementissime, benedicas nobis et nostris per Jesum Christum *τὸν μονογενῆ σοῦ υἱὸν, τὸν* Κ*ύριον καὶ σωτῆρα ἡμῶν.* Ἀ*μήν, ἀμήν.*

III. *Eid. Oct.* Sero, ah sero nimis museum ingressus *τὸ γοῦν λοιπὸν ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις ἐγενόμην τὸν Θεὸν προσευξάμενος.* Vix hæc scripseram, cum amici, prope dicam, inimici, nugis me suis diu diuque detinuerunt. Quid multa? Totum diem perdidi miser; et utinam hunc solum; sed et publica negotia totam fere videntur absumtura hebdomadam. Κ*ύριε βοήθει.*

Prid. Eid. Oct. Propter insomniam sero veni, et parum aut nihil promovi: precatus tamen omnipotentem Deum, inspexi saltem libros, et docui mane: item a prandio, qui mihi nequirem, aliis tamen profui, et iterum docui. Preces.

Eid. Oct. Ante quartam in museum veni, *καὶ γονυπετήσας* ad decimam totus in ornanda sparta fui. A prandio parum studuimus. Preces.

XVII. *Kal. Nov.* Post quintam in museum venimus, et toto die nisi quod bis docuimus, parum literis vacavimus. Preces.

XVI. *Kal. Nov.* Ante quintam, mox a quarta, in museo Deum venerati *τοῖς ἐγκυκλίοις* vacavimus, docuimus, et studuimus: a prandio totum temporis amisi, ah miser, totum. Preces.

XV. *Kal. Nov.* Ante quartam surrexi, et statim in museo *γονυπετήσας* libris me dedidi: a prandio nihil aut parum præstiti. Preces.

XIV. *Kal. Nov.* Mane in museo Deum Opt. Max. veneratos τὰ ἐγκύκλια die sacro usque ad concionem cui interfui, nos habuerunt.

XIII. *Kal. Nov.* Mane in museo γονυπετήσας studiis ἐγκυκλίοις me accinxi, sed eheu, non magno cum fructu; nam mox et amici et negotia totum fere diem ademerunt. Preces.

XII. *Kal. Nov.* Hic dies totus mihi periit, aut studiis saltem meis: coactus enim ob valetudinem sumere pharmacum sanitati et amicis totum tempus dedi. Tu, Pater clementissime, tu, σῶτερ et verus ὑγιείας dator, sana animum et vitio libera; sana et corpus, si tibi videtur, ut possim mente sana et corpore sano tibi inservire, et ecclesiæ tuæ non inutile fieri instrumentum. O exaudi, Pater cælestis, et votis piis annue, et meus et meæ meorumque omnium esto σώτηρ et fauctor. Ἀμήν.

XI. *Kal. Nov.* Ante quartam surreximus: sed quærenda clave nequiter amissa plusculum periit temporis: inde museum ingressi et Deum precati ad Athenæum nos contulimus ad decimam.

X. *Kal. Nov.* Quinta museum ingressi et Deum venerati τοῖς ἐγκυκλίοις vacavimus ad octavam. Tum enim chirurgo dare operam et valetudinem curare sumus coacti; hoc quippe die cauterio vulnus factum in sinistro brachio ut destillatio quæ in pectus videtur fluere eo derivetur. Atque hic jam est δεύτερος πλοῦς: cum ante sex menses idem remedium tentassemus, nec feliciter cessis-

set. Nunc ut melius eveniat, utque hoc valetudini prope afflictæ utile sit et conducibile, peto a te supplex, O Deus salutis meæ. Fac, Domine, opem tuam et illam infinitam clementiam, qua hactenus in me uteris, etiam hac in re experiar. Sic me denique compone, quomodo expedire gloriæ tuæ nosti. Tantum ut tuam voluntatem pro justissima et æquissima regula meæ habeam atque observem, hoc te oro quæsoque; et ut dum vixerimus ego et omnes mei te colere, te jugiter adorare nunquam cessemus. Γένοιτο, γένοιτο.

IX. *Kal. Nov.* Sero in museum nos contulimus coacti in lecto chirurgum expectare: tandem venimus et Deum precati saxum urgere institimus. Sed a prandio librum vix aspeximus, proh dolor, ob negotia publica.

VIII. *Kal. Nov.* Serius adhuc hodie, non nostra sed chirurgi culpa. Demum ingressi de suscepta interpretatione Ethices cogitare cepimus γονυπετήσαντες. A prandio nihil. Preces.

VII. *Kal. Nov.* Etiam hodie, O dolor, mane amissum: nisi quod a precibus libros leniter inspeximus et concioni sacræ interfuimus. A prandio partim studuimus, partim amicis nos dedimus. Preces.

VI. *Kal. Nov.* Cum ex insomnia et corpore languerem et animum quoque τῇ ψυχῇ haberem συμπάσχοντα, mane quidem surrexi, et Deum precatus in museo fui: sed non multum studia promovi: a prandio itidem vapide me habens Aristotelis

Ethicos libros suscepi explicandos, et, quod in hoc corporis animique languore poteram, præstiti. Sed tu, O Pater, qui deprehendi me in ista difficultate voluisti (οὐκ ἀθεεὶ γὰρ γέγονεν ὅπερ γέγονεν) cum lubebit firmabis et corpus et animum, ut tanto efficacius tibi inserviam. Da hoc mihi et meis, Pater clementissime, et in dies animum inde qualem esse oportet. Τοῖον γὰρ νοῦν οἱ ταλαίπωροι βροτοὶ ἔχομεν, οἷον ἐφ' ἦμαρ ἄγεις σὺ ὁ Θεός. Ades igitur in auxilium mihi, O Pater ingeniorum, et preces exaudi meas. Tum ego te mente pura colam, tibi totus toto mentis impetu inserviam. Γένοιτο, γένοιτο.

V. *Kal. Nov.* Mane ante quintam in Aristotelis recitatione occupati sumus γονυπετήσαντες. Dein totum tempus amissum. Preces.

IV. *Kal. Nov.* Hujus quoque diei vix hora una aut altera recte collocata. Hoc tantum fuit, quod Deum Opt. Max. prece supplici non semel venerati sumus. Reliquum tempus amici et publica negotia eripuerunt. Preces.

III. *Kal. Nov.* Mane preces. Hodie ex ædibus Verchantianis emigravimus, eheu non pari numero exeuntes atque eramus ingressi. Abes enim abes tu, O delicium meum Elizabetha, dum viveres meum gaudium, et utriusque parentis unicum fere solatium. Sed næ, tu beata, O animula sancta, es, quæ mature hanc miseriarum convallem relinquens, mature Deum offendere desiisti. Nos interea Ἄτῃ ob noxas nostras παλαίομεν, et in

hoc universi motu movemur jactamurque. Nihil enim in his κοσμικοῖς ἑδραῖον, nihil vel ad breve tempus fixum aut firmum. Non ergo mirum, quod ex ædibus Verchantianis tam cito emigrandum nobis fuit: quæ quidem dominum mutantes hospitium nos coegerunt mutare. Mutavimus igitur, et ad Rati viri honestissimi domum novam commigravimus. Sed tu, O Deus, O Pater, fac ut sit hæc habitatio felix et fausta. Fac ut novas ædes incolere incipientes veteres peccatorum labes ponamus, et nos iis, ᾗ δυνατὸν ἀνθρώποις, mundemus. Auge in nobis pietatis et sanctimoniæ studium. Da, O Pater, velimus tibi et legi tuæ parere: da et ut possimus. Ναὶ Κύριε σῶσαι ἡμᾶς.

Prid. Kal. Nov. Totum mane a precibus nihil aut parum agendo consumsimus. A prandio docuimus. Θεῷ χάρις.

Kal. Nov. Quem mensem Deus faxit melius collocem, quam superiorem feci. Mane totum literis scribendis et colloquiis amicorum misere periit. Tandem γονυπετήσαντες ad intermissam per multos dies Athenæi operam redire conati, vix quicquam adhuc præstare potuimus. Ναὶ Κύριε ἐλθὲ, καὶ βοήθει.

IV. *Non. Nov.* Mane a precibus libros attigimus; sed quærendis digerendisque libris totum periit, ah miser, tempus. Deinde audita concio. A prandio item concio audita, et studia leniter attigimus. Preces.

III. *Non. Nov.* Mane preces, studia, sed magis

jactura totius temporis ob negotia publica. A prandio docuimus. Studia. Preces.

Prid. Non. Nov. Mane preces: studia. A prandio docuimus. Studuimus. Preces.

Non. Nov. Mane literæ scriptæ. Preces: studia. Concio audita. A prandio negotia. Studia. Preces.

VIII. *Eid. Nov.* Mane in museo Deum venerati, post multos dies serio studere incepimus. A prandio docuimus, studuimus. Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Nov.* Mane serio a precibus studuimus. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

VI. *Eid. Nov.* Mane a precibus ad octavam serio. Inde ad disputationes medicorum ivimus. A prandio studuimus quod licuit. Preces.

V. *Eid. Nov.* Mane a precibus τὰ ἐγκύκλια die sacro, et inde concio. A prandio studuimus dum licuit. Preces.

IV. *Eid. Nov.* Mane preces: studia. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

III. *Eid. Nov.* Mane preces, τὰ ἐγκύκλια. A prandio amici, ut nec studere multum, neque eo die docere potuerimus.

Prid. Eid. Nov. A quarta in museo Deum venerati, serio in Athenæo fuimus. Inde ad vesperam fere temporis jacturam fecimus, O miseri. Preces.

Eid. Nov. Summo mane in museo precati, cepimus studiis operam dare, sed partim literis scribendis, partim amicorum colloquiis sumus impediti. Κύριε βοήθει.

XVIII. *Kal. Dec.* Mane preces, et τὰ ἐγκύκλια: docuimus a prandio. Studuimus et viximus. Vivere enim studere est. Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Dec.* Mane a precibus τὰ ἐγκύκλια. A prandio sine ullo majore impedimento studuimus, et Deo Opt. Max. gratias egimus. Preces.

XVI. *Kal. Dec.* Mane τὰ ἐγκύκλια die sacro usque ad concionem a precibus.

XV. *Kal. Dec.* Mane τὰ ἐγκύκλια a precibus. A prandio studuimus, et Hippocratis Ὅρκον publice interpretari instituimus. Preces.

XIV. *Kal. Dec.* Preces, et τὰ ἐγκύκλια. A prandio occupationes totum tempus abstulerunt, eheu. Preces.

XIII. *Kal. Dec.* Preces, et τὰ ἐγκύκλια ad octavam: inde concio sacra, et ex eo totus dies misere absumtus publicis occupationibus. Eheu, eheu. Sic vita truditur, et ita adimitur nobis vivendi, hoc est, discendi facultas. Sed tu, O Domine, ades, et συλλάμβανε.

XII. *Kal. Dec.* Mane a precibus studia, et meditatio de lectione. A meridie ad quartam totum tempus ab amicis parum æquis ereptum. O Deus, fac, ut otio aliquando fruar meliore, ad scrutanda verbi tui arcana et tibi fideliter inserviendum. Preces.

XI. *Kal. Dec.* Preces. Post quartam absoluto libro quinto Athenæi, ad sextum venimus, quem cum cæteris ut possim absolvere et operam stu-

diosis profuturam præstare supplex, O Pater ingeniorum, te veneror.

X. *Kal. Dec.* Mane a precibus serio versati sumus in studiis, et Athenæum aliquot gravibus mendis purgavimus. Sumus enim in eo toti nunc. Atque hic totus fere dies meus fuit: hodie vixi, et horas non multas amisi. O Pater, tu hæc nobis otia facis. O Pater, da nobis ut benignitate hac tua recte utamur; tempus bene collocemus; tibi toto pectoris affectu serviamus; et uxori ac liberis exempla pietatis atque omnium virtutum præbeamus. Exaudi, O Pater, per Filium tuum Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat, imperat.

IX. *Kal. Dec* Mane literæ scriptæ ad amicos; inde preces, et ambulatio extra urbem ad prædium clarissimi Sarraceni. Inde reversi, in literis quod licuit, fuimus. Preces.

VIII. *Kal. Dec.* Mane a precibus *τὰ ἐγκύκλια.* Sed ob libri unius de Rep. Spart. jacturam maxima pars temporis periit, dum frustra quærimus. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

VII. *Kal. Dec.* Mane preces. *τὰ ἐγκύκλια.* Docuimus, studuimus. Preces.

VI. *Kal. Dec.* Mane preces. *τὰ ἐγκύκλια* ad concionem sacram, cui interfuimus. A prandio studuimus tuo, O Deus salutis meæ, beneficio. Preces.

V. *Kal. Dec.* Mane preces, et *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio docuimus, studuimus. Preces.

IV. *Kal. Dec.* Mane preces, et τὰ ἐγκύκλια. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

III. *Kal. Dec.* Mane preces: et studia ἐγκύκλια, sed totum a prandio tempus periit. Ah quoties hoc cogimur conqueri? quoties amicos parum amicos experimur? Sed tu, O Deus, medere huic cæterisque majoribus incommodis. Preces.

Prid. Kal. Dec. Mane τὰ ἐγκύκλια die sacro post preces usque ad concionem. Inde a prandio amici, studia. Preces.

Kal. Dec. Hora tertia surreximus, statimque in museum nos abdidimus, ibique Deum Opt. Max. prece supplici venerati, et de more auspicati diem e sacrorum lectione, ad Athenæum postea nos contulimus. Da vero, Pater clementissime, ut et mensem hunc, et vitæ totum quod superest tempus pie sancteque degam, spartamque meam sic ornem, ut ex nostris vigiliis ad ecclesiam tuam aliquis tandem fructus redeat. γένοιτο, γένοιτο. A prandio docuimus, studuimus, literas scripsimus: semper enim aliqua ex parte a studiis avocamur. Tu, Domine, ades et adjuva.

IV. *Non. Dec.* Mane a precibus τὰ ἐγκύκλια. A prandio docuimus, studuimus. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Dec.* Serius in museum: καὶ γονυπετήσαντες literis scribendis fuimus occupati.

Prid. Non. Dec. Ob literas sero in museum venimus, et γονυπετήσαντες studere incepimus, magis quam studuimus. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

Non. Dec. Ante horam secundam surreximus, et statim Deum venerati, ad studia ἐγκύκλια nos contulimus ad decimam instantem. Tuo id, Pater cælestis, tuo beneficio factum, ut hodie non infeliciter in studiis versarer. Quas igitur ego tibi, Pater cælestis, gratias referam? Tuum nempe nomen καδδύναμιν laudabo, et tibi pura mente inservire, tuumque cultum liberos docere, dum ero, conabor. Sed tu, O Pater, ades et adjuva: imo finge mihi et meis cor purum, mundum, sanctum, tibique penitus καθωσιωμένον. Exaudi, ὦ ὑπεράρρητε Θεός.

VIII. *Eid. Dec.* Mane serius museum ingressi, et Deum venerati, studuimus. Sed a prandio totum fere tempus amisimus. Preces.

VII. *Eid. Dec.* Serius ad musas paullo venimus, καὶ γονυπετήσαντες ad concionem usque studuimus. A prandio fere amici nos habuere studiis nostris parum æqui. Preces.

VI. *Eid. Dec.* Mane τὰ ἐγκύκλια post preces. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

V. *Eid. Dec.* Post sextam museum ingressi et precati Deum Opt. Max. studia ἐγκύκλια tractavimus.

IV. *Eid. Dec.* Mane serius: a precibus τὰ ἐγκύκλια ad concionem. Inde totum fere tempus cum amicis transactum. Preces.

III. *Eid. Dec.* Mane a precibus τὰ ἐγκύκλια. A prandio docuimus, studuimus. Preces. Hodie absolutis in sextum Athenæi animadversionibus

ad septimum transii. Quod priorem absolverim, gratias ago tibi, O Pater clementissime. Ut septimum et qui supersunt omnes absolvam, te supplici prece veneror. Da hoc mihi, Pater cælestis, ut liberatus ea cura melioribus studiis et plus fortasse piis mentibus profuturis possim vacare. O Domine, ades, et me in omnibus rege, et mea ac meorum peccata tege per Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto regnat, æternumque regnabit. Γένοιτο.

Prid. Eid. Dec. Mane τὰ ἐγκύκλια a precibus. Deinde a prandio docuimus, studuimus. Preces.

Eid. Dec. Serius in museum, ubi post γουνκλισίαν, τὰ ἐγκύκλια. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

XIX. *Kal. Jan.* Serius in museum, et a precibus ad concionem τὰ ἐγκύκλια die sacro. A prandio studuimus. Preces.

XVIII. *Kal. Jan.* Ante sextam, ah quam sero, museum ingressi, γουνπετήσαντες τοῖς ἐγκυκλίοις animum adjecimus; docuimus, studuimus. Preces.

XVII. *Kal. Jan.* Ante sextam. Preces: τὰ ἐγκύκλια. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

XVI. *Kal. Jan.* Sero, ah sero, ob scriptas ad multam noctem literas: ita studiis amici præsentes, absentes nocent. Preces. Τὰ ἐγκύκλια ad concionem. Inde studuimus quantum licuit ad preces.

XV. *Kal. Jan.* Mane precati studuimus ad lectionem, docuimus enim; etstuduimus iterum. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Jan.* Serius ob summum frigus. Preces: *καὶ τὰ ἐγκύκλια.* Docuimus hodie postremum hoc anno. Nam et feriæ instantes, et Athenæus, et eorum negligentia quibus prodesse volumus, admonent nos ut a lectionibus et recitationibus supersedeamus. Ita speramus σὺν Θεῷ ante Kal. Jan. posse ad umbilicum perduci septimum Athenæi librum. Te supplices veneramur, O Lux mundi, O spes unica nostra, des hoc nobis, ut et totum id tempus et omnem vitam bene collocare studeam, et, te favente, possim. Da ut, expurgato semel Athenæo, moliri aliquid quod propius ad laudem tuam spectet, possim. Γένοιτο, γένοιτο.

XIII. *Kal. Jan.* Mane paullo serius, ut semper, aut sæpius certe quam vellem. Totum mane Dei benignitate nostra egimus; a prandio fere nihil quod vellem.

XII. *Kal. Jan.* Ante quartam surreximus occasione maxime incendii, quo domus integra cum duabus ancillis deflagravit. Domine, fac pro tua benignitate, ut hujusmodi exemplis ad veram pietatem et fiduciam in uno et solo roboremur ego, meique omnes, et subinde excitemur. Sex septem horis prius alia item ancilla, dum in meatu quodam subterraneo, unde egesta terra fuit, sabulum quærit ad suppellectilis munditiès, pendentis supra caput terræ, quam digitis scalpebat, ruina repentina oppressa et obruta est. Museum ingressi καὶ γονυπετήσαντες tractavimus τὰ ἐγκύκλια ad concionem. A prandio partim

amici, partim studia theologica nos habuere. Preces.

XI. X. *Kal. Jan.* Preces: τὰ ἐγκύκλια; a prandio item. Preces.

IX. *Kal. Jan.* Preces: τὰ ἐγκύκλια ad concionem cui interfuimus. A prandio amici, et quod potuimus, studuimus; non sine dolore animi ob internam et tibi, O Deus, notam caussam. Domine, fateor ita maritam esse meam, ut quæ allevationi et auxilio esse debet, sit interdum studiis nostris impedimento. Scis tamen, O Pater, quantam morositatem quo animo feram dum illud unice vereor ne semel principium aliquod discordiæ in utriusque mentem penetret. Supplex te, Pater clementissime, veneror, regas Sancto Spiritu tuo utrumque et utriusque voluntates; tuæ semper congruentes facias in unum perpetuo convenire. Exaudi, O Pater, per Jesum Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat, vivet, regnabit æternum.

VIII. *Kal. Jan.* Mane studia a precibus, et toto die quantum per impedimenta molestissima fieri potuit. Preces.

VII. *Kal. Jan.* Post sextam et vix ante septimam museum, proh dolor, sumus ingressi. Preces. studui. Preces.

VI. *Kal. Jan.* Mane preces: et τὰ ἐγκύκλια ad concionem usque, unde reversi et pransi totum diem literis scribendis occupavimus. Preces.

V. *Kal. Jan.* Mane a precibus et brevi in museo

mora ad sacram σύναξιν accessimus, Domini nostri Jesu Christi natales celebraturi et sanctæ illius cœnæ communicaturi. Gratias tibi, O Pater cælestis, maximas ago, quod in hac rerum omnium perturbatione, in hac rutuba liberam hujus rei facultatem nobis concedis. Non omnibus, etiam melioribus longe nobis, tantum hoc beneficium contingit, aut tam facile. Fac igitur, Pater clementissime, æterne Deus, vigeat semper recens in animo nostro tuorum infinitorum beneficiorum memoria, ut quo illa sunt majora, eo diligentius conemur efficere, ne iis penitus indigni possimus videri. Exaudi, Deus æterne, Θεὸς ὑπεράρρητε, ὑπεράγαθε, per Jesum Christum unigenitum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat, vivet, regnabit ab æterno in æternum. Amen.

IV. *Kal. Jan.* Totus hic dies scribendis literis exhaustus. Preces.

III. *Kal. Jan.* Et hic dies partim scribendis, partim tradendis literis, et visendis amicis periit. Deus, ne sinas ut multi sic effluant. Leniter libros inspeximus. Preces.

Prid. Kal. Jan. Post sextam surreximus ob præcedentem vigiliam. Inde museum ingressi, Deum Opt. Max. prece venerati, quod ad ultimum hujus anni diem nos salvos et incolumes perduxisset; libros et τὰ ἐγκύκλια attigimus ad concionem usque cui interfuimus. A prandio amici, et studia ut potuimus.

Ita ad umbilicum perductus hic annus XCVII

tuo, O Deus æterne, beneficio. Tu nos ab infinitis incommodis servasti; tu fecisti salvos et incolumes ad hunc diem pervenire; tu familiam filiola minuisti charissima, suavissima et jucundissima. Sed et filiolam idem dedisti, O Pater, futuram olim, te juvante, gloriæ tuæ instrumentum et parentum suorum pium oblectamentum. Quid igitur superest, Pater clementissime, nisi ut pro tot et tantis beneficiis a te acceptis me ipsum tibi offeram, et numini cultuique tuo me totum dedam. Ego vero faciam, si potero: hoc est, si patiatur carnis *ἀσθένεια*, totus tota mente tuum nomen colam, et sacrosanctam *ἐν μονάδι τριάδα* casto animo venerabor. O Domine, O Pater, *συλλάμβανέ μοι, καὶ εἰς ὁδὸν σωτηρίας καὶ ἐμὲ καὶ τοὺς ἐμοὺς ὁδήγει. Γένοιτο, γένοιτο.*

A. CIƆ IƆXCVIII.

Kal. Jan. Quod felix et faustum velis esse, O Deus salutis meæ, annum hunc hodie inchoavimus. Ac primo numen tuum venerati, et in museo aliquandiu morati, ad sacram accessimus *σύναξιν*. Unde enim potius quam a cultu tuo, Deus æterne, ordiamur? In ea concione amici Leonardi infantem sacro baptismo obtulimus et Isaacum nominavimus. Idem hic dies non leve aliud divinæ beneficentiæ testimonium habuit, munus enim datum nobis a nobili Germano non pœnitendum. Quod si mea et meorum non obstent peccata, spero et in annum totum beneficentiam divinam per quam unam stetimus hactenus,

et in omnem vitam meam et meorum duraturam. Sed, O Deus immortalis, tu, qui nos fecisti, refice: qui creasti, recrea, et *ἱκάνωσον πρὸς τὰ θεῖα χαρίσματα*. Da mihi, da charissimæ uxori, ut vitæ quod superest in timore tui et bonorum operum *ἐνεργείᾳ* traducamus. Da liberis nostris ut in pietate, virtute et *πάσῃ τῇ ἐλευθερίᾳ ἀγωγῇ* educati mature te vereri et colere addiscant, et quod didicerint reapse præstent. Exaudi mea vota, O qui cælum et terras nutu temperas, per Jesum Christum Filium tuum qui tibi *ὁμοούσιος* tecum et Spiritu tuo Sancto *ἀπ᾽ αἰῶνος εἰς αἰῶνας* regnabit. אמן ואמן.

Ista die hoc accidit. Mane venit ad me amicus pecuniæ aliquam summam mutuo petens. Respondi, rediret post paucas horas, me daturum. Erat multis modis incommodum eam dare, et sine damno rei familiaris fieri non poterat. Sed in re arcta amicum deserere nefas. Ecce autem antequam hora condicta veniret, decuplum ejus summæ et multo amplius plane inopinatum, plane *θεόπεμπτον*, in manus venit. Non igitur de meo, Deus æterne, sed de tuo, largitus sum amico, quæ ei dedi. Gratias etiam necesse est habeam viro docto Johanni de Rieu Rhutenorum Præsidi, qui amore studiorum nostrorum, Deo faciente, honesto munere nos hodie affecit.

IV. *Non. Jan.* Mane *τὰ ἐγκύκλια* a precibus ad prandium: inde iterum studia ad sextam; cœna, amici. Preces.

III. *Non. Jan.* Mane preces: et τὰ ἐγκύκλια. A prandio negotia et studia. Preces.

Prid. Non. Jan. Mane studia ad concionem: sed mature amici, etiam ante concionem, impedimento nobis fuere: et a prandio quoque multum temporis publica negotia eripuerunt. Preces.

Non. Jan. Ante quartam surreximus, et statim in museum nos abdidimus, et post sacram de more lectionem cum Hieronymo diu fuimus. O doctum virum! O eruditum pectus! Quid enim doctius, quid eruditius altero contra Justinianum libro? Hoc lætissimum diei principium turbarunt deinde multa. Vix enim Athenæum in manus ceperam, et venit ad me Petrus ex sorore majore natus. Petit se dimittam, et faciam redeundi ad suos potestatem: amplius enim nobiscum habitare non posse. Quid multa? cum neque hortando neque minando proficerem, dedi ad sororis maritum literas testes mei erga hunc juvenem animi. Et scis tu, καρδιογνῶστα Deus, quam mihi semper fuerit jucundum meis prodesse, dum tua recolo mandata, dum pii patris ἐντολὰς etiam post ejus obitum in animo servo, dum optimæ matri cupio satisfacere. Ita factum ut tot jam annos hunc ἀδελφιδοῦν domi habuerim, aluerim, docuerim, aut docendum curaverim. Utinam non omnis opera (nam de impensa etsi magna parum curo) male collocata tandem appareat. Utinam hic tam inconsideratus ejus discessus piæ matri dolorem aliquem non afferat, quod dum metuo pæne do-

lore morior. Idque ne fiat per Jesum Christum te supplex veneror, Pater clementissime. Recte autem dicitur mala esse concatenata. Cum maxime isto nomine dolerem, ecce nuntium de obitu infantis Leonardi mei; illius, inquam, infantis, quem Kal. Jan. baptismo obtuleram. Hujus igitur τεκνίου dum funus acerbum ducimus, dum amicis nos præbemus et aures nostras, dies effluit totus ὀλίγου δεῖν mihi inutilis. Hæc vitæ conditio.

VIII. *Eid. Jan.* Mane preces: studia ἐγκύκλια. A prandio itidem. Preces.

VII. *Eid. Jan.* Mane preces et studia: sed et literæ ad D. de Vic scriptæ, et toto die multum temporis per amicos periit. Preces.

VI. *Eid. Jan.* Sero admodum e stratis hodie ob insomniam, quæ præcedente nocte accidit propter furtum in vicinia commissum, quod nos turbavit admodum. Viduæ Bonfilii τὸν νεωστὶ τεθνηκότα σύγγαμον οὐ μάλα τι, ὡς φασὶ, ποθούσῃ οὐδὲ πενθησάσῃ veri luctus caussa data est sublato maximi pretii muliebri mundo. Atqui domus bene munita, et, ut videbatur, a furibus nocturnis tuta. Sed nihil satis tutum, nisi quod a te servatur, O sola et unica salus. Illa igitur aurum amissum serio nec fictis lacrymis luget, nosque docet in eo spem omnem et fiduciam nostram ponere, qui vera rupis est, in æternum immobilis. Ille si nos servare dignabitur, quis obesse, quis fraude ulla circumscribere, quis ullo modo lædere poterit? Si ejus aberit custodia, frustra prudentiæ aut dili-

gentiæ nostræ confidemus. Serva vero et custodi me et meam et meos omnes, Pater clementissime, et nos tutos præsta non ab iis tantum qui corpori aut bonis nocere possunt, et ut noceant student; verum etiam et multo quidem magis ab internis animi periculis, ut mente pura et sincera te colamus, te laudemus, te semper et unum cogitemus. Γένοιτο, γένοιτο.

v. *Eid. Jan.* Mane a precibus τὰ ἐγκύκλια; et a prandio. Preces.

iv. *Eid. Jan.* Mane in museum serius venimus, cum pridie ad multam noctem jucundissimos cum Johanne Serrano sermones de literis et pietate habuissemus. Igitur Deum venerati, absolvimus tandem librum Athenæi septimum recensere, et ad octavum transitum fecimus. Quem ut feliciter inchoare et feliciter detexere possimus, te, mi Deus, pro tua infinita benignitate oro supplex quæsoque. Da Pater, et hoc largire, ut cura ea liberati, alia curemus meliora, et ex quibus non doctiores sed meliores fiamus.

iii. *Eid. Jan.* Cum pridie post sextam museo exiissemus, nec post cœnam in illud ascendissemus, hodie post sextam, hei mihi, illud idem sumus ingressi. O jacturam temporis, O damnum studiorum. Quod potuimus, ut die sacro, studuimus. Concionem audivimus: Deum venerati supplici prece sumus.

Prid. Eid. Jan. Quarta in museum venimus; et toto mane τὰ ἐγκύκλια fecimus, quantum per

amicos licuit studiis nostris parum æquos. A prandio Plauti Capteivos publice interpretari cœpimus. Non esse illum auctorem susceptum a nobis proprio consilio, sed rogatu eorum quorum studiis prodesse tenemur, scis ipse, Pater cælestis, qui intima animi mei perspicis, et quæ potissimum studia nobis cordi sint, scis et vides. Supplex te oro, Deus immortalis, sic nos et linguam nostram regas, ut api similes ex his spinis mel decerpamus, et juventuti propinemus ad nominis tui gloriam et ipsorum utilitatem. Preces.

Eid. Jan. Et serius in museum veni, et pars magna nihil agendo inter amicos periit. Preces. Docuimus. Preces.

XIX. *Kal. Feb.* A sexta ad septimam museo afuimus. Preces: et *τὰ ἐγκύκλια* a prandio, et vapide nos habuimus. Preces.

XVIII. *Kal. Feb.* Ante septimam vix ingressi sumus museum ob languorem prioris diei. Studia. Preces.

XVII. *Kal. Feb.* Mane *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio docuimus, studuimus. Preces.

XVI. *Kal. Feb.* Mane sero admodum in museum venimus ob uxoris pridianam *ἀσθένειαν καὶ ἀρρωστίαν.* Ubi venimus, et Deum sumus venerati, dolium urgere cepimus, hoc est in Athenæo fuimus totum diem, et aliquantum Dei benignitate promovimus. Preces.

XV. *Kal. Feb.* Mane a quinta ad octavam in museo. Inde ad concionem. Reliquum diei cum

amicis et studiis sed non æquis partibus divisum. Preces.

XIV. *Kal. Feb.* Mane sero, ah sero, ob pridianam cum amicis confabulationem: *τοῦ λοιποῦ τὰ ἐγκύκλια, Θεοῦ χάριτι.*

XIII. *Kal. Feb.* Post quintam in museum venimus, et Dei benignitate in Athenæo aliquantum promovimus.

XII. *Kal. Feb.* Mane ad octavam a precibus ad concionem usque cui interfui *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio Latara visimus, et quod potuimus studuimus. Preces.

XI. *Kal. Feb.* Mane *Θεοῦ χάριτι* in studiis ad prandium, atque inde ad lectionem. Preces.

X. *Kal. Feb.* Sero, ah sero, in museum nos recepimus variis de caussis. Studuimus tamen et docuimus tua, Pater cælestis, benignitate: tibi gratias.

IX. *Kal. Feb.* Et hodie non nimis moræ. Preces: et *τὰ ἐγκύκλια* toto die. Preces.

VIII. *Kal. Feb.* Mane preces: et ad decimam diligens in Athenæo opera. Inde prandium et concio meridiana. Postea iterum studia, et Athenæus, cujus librum octavum hodie recensere absolvi, Deus mi, beneficio tuo, qui in hac rutuba et rerum omnium perturbatione, otia tamen mihi facis, et ut studiis vacem animo sereno ac quieto præstas. O quantum hoc beneficium est, mi Pater, mi Rex, mi Domine. Fac vero Deus Opt. Max. pro tua infinita benignitate, ut te laudare et

pia mente colere totus studeam, et nunquam desinam, qui tuis beneficiis maximis quotidie tibi *πάλιν αὖ καὶ πάλιν* adstringar. Serva me et uxorem ac liberos ab omni, mi Deus, incommodo; præsertim autem *ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*. Da hoc nobis omnibus, Pater clementissime, ut novi quotidie pietatis igniculi in nobis excitentur, omniaque ut facta, dicta nostra omnino ad nominis tui gloriam, ecclesiæ *οἰκοδόμησιν* et salutem nostram referantur. Amen: iterum amen.

VII. *Kal. Feb.* Mane ab invocatione tui, O Pater, diem orsi, post solennem auspicationem studiorum a sacræ paginæ lectione, ad Athenæum recensendum animum appulimus, et nonum inchoavimus. Quod si quatuor quotidie paginas recensere, ut optamus, et favente Deo speramus, poterimus, hoc opus posse perfici videtur cis paucos menses. Atque utinam ita fiat, ut molestissimo labore defuncti alia curare possimus. Supplex hoc te, Pater cælestis, oro: tu enim solus, qui nobis vires suggeris, et otia præstas: tibi honos et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.*

VI. *Kal. Feb.* Toto die per Dei Opt. Max. benignitatem studia sine magna interruptione, nisi quod docuimus: et id tuo beneficio, Pater cælestis. Gratias igitur tibi.

V. *Kal. Feb.* A quinta fere ad octavam Dei benignitate studuimus. Dein concioni interfuimus. A prandio studuimus, et tibi, O Deus, gratias egimus, agimus.

IV. *Kal. Feb.* Studuimus animo quieto, Dei immortalis beneficio: docuimus, et iterum studuimus, multumque in Athenæo promovimus. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Feb.* Et hodie studuimus, docuimus, tuo, Deus æterne, munere.

Prid. Kal. Feb. Studuimus quantum per domesticas sollicitudines licuit, et ordinarium in instituto opere pensum exegimus. Atque ita benignitate tua, O Deus salutis meæ, primum mensem anni hujus exegi, valens ipse, valente uxore, valentibus liberis. Domine mi, quas ego possum tibi gratias pares beneficiis tuis agere? Quin illud te potius oro et supplex veneror, ut reliquo anno toto, imo vitæ integro spatio, nobis benedicere per Jesum Christum Filium tuum pergas. Γένοιτο, γένοιτο.

Kal. Feb. Libri a precibus ad concionem leniter tractati: a concione et a prandio amici fere habuerunt: quod potuimus, otiosi non fuimus.

IIII. *Non. Feb.* Cum de more in museum me recepissem, et mœsto animo, nescio quare, essem, ecce, postquam γονυπετήσας ad studia me adcinxi, nuntius affertur mihi de obitu charissimi capitis et quondam clarissimi, Henrici Stephani. Lugduni obiit ὁ μακαρίτης, procul domo, tanquam aliquis ἀνέστιος, qui domum Genevæ amplam habebat; procul ab uxore, qui uxorem matronam castissimam habebat; procul a liberis, qui habebat quatuor adhuc superstites. Dolendum: dolen-

dum ac quidem impensius, quod nulla necessaria de caussa ὁ μακαρίτης domo aberat. Homunculi quid sumus, cum recogito, mi Stephane, mi Stephane, ἐξ οἵων εἰς οἷα? Tu, qui poteras inter ordinis tui homines primas sine controversia tenere, maluisti dejici, quam stare. Tu, qui opes a patre tibi relictas amplissimas habuisti, maluisti istas amittere quam servare. Tu, qui a divino Numine excitatus fueras, ut literas præsertim Græcas unus omnium optime intelligeres, ut ornares, maluisti alia curare, quam τὴν σπάρταν κοσμεῖν. Non hoc tuo, mi Stephane, sed humani ingenii vitio factum. Paucis enim datum est sua bona bene nosse, et iis probe uti. Quanquam tu quidem, vir magne, optime usus es juvenis, deque literis ita es meritus, ut pauci tecum jure componi possint, vix quisquam anteponi. Magnum sane, vir magne, in utramque partem exemplum te præbuisti. Atque utinam faxit Deus, ut virtutes tuas, vigilantiam, et indefessum illud studium ego et mei imitemur. Nævi si qui fuerunt, ut quod abesse domo semper quam adesse malueris, iis ne maculari nos sinamus. Supplex etiam te veneror, Deus æterne, ut liberos superstites, et familiam totam Stephanicam cura tua digneris, et in pietate florere omnibusque virtutibus velis. Uxorem præsertim tibi meam, O Deus, commendo; quæ nunc morbo languens, si patris de obitu resciverit, quos edet ejulatus, quas lamentationes? Solare tu igitur illam, Pater mi-

sericordiarum, qui solus potes, et nos conspirare ambos in amore cultuque tui semper face cum charissimis quos dedisti liberis. Amen.

III. *Non. Feb.* Ob languorem uxoris et morbum docuimus parum; at docuimus tamen et hodie et heri. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Feb. Et hoc die uxoris morbus a studiis plurimum nos avocavit. Docuimus, et τὸ καδδύναμιν præstitimus Θεοῦ χάριτι. Sed ecce novam studiorum et conatuum nostrorum pausam. Nam ea nocte quæ diem hunc secuta repente in stratis febri sumus correpti. Ingens quippe e cerebro distillatio delapsa in τὰ προστηθίδια fauces pene occluserat et meatum spiritus incluserat. Videbatur gravior initio morbus futurus. Sed usi mature medici opera, beneficio Numinis in lecto saltem diu non stertuimus. Ipso enim die VI. Eid. Feb. in museum ascendimus, et hæc paucula saltem exaravimus, ut extet etiam hoc infinitæ benignitatis tuæ in me et meos testimonium. Extet vero recens hoc tuæ curæ et amoris erga nos argumentum in animo meo et meorum semper recens, ut tanto vehementiore affectu, tantoque impensius, omnes tuum, æterne Deus, numen colamus et sancte veneremur. Γένοιτο, γένοιτο. Superest jam magnus agon in uxore, cum de obitu sui parentis resciverit, solanda. Sed aderis iterum tu, magne Deus, et primum morbis istis, quibus adhuc afficimur ambo, primum si ita tibi placuerit, nos levabis: deinde illi cor finges se-

cundum voluntatem tuam. O exaudi, Pater. At interea Athenæus quid? Sperabam ab incepto nono libro ad ejusdem finem vix dies totos decem positurum; propius factum nihil. Nam decima die omnia præter unam paginam erant recensita. Illa pagina misella quartum jam diem expectat operam nostram, nec caussam tamen adhuc mutare potest. O vana hominum incepta. In te spero tamen, O Deus, ac confido, exitum hujus operis ut videam daturum te mihi. Γένοιτο ὦ Πάτερ.

IV. *Eid. Feb.* Sero ob vim tussis surreximus. Libros hoc die salutare serio incepturi eramus σὺν Θεῷ, si per amicos et languorem animi et corporis licuisset. Rediimus tamen ad Athenæum, et nono finem imposuimus; statimque ad decimum fecimus transitum. Ades, O Deus, mihi meisque.

III. *Eid. Feb.* Dei beneficio non totum tempus periit. Θεῷ χάρις.

Prid. Eid. Feb. Mane ad concionem ivimus, libros leniter ante prandium inspeximus. A prandio acceptis literis a Sarraceno, uxorem dilectissimam obitum pii sui parentis feci ut sciret. Ejulare illa et fundere ubertim lacrimas. Sed Deus solabitur, quod ut facias, O salutis meæ anchora, supplex te per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum veneror. Hoc die de morte Hieronymi Commelini, qui peste post uxorem et liberos est extinctus, rescivi. O magnam rei literariæ jacturam.

Tune igitur, mi Deus, barbariem inducere paras? Et merito tu quidem succenses iis, qui partim luce literarum uti noluerunt, partim male usi sunt. Præsidium certe literæ amiserunt, ego amicum charissimum. Sed mihi Θεὸς τὰ πάντα.

Eid. Feb. Quod vertat Deus bene, paullo maturius ad solennia studiorum et διδασκαλίας redii. Docuimus, studuimus, et in Athenæo plurimum promovimus tuo, Deus æterne, beneficio.

XVI. *Kal. Mar.* Mane τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio. A prandio amici iniquiores studiis meis quam vel inimici. Preces.

XV. *Kal. Mar.* Mane studia a precibus ad prandium: inde concio, et, quantum per amicos licuit, studia. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Mar.* Mane studia, a prandio docuimus, studuimus, literas scripsimus Deum venerati, quod hæc nobis otia præstaret.

XIII. *Kal. Mar.* Mane preces et studia: a prandio studuimus, docuimus, et iterum a lectione studuimus, magnoque conatu effecimus ut Athenæi librum decimum hodie recensere absolveremus. Atque ita annum vitæ nostræ trigesimum nonum exegimus. Dies namque hic Februarii decimus septimus est, qui ante annos triginta novem præcessit nostrum natalem. Ecquas igitur, O Pater clementissime, et indulgentissime, ecquas tibi gratias agam pro tantis, pro tam innumerabilibus beneficiis quibus toto hoc triginta novem annorum spatio sum a te ὁσημέραι affectus? quo-

rum si numerum inire instituam, frustra sim: ψαμμακοσιογάργαρα enim sunt τὸν ἀριθμόν: magnitudine οὐρανομήκη. Quando igitur, O Pater, ne æstimare quidem tua χαρίσματα possum, quibus sentio me obrui, accipe, obsecro te, Pater, accipe ingenuam hanc ἀδυναμίας meæ confessionem loco ἀξίας εὐχαριστίας. Fateor enim, O Deus salutis meæ, et fateor ex animo, indignum esse me, imo indignissimum tuo auxilio et favore. At tu benignitate illa tua infinita, et humano ingenio ἀπεριλήπτῳ certasti cum nostra infirmitate, ac vicisti. Desiisti enim nunquam benefacere nobis, qui tibi, ut oportebat, obedire necdum satis cepimus. Faciemus, O Pater, si tu animum nobis dederis finxerisque tuæ sanctissimæ voluntati per omnia consonum, terrenum nihil, sed θεῖα omnia spirantem. Quod ut facias supplex te veneror, Pater cælestis, et obtestor per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum τὸν μονογενῆ, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit et regnat ἀπ' αἰῶνος εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

ANNUS VITÆ XL^us.

Feb. dies XVIII. Hic ille est dies, qui ante annos novem et triginta nascentem me vidit. Ac fateor equidem, vixdum satis pro eo ac debui cogitasse me in quem natus sim finem: aut, si cogitavi, non præstiti tamen quod debui, πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Te igitur, Pater cælestis, oro supplex venerorque, ut quæ præterita sunt tegas, quod superest vitæ regas. Inde animo meo veram pietatem et sincerum

amorem tui metumque; illustra mentem caliginosam radiis lucis tuæ, ut te cognoscam ᾗ θέμις θνητῷ τὸν ἀθάνατον; ut in legis tuæ meditatione et lectione serio et cum fructu incumbam; non ut doctior, sed ut melior et εὐσεβέστερος in dies fiam, totam denique vitam nostram, omnia facta, dicta, cogitationes ipsas nostras ex verbi tui norma ut dirigam face. Studia etiam nostra, O Pater ingeniorum, adjuva. Da valetudinem, da otium et aliquam ῥαστώνην ad ornandam spartam necessariam. Iterum igitur te supplex oro, ut piæ matri, dilectissimæ conjugi, charissimis liberis et sororibus quoque benedicas per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum τὸν μονογενῆ, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat, vivet, regnabit לעולם. Mane totum literis scribendis periit, nisi quod concioni sacræ interfuimus; a prandio amici, et studia leniter. Undecimum Athenæi hodie sumus aggressi. Da Pater, et hujus et cæterorum finem videam.

Feb. die XIX. Totum mane periit misere literis scribendis ad amicos Parisienses; eas Joh. Serrano tradidi qui fidem et diligentiam pollicitus est in quibusdam Lutetiæ nobis curandis negotiis. Spem enim regiæ nescio cujus munificentiæ faciunt amici. Sed mihi omnia τὰ ἐκεῖθεν vana et fallacia videntur. Si quid tamen amici me prope inscio, certe non valde curante, effecerint, id totum tuæ, O Pater, benignitati acceptum feram. Mihi sufficit ἡ Θεοῦ χάρις, τὰ καθ' ἡμέραν χορηγοῦσα, nisi quod

charissimi liberi aurem sæpe vellunt. Deus ades mihi et illis, et omnia bona aderunt. A prandio docuimus, studuimus, Dei beneficio.

Feb. XXI. Mane vapide me habens studia leniter tractavi: a prandio lenissime; amici; munus docendi; amici, et vix inspecti toto die libri. Proh dolor. Deus mi, ades.

Feb. XXII. Sero ob vigiliam ex vehementi tussi surreximus, et vix ante septimam, O dolor, ad libros venimus. Totum mane studuimus Dei beneficio; totum tempus pomeridianum pene amisimus per amicos. O dolor. ἐλθὲ Κύριε.

Feb. XXIII. Sat mane in museo, ubi ad concionem, studia tractavimus Θεοῦ χάριτι· a concione ad prandium iterum studia. Sed totum tempus pomeridianum amici rapuerunt invito et gementi.

Feb. XXIV. Studia mane Dei beneficio. A prandio amici, munus docendi: studia.

Feb. XXV. Mane studia per Dei benignitatem. A prandio docuimus, studuimus, Dei æterni æternum prædicando beneficio.

Feb. XXVI. Mane studuimus Θεοῦ χάριτι. A prandio, et docuimus, et studuimus, tuo, O Deus salutis meæ, beneficio.

Feb. XXVII. Mane studuimus Θεοῦ χάριτι. A prandio docuimus, et studuimus. Preces.

Feb. XXVIII. Hic postremus dies Februarii quo extare voluisti, O Deus, O Pater, singulare exemplum curæ tuæ nostri. Hærebat nostra in vado navis: caussam scis ipse, mi Deus, liberasti τὸ νῦν

εἶναι, et jussisti esse πρὸς γοῦν τινὰ χρόνον securum. Es tu profecto, Deus æterne, qui humana regis omnia, sed cui præsertim res eorum curæ, qui a te pendent, et se tibi totos consecrabunt. Quoties ego infinitam illam tuam benignitatem tempore necessario, deprehensusque ἐν ἀμηχανίᾳ sum expertus? et quidem sæpe tua ὑπεράρρητος bonitas nostris rebus prospicit ὁδοῖς insperatis et ἀνεξιχνιάστοις. Ut quod hodie accidit. Nam quæ mihi ante hosce dies notitia cum Rhutenorum Præside? Tibi igitur, O Pater, tibi uni gratias ago, agamque supplex, dum ero. Tantum illud adjice, ne me tuis beneficiis ἀριθμοῦ κρείττοσι indignum præbeam. Hoc die undecimum Athenæi recensere absolvi magno beneficio tuo, mi Deus, quem oro supplici prece, des nobis opus totum absolvere tandem, et alia posse tractare ad nominis tui gloriam et salutem nostram. Γένοιτο, γένοιτο.

Kal. Mar. Totus, Dei beneficio, dies studiis et concioni sacræ et valetudinis curæ deditus. Σὴ ἡ χάρις, ὦ Θεός.

VI. *Non. Mar.* Post quintam in museo γονυπετήσαντες, τοῖς ἐγκυκλίοις nos accinximus, et duodecimum Athenæi leniter inspectum die superiore sumus aggressi: da, Pater, et hunc et cæteros absolvam, ad tui nominis gloriam et studiorum publicam utilitatem.

V. *Non. Mar.* Studia ἐγκύκλια, et munus docendi. Θεῷ χάρις.

IV. *Non. Mar.* Studia, concio, item studia per

Dei Opt. Max. benignitatem. Sed, eheu, cum hæc scripsi, nesciebam totum fere tempus pomeridianum mihi esse amittendum iniquitate amicorum.

III. *Non. Mar.* Mane ex parte bene collocatum, Dei beneficio, partim cum amicis nequiter consumtum.

Prid. Non. Mar. Mane studia *Θεοῦ διδόντος*. A prandio docuimus, studuimus. Preces.

Non. Mar. Mane studia acriter, te faciente, mi Deus: sed a prandio quam multum periit temporis?

VIII. *Eid. Mar.* Amico bene merito Rhutenorum Præsidi operam navavi. Inde concio, et *ἐγκύκλια* Hebræa studia leniter inspecta: a prandio amici, et studia. Hoc die duodecimum Athenæi recensere absolvi benignitate tua, O Pater, hunc quoque cumulum prioribus beneficiis addente. Accepi et ab amicis heri hodieque literas, viris magnis quorum animum in me esse perpensum voluisti, mi Pater, tu, et fecisti. Tibi *χάρις καὶ δόξα εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.*

VII. *Eid. Mar.* *Τὰ ἐγκύκλια* et mane et a prandio. Hodie librum decimum tertium Athenæi cepimus recensere, atque utinam industria nostra in alio potius argumento se occuparet. Dolet enim vel legere eas nugas quæ illo libro continentur; trahor tamen et *ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ*, suscepta semel ejus libri emendatione. Te oro supplex, Pater cælestis, per Jesum Christum Filium tuum,

facias ut in his sordibus tractandis animi sordes nullas contraham; discam potius quanta sit nostrorum studiorum vanitas, cum ad scopum verum suum non referuntur. O ades, Deus æterne.

VI. *Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed propter varias literas acceptas et scriptas multum temporis periit, etiam propter colloquia cum Fabio senatore Genevensi. Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Mar.* Studuimus, et literas scripsimus, atque hoc magis, quod dolet. Κύριε βοήθει.

IV. *Eid. Mar.* Et hodie amici et literæ totum fere tempus matutinum nobis surripuerunt. Da tandem otium verum, O Pater.

III. *Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια, τὸ γοῦν καδδύναμιν, Θεοῦ χάριτι.

Prid. Eid. Mar. Mane, et totus fere dies, literis scribendis, visendis amicis, et id genus officiis impensum: reliquum Dei beneficio studiis datum.

Eid. Mar. Die sacro, literis scribendis vel inviti fuimus occupati: inde studia Hebraica de more, et Hieronymi lectio: sub vesperam per Dei gratiam notas ad librum decimum tertium Athenæi absolvimus. ὦ Πάτερ ὑπεράρρητε, εὐχαριστῶ σοι, καὶ τοῦ λοιποῦ δέομαί σου ἐμοὶ βοηθεῖν.

XVII. *Kal. Apr.* Mane τὰ ἐγκύκλια: ad librum decimum quartum Athenæi transitum fecimus. En erit ille dies, cum hac cura perfunctum, O Deus salutis meæ, esse me voles? O si tua benignitas fecerit, ut melioribus posthac studiis totum me possim dedere. Sed tu pro tuo sanctissimo

arbitrio me rege, et studia mea ad rectum finem dirige. Hodie concioni interfuimus.

XVI. *Kal. Apr.* τὰ ἐγκύκλια τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι.

XV. *Kal. Apr.* Mane τὰ ἐγκύκλια usque ad concionem: inde studia, sed studia interrupta, et lenia. Da Pater otium.

XIV. *Kal. Apr.* Mane abstinuimus ab Hebræis ἐγκυκλίοις ex caussa. Domine Deus, fac ne posthac unquam: cætera studia ὁπωσδηποτοῦν.

XIII. *Kal. Apr.* Mane τὰ ἐγκύκλια serio: a prandio amici, et quidam non nimis amici. Da, Pater, otium, et fac aliquando sim alius hic, aut, si hic non potest, alibi.

XII. *Kal. Apr.* Mane studuimus et in Athenæo fuimus non indiligentes. Sed a prandio non pauca nos avocarunt. Atque hæc scribebamus, reputantes animo diem crastinum; quo, si tu voles, Pater cælestis, τῶν ἁγιωτάτων μυστηρίων μεθέξομεν, quæ in tua ecclesia instituisti. Da, Pater ὑπεράγιε, ὑπεράρρητε καὶ ὑπεράγαθε, da mihi, da uxori meæ et omnibus meis ut mente pura et pia ad divinas illas epulas accedamus: fac diei illius memoriam sancte, et, ut pios decet, colamus, quo Filius tuus, Deus et ipse æternus, pro salute mortalium velut piacularem hostiam se tibi devovit, et se tibi obtulit θυσίαν εὐάρεστον. Tibi, O Deus, et illi Filio tuo Jesu Christo cum Spiritu Sancto honos, decus et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

XI. *Kal. Apr.* Hora tertia matutina et ante in templum profecti, ego uxorque sacræ concioni in-

terfuimus, et divinorum mysteriorum participes sumus facti. Hæc nobis certa et inconcussa nostræ salutis arra. Quid enim petenti deneget Deus Opt. Max. qui Filium suum *τὸν ὁμοούσιον καὶ μονογενῆ* pro redemtione humani generis morti exposuit et quidem morti crucis. O mysterium altum! O rem profundi consilii! Sed quis est mortalium, qui hæc satis capiat? prorsus in his *ὑπερουρανίοις* cæca est hominum *χοϊκῶν* mens. Quid dico cæca? belle cum humano genere ageretur, si tantum cæcutiret oculis intelligentiæ caligine offusis: nunc in cogitationes humanas penitus demersi, caput ad res cælestes contemplandas attollere non solum non possumus, sed nec curamus, nec volumus. Quin rationibus divinis obstrepit humana sapientia. Apage hanc sapientiam, omni insipientia deteriorem. At illi beati ter et amplius, quorum oculos divina luce, Pater cælestis, illustrasti, quibus cor refinxisti: quos denique regenerasti et denuo creasti, qui jam semel creaveras. Certus sum per misericordiam tuam et meritum Filii tui Jesu Christi unum esse me ex illis, quamvis indignissimum, quos ad salutem prædestinasti. Quo diligentius enitendum mihi esse intelligo, et omnibus modis efficiendum ut tanto hoc beneficio tuo abusus videri non possim. Tu facies, O Deus, et dabis mihi non solum velle sed et posse. Da idem beneficium et uxori charissimæ, et suavissimis liberis: ut nostra omnium opera atque etiam piæ matris et sororum atque

affinium meorum nominis tui gloria procuretur, cum publica aliqua ecclesiæ utilitate et nostra omnium salute. Exaudi, O qui in cælis ab æterno in æternum regnas, regnabis. Γένοιτο.

x. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια ut potuimus, non ut voluimus: quicquid est, totum tibi debeo, mi Pater.

ix. *Kal. Apr.* Hic dies ob Pacii adventum mihi periit. Sed officia interdum præponi studiis debent. At tu, Domine Deus, fac me aliquando voti mei compotem, καὶ βοήθει.

viii. *Kal. Apr.* Studia ad concionem: inde studia, prandium et amici. Deo gratia et laus.

vii. *Kal. Apr.* Studia, amici, sed magis studia, Dei beneficio.

vi. *Kal. Apr.* Studia, amici, ut sæpe, conatibus nostris parum æqui. Sed tu, O Deus, τὸ ἔλλειπον ἀναπληρώσεις. Γένοιτο.

v. *Kal. Apr.* Studia ἐγκύκλια strenue satis. Atque hodie decimum quartum Athenæi librum recensere absolvimus tuo, O Pater, tuo beneficio insigni. Da nunc ad reliquum opus perficiendum idoneas vires, ut eo tandem absoluto, liber ab hac cura, studiis melioribus me possim dedere. O annue, Pater ἐπουράνιε.

iv. *Kal. Apr.* Horas octo studiis impendimus, etsi parum corpore firmo: quæ caussa fuit cur concionem sacram non adiremus: sed nos studia sacra fere habuerunt, certe bonam diei partem. Tu illis potissimum studiis nostris benedic, Pater

οὐράνιε. Incepimus et decimum quintum Athenæi librum recensere. Ut absolvamus et eum librum, et totum opus simul, in tua, Pater *τρισμέγιστε*, potestate manuque est. Da hoc, si videtur, et placet tibi, da hoc nobis ut brevi colophonem molestissimo operi imponamus. Γένοιτο, γένοιτο.

III. *Kal. Apr.* Studia ἐγκύκλια, et in Athenæo opera, sed lenior ob varias caussas, Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Apr. Studuimus tuo, O Pater οὐράνιε, beneficio: qui mensem hunc exigere nos voluisti viventes, valentes, et in studiis pergentes. Gratias ago tibi, summe Deus.

Kal. Apr. Summo mane ingressi museum, literis ἐσχολάσαμεν usque ad concionem, cui interfuimus, nullum huic mensi exordium melius et quasi caput imponere nos posse melius rati quam si ab auditione verbi divini illum inchoaremus. A prandio studuimus tuo beneficio, O Pater.

IV. *Non. Apr.* Totum fere mane impensum meditationi habendæ mox ἀκροάσεως. Hodie enim voluntati amicorum gerentes morem, legem XII. Tabularum cepimus publice interpretari. Fateor, non erat harum virium onus: sed moveor unica re, spe qua ducor, fore ut ex laboribus nostris commodi aliquid juventus percipiat. Si ita est futurum, da, da, O Deus, ut præstare quod hodie suscepturi sumus, si tu modo vires dederis, possimus. Scis, O καρδιογνῶστα Deus, non ingenii mei viribus me fretum eo accedere, sed tua unius benignitate tuoque auxilio. Cepi igitur paullo

post, et sensi opem tuam, O Pater. Sed mihi amissæ hodie schedæ quædam de philologia magnum dolorem attulerunt. Multum diligentiæ in iis posueram; et sperabam fore magno usui: nunc omnis hæc nobis diligentia atque opera periit. Væ tristissimum.

Postea invenimus Θεοῦ χάριτι.

III. *Non. Apr.* Multum temporis in quærendis illis schedis frustra amisimus: imo non frustra; tandem enim repertæ sunt ὁπωσδηποτοῦν gratia Dei. Docuimus hodie, et instituta προλεγόμενα sumus persecuti. O Domine, O Pater, benedic ceptis: fac, redeat hic noster labor ad tui nominis gloriam et Ecclesiæ tuæ aliquam ædificationem, utilitatemque nostram et eorum qui nobis operam navabunt. O ades, et favere studiis nostris perge.

Prid. Non. Apr. Studuimus, et nobis viximus totum mane: tempus a prandio cum amicis divisimus. Θεῷ χάρις.

Non. Apr. Studia mane: a prandio studia; concio audita; amici: ita dies per Dei benignitatem transactus.

VIII. *Eid. Apr.* Mane studia: docuimus a prandio, studuimusque beneficio Dei.

VII. *Id. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια: docuimus et studuimus. Θεῷ χάρις.

VI. *Id. Apr.* Partem matutini temporis studiis eripere et valetudinis curæ dare coacti sumus: mox tamen ad pensum Athenæi nos contulimus. Sed O lentum negotium! nam finem quando vi-

debo tam molesti laboris? Tunc nempe cum tu, Pater benigne, volueris. Tibi honos et gloria una cum Filio Jesu Christo et Spiritu Sancto *εἰς αἰῶνας αἰώνων.*

v. *Eid. Apr.* Docuimus et studuimus Dei benignitate non indiligenter.

iv. *Eid. Apr.* Studuimus et docuimus, O gratias tibi, Pater cælestis.

iii. *Eid. Apr.* Studuimus: et hoc die cœpimus dictare studiosis nostram legis xii. Tabularum interpretationem. Benedic cœptis, O Pater.

Prid. Eid. Apr. Etsi die sacro, tamen ad concionem ire non potuimus variis de caussis. Domi igitur hærentes, studuimus quod potuimus, id est, quantum per amicos licuit. O Pater, da, ut pia te puraque semper mente colam et venerer, ego meique omnes, et una tecum τὸν μονογενῆ Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum Spiritumque Sanctum.

Eid. Apr. Τὰ ἐγκύκλια. Studuimus, docuimus. Θεῷ χάρις.

xviii. *Kal. Mai.* Studuimus, docuimus, Θεοῦ διδόντος.

xvii. *Kal. Mai.* Mane in museo literis vacavimus, et deinde concioni sacræ interfuimus: deinde amici, et studia per Dei Opt. Màx. benignitatem.

xvi. *Kal. Mai.* Mane studia serio. A prandio amici et nugæ molestissimæ quidem: tandem tamen ad libros rediimus. Atque hic dies est quo animadversionibus in Athenæum finem imposuimus.

Finis gratissimus Animad. in Athen. Θεῷ χάρις 16 Cal. Mai. 1598.

Tua, tua benignitas, O Pater cælestis huc nos perduxit. Tibi uni hoc totum debetur, quicquid est, quod ad publicam literarum utilitatem præstare nos voluisti. Da nunc, Pater clementissime, ut pro tanto beneficio dignas tibi gratias agamus. Da etiam, ut quicquid superest vitæ, id totum ad gloriam nominis tui referamus: te unum toto pectoris affectu colamus: tibi pura mente serviamus: nihil denique nisi pietatem spiremus. Ades etiam, O Pater, et uxori, et liberis, et imprimis piæ matri: fac pro tua benignitate ut officia omnibus præstem, quæ sacra pagina tua imperat filio, marito, patri et fratri: nam et sorores nostri partem sibi vindicant. Rege igitur, O Domine, humilem servum tuum, et facta omnia dictaque nostra ad rectum finem dirige. Γένοιτο, γένοιτο, O trinune Deus.

XV. *Kal Mai.* Studia et concio sacra. A prandio docuimus: certe ad docendum nos paravimus, quanquam postea ne doceremus casu quodam factum est. Ita cum amicissimo Ranchino et nobili primario viro in ecclesiastico senatu multum fuimus: deque rebus seriis sermones serios habuimus. Doluimus præsentem Ecclesiæ statum multimodis κακῶς ἔχοντα. Tu, Domine, illi succurres, et te illius unicum σωτῆρα et conservatorem præstabis. Dabis etiam nobis ut ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ tuum sacrum verbum ob oculos semper nobis

ponamus: *καὶ τοὺς ἐν τῷ λόγῳ διακονοῦντας* qua par est reverentia semper afficiamus.

XIV. *Kal. Mai.* Mane studia *ἐγκύκλια.* Adhuc enim in Athenæi recensione sumus. Deus Opt. Max. has quasi secundas curas velit pro sua bonitate *ἀνεμποδίστους* et felices præstare.

XIII. *Kal. Mai.* Mane studia, et, ut die sacro, concio. *Θεῷ χάρις.*

XII. *Kal. Mai.* Mane *τὰ ἐγκύκλια.* A prandio benignitate Dei docuimus et studuimus.

XI. *Kal. Mai.* *Τὰ ἐγκύκλια*: docuimus, studuimus, te faciente, O Deus.

X. *Kal. Mai.* Mane ad piam matrem nuncium misi, et bonam partem temporis matutini in scribendis literis collocavi. Sed erat tanti pietatis officium: quod superfuit diei, studiis dedimus Dei beneficio.

IX. *Kal. Mai.* Ecce hodie literas a pia matre accepi. Domine et illi et mihi meisque benedicito. Studuimus, docuimus.

VIII. *Kal. Mai.* *Τὰ ἐγκύκλια*: sed mane fere misere totum periit. A prandio studuimus, docuimus, tuo, mi Pater cælestis, beneficio.

VII. *Kal. Mai.* Mane Dei beneficio nobis et literis viximus: inde nugæ nos habuerunt, hoc est, amici parum amici: ita diei magna pars periit.

VI. *Kal. Mai.* Mane studia, et concio a prandio, ut die sacro. O Domine, veram in animo meo et meorum pietatem genera.

v. *Kal. Mai.* Mane studia: a prandio neque docui, nec multum studui. Tu facies, O Deus, melius alios dies collocem.

iv. *Kal. Mai.* Vix ante septimam; O temporis negligentiam. Studuimus, docuimus. Deo gratia.

iii. *Kal. Mai.* Post quintam museum ingressi, studuimus Dei beneficio. A prandio quoque nobis magnam partem viximus, h. e. literis, quibus utinam velit Deus nostros conatus esse utiles. Hodie a pia matre jucundissimas literas accepi: quam tu mihi serva, O Deus, et simul uxorem, liberos, fratres, sorores et eorum natos.

Prid. Kal. Mai. Post quartam museum ingressi: ac hoc die studuimus non indiligenter. Tibi, Domine, gratias ago, qui hæc nobis otia præstas quamvis indignis. Sed ades, O Deus, et nos tui amore accende.

Kal. Mai. Mane totum studiis datum: et hic mensis per tuam, O Deus, benignitatem feliciter inchoatus. Da, oro te supplex, mihi felicem ejus exitum, uxori charissimæ εὐτοκίαν: matri optimæ felicem ad nos adventum; liberis ut in timore tui crescant et feliciter educentur. Studiis etiam nostris, O Pater, benedice per Dominum nostrum Filium tuum Jesum Christum qui una tecum et Spiritu tuo Sancto συνδοξάζεται νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

vi. *Non. Mai.* Studuimus, Θεοῦ διδόντος, et nobis ac Musis viximus.

v. *Non. Mai.* Studuimus mane ad concionem

usque cui interfuimus. A prandio literas scripsimus, et studuimus. *Θεῷ χάρις.*

IV. *Non. Mai.* Studuimus, docuimus. *Θεῷ χάρις.*

III. *Non. Mai.* *Τὰ ἐγκύκλια* per Dei beneficium.

Prid. Non. Mai. Studia ad concionem usque cui interfuimus. A prandio studia, amici, sic dies actus, *Θεοῦ χάριτι.*

Non. Mai. *Τὰ ἐγκύκλια,* studuimus, docuimus, *σὺν τῷ Θεῷ.*

VIII. *Eid. Mai.* Literæ summo mane ad amicos: inde cœpimus recensere quæ in Athenæum scripsimus. Da, Deus, qui semel detexere mihi id opus dedisti, da, inquam, ut recensere et proferre in publicum queam, ad tui nominis gloriam. *γένοιτο, γένοιτο.* Vix ista scripseram, cum ascendit in museum uxor charissima et de instante partu me fecit certiorem. Itaque libris relictis et valere jussis, in cubiculum eam comitor. Quid multa? hora fere septima matutina uxor ad me venit: post horam octavam et sequentis dimidium uxor enixa est filiam: cui tu, O Deus, O Pater meus et meorum, benedice, et Sancti Spiritus tui *χαρίσμασιν* eam orna. Ades illi, O *πανέλεε καὶ παντοδύναμε* Deus, et veram pietatem ipsam doce. Hoc si est, amplius quod illi optem nihil est. Tu facies, Deus Opt. Max., et peccata parentum illi non imputabis. Sic esto, oro te, Pater cælestis, et supplex veneror atque obtestor, per *τὸν μονογενῆ* Filium tuum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat *νῦν καὶ εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.* At

enim quod uxor ηὐτόκησεν, ecquas tibi, O Deus salutis meæ, gratias agam? Vix sesquihora erat exacta, a quo primum sensit illa partum imminere, cum te faciente, O Deus, τῶν ὠδίνων finem felicem est consecuta. Ago tibi, ὑπεράγιε καὶ ὑπεράρρητε Κύριε, gratias quantas possum maximas: et ut uxorem, liberos et ipsum tua cura digneris, iterum te supplex atque iterum veneror. O exaudi, mi Deus, mi σῶτερ, mea spes unica. Ἀμήν.

VII. *Eid. Mai.* Studia leniter attigimus: imo diem totum negotia molesta et amici parum æqui nobis eripuerunt. Sic jacent studia. Fiat, Domine, voluntas tua.

VI. *Eid. Mai.* Totum mane domi manere ob valetudinem coactus, literis impendi sacris, non sine animi morsu quod interesse sacræ synaxi et τῆς ἁγίας τραπέζης κοινωνεῖν die celebri ob festum pentecostes quitus non sim. Necessario enim proxima dies Dominica mihi fuit præter morem expectanda. Dominus salvum, si placet, et incolumem præstabit.

V. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια quantum licuit mane: a prandio amici, et, quantum Dominus dedit, studia.

IV. *Eid. Mai.* Mane studia leniter ob publicas disputationes: a prandio studia per Dei gratiam.

Prid. Eid. Mai. Mane concio, et studia inde quantum dedit ὁ πάντων ἐάων δωτήρ.

Eid. Mai. Mane literæ ad Velserum virum optimum, et Hœschelium meum: inde studia leniter;

at totum fere a prandio tempus periit, sic volente Deo.

XVII. *Kal. Jun.* Mane studia ἐγκύκλια: a prandio parum ob sacram διάλεξιν habitam a Perollo nostro: cui viro benedic, O Deus, et fac ut Ecclesiæ tuæ sit utilis ejus opera. Γένοιτο, γένοιτο.

XVI. *Kal. Jun.* Mane summo τὰ ἐγκύκλια. A prandio pene nugas aliud nihil cum amicis egimus. ὦ σῶτερ, βοήθει nobis, et studiis nostris.

XV. *Kal. Jun.* Hodie festum τῆς πεντηκοστῆς ἑώρτασα, et Dei beneficio τῆς ἁγίας τραπέζης ἐκοινώνησα. Fac, O Pater, ratum hoc tuum in me beneficium, neque permitte, ut peccata mea τὴν σὴν χάριν ἀκυρῶσιν. Sub vesperam advenit diu expectata pia mater cum sororis Saræ marito charissimo qui Petrum reduxerunt. Da nobis, O Deus, sic una vitam degamus, ut una domus parva sit quædam ecclesia. Γένοιτο, γένοιτο.

XIV. *Kal. Jun.* Dies totus cum matre et adfine transactus non cum literis. Docuimus tamen, tuo beneficio, mi Deus.

XIII. *Kal. Jun.* Sero ad libros propter invaletudinem, et totum fere mane amissum. A prandio docui Dei beneficio.

XII. *Kal. Jun.* Summo mane ad libros quibus incubui ad horam concionis. Totus deinde dies studiis periit, dum intersum synodo provinciali, quæ me vocavit benevole, et rogavit interesse suo conventui. Ego vero feci libentissime vel ut fidei et puri in religionem animi testimonium extaret.

Tu, Pater cælestis, qui tuis ecclesiis eos præesse voluisti, præes huic cœtui, et illum tui Sancti Spiritus δυνάμει rege. Amen.

XI. *Kal. Jun.* Totam diem synodus eripuit. Multa didici: nec pœnitet jacturæ temporis. O Domine, ades et illi cœtui et mihi ac meis.

X. *Kal. Jun.* Mane toto studia Dei gratia: nam synodo interesse continue non poteramus. A prandio docuimus.

IX. *Kal. Jun.* Mane amici ad concionem nos habuere. Inde concio sacra. Nam hoc die sacro fonte lota est filiola nuper nata, et de matris meæ nomine Johanna nominata. Et nos quidem fidem nostram de illius educatione obstrinximus, quod et præstabimus, si valentes et incolumes Deus Opt. Max. præstiterit. Sed enim verum baptismi fructum, peccati originalis dilutionem, et νέκρωσιν τῆς παλαίας ἀνθρώπου καὶ ἀναγέννησιν τῆς νέας a te, Pater cælestis, illi petimus. Fac pro tua benignitate, ut cum adoleverit, vim hujus sacramenti in se experiatur, et operibus bonis ac præsertim recta fide testatam faciat. Da, O ὑπεράγιε Θεὸς, sic illa, sic parentes illius, sic frater et sorores vivant, sic vitam finiant, ut pios et cultui numinis tui devotos decet. Ναὶ ὦ πάτερ, ὦ σῶτερ, δέομαί σου per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat καὶ νῦν καὶ εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

VIII. *Kal. Jun.* Mane concio: at studia jacent. Atque hoc die de Johannis Serrani obitu certiores

facti sumus. Obiit ille die decimo nono hujus mensis, et cum uxore, quæ post illum fato functa est horarum fere quatuor intervallo, est sepultus. Simul illa tot incepta sunt extincta et sepulta. En homo quid sit, et quanta illius consiliorum vanitas. Vix unus aut alter est mensis, cum homo optimus et eruditissimus hic mecum de variis multisque suis inceptis multa est locutus. Cogitabat ille Harmoniam Patrum, cogitabat Platonis retentatam, Aristotelis novam editionem: moliebatur et in historia vetere ac nova quamplurima. Taceo alia hominis incepta, et suscepta ab eo opera; quorum omnium nihil præter titulos quorumdam potuit edere. Quanto erat satius meminisse virum optimum ejus quod ille ait, *Vitæ summa brevis spes vetat inchoare longas.* Tum ille pauciora esset aggressus, et plura esset executus. Nunc omnia illius molimina φροῦδα, omnes conatus irriti et vani. Atque utinam vani essent tantum. Nam quid de illo nostri, quid adversarii passim loquantur et pueri sciunt. Neque nostrum est de tanta re ferre sententiam. Animum tamen meum percellit hæc cogitatio. Tempus mortis et genus videntur aliquid ὑπογράφειν θεήλατον. Sed Deus non sinit ut pietatis veræ studio impii in defuncti manes simus. Quare ἀπέχω, et tuam ἐκ τῆς προνοίας οἰκονομίαν, O sancte Pater, supplex ac tacitus veneror: teque oro, et precor, facias pro tua benignitate ut exemplum hoc pro stimulo mihi sit ac meis ad colendum tuum numen. O

da mihi, Pater cælestis, ut a vera et puriore pietate nec facto nec dicto latum vel unguem discedam unquam. Ἀμήν.

VIII. *Kal. Jun.* Mane studuimus nihil ob discessum affinis charissimi Petri Chabanei sororis mariti. Deum oro, servet illos una cum universa familia: servet et nos hic pro sua benignitate. A prandio docui, et leniter saltem studui.

VII. *Kal. Jun.* Mane Athenæi mechanicis describendis vacavimus. A prandio docuimus, et de repulsa optimi doctissimique viri P. nostri doluimus. O Deus, rege Ecclesiam ipse tuam, rege et nos, et mea ac meorum peccata tege.

VI. *Kal. Jun.* Mane studuimus ad concionem, cui interfuimus: inde studia τὸ γοῦν κατὰ δύναμιν, et tuam, O Deus, voluntatem.

V. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια. Docuimus, studuimus Dei beneficio.

IV. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια. Docuimus, studuimus. Θεῷ ἡ χάρις.

III. *Kal. Jun.* Mane studia: imo vero negotia. Rogatus enim synodo Galliæ totius interessem, summo mane eo veni, et totum tempus matutinum ut et hesternum totum misere perdidi. Oro te, Pater cælestis, Pater veritatis et tuæ Ecclesiæ sole σῶτερ, præsis ei cœtui, et omnia velis dirigi ad gloriam sanctissimi tui nominis, et Gallicarum Ecclesiarum utilitatem. Amen.

Prid. Kal. Jun. Mane concio: a prandio amici. Ita fere totus dies nobis occupatus alibi quam in

studiis. Pro exacto feliciter mense magnas tibi, O Deus salutis meæ, gratias ago.

Kal. Jun. Mane summo de more studia Hebraica delibavimus. Inde Characteres denuo recensere instituimus, sed mox mutata sententia eum laborem in id tempus rejecimus, quo dabit Deus Opt. Max. ut eum fœtum nostrum incudi iterum subjicere possimus. Et tu, O Pater, dabis hoc nobis, si ita expedire judicabis. Γένοιτο, γένοιτο.

IV. *Non. Jun.* Studia σὺν Θεῷ. Docuimus etiam ut semper diebus statis, nisi impediant festa, vel morbus.

III. *Non. Jun.* Mane τὰ ἐγκύκλια per Dei benignitatem: a prandio nugator Frigenille et alii totius temporis mihi furtum fecerunt. O damnum. Sed, O Deus, studia mea adjuva.

Prid. Non. Jun. Mane studia ἐγκύκλια. A prandio synodo interfuimus: neque docuimus, neque studuimus. O Deus, βοήθει.

Non. Jun. Summo mane τὰ ἐγκύκλια. Studuimus, et a prandio docuimus. Itaque hodie viximus tuo, O Pater, beneficio.

VIII. *Eid. Jun.* Mane studia, et totus fere dies in recensendo Athenæo positus. Longum enim opus est. Sed tu, O Deus ἁγιώτατε, qui dedisti ut scriberem, quæ scripta sunt, da, quæso te, ut ea polire et tandem publicare possim. Sic referantur omnes meæ vigiliæ ad tui nominis gloriam. Γένοιτο, γένοιτο.

VII. *Eid. Jun.* Sacrosanctæ Domini cœnæ hodie

communicavimus, ex more ecclesiarum Gallicanarum, quæ peractæ synodo nationali hanc *καταkλεῖδα* et pulcherrimum colophonem imponunt: nempe ut sciant omnes in ecclesiis reformatis Galliæ unum coli Deum, unam fidem vigere. O Deus, serva hunc iis consensum in pietate et vera doctrina.

VI. *Eid. Jun.* Mane periit totum, nisi quod orantem doctissimum Ranchinum audivimus. A prandio docuimus, studuimus, Dei beneficio.

V. *Eid. Jun.* Mane studia. A prandio amici, et studia. Docuimus Dei beneficio.

IV. *Eid. Jun.* Mane studia adjuvante Deo. A prandio cepimus vapide nos habere et cum invalentia certare coacti sumus. Deus Opt. Max. *τὸν ἀγῶνα βραβεύσει.*

III. *Eid. Jun.* Cum pridie febre essem correptus, quæ totam noctem me habuit, sero ad libros veni. Atque Deo laus, quod unam saltem atque alteram horam mihi concesserit ad studia in hac invalentia. A prandio amici. Studia.

Prid. Eid. Jun. Mane studia. A prandio studia, sed magis amici. *Κύριε ἐλέησον.* Et *ἐλεεῖς* tu quidem, O Pater, O *σῶτερ.* Nam ecce audio nunc ipsum rediisse ad suos salvum et incolumem magnum Præsidem a Fraxinis *τῶν ἐμῶν φίλων τὸν ἄωτον.* Ago tibi, O Pater, pro hoc beneficio (meum enim interpretor beneficium) grates quantas possum maximas. Quod superest, et illum et me Spiritu Sancto tuo rege. *Ἀμὴν, ἀμήν.*

Eid. Jun. Mane studia etsi languente corpore: tanto magis τῷ πανεύφρονι καὶ παναγάθῳ Θεῷ εὐχαριστῶ. A prandio parum.

XVIII. *Kal. Jul.* Mane cum, etsi cupidus, sacræ συνάξει casu quodam interesse non possem, literis Hebræis diligentem operam dedi: atque ego te supplex oro, Pater cælestis, benedic meis studiis, quæ propter corporis invalentiam et ingenii ἀσθένειαν non possunt non languere, per Jesum Christum Filium tuum unicum, qui tecum, una cum Spiritu Sancto, vivit, regnat καὶ νῦν καὶ εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

XVII. *Kal. Jul.* Mane literæ ad amicos Genevenses: inde studia, quod Deus dedit. A prandio studuimus, docuimus, Θεῷ χάριτι.

XVI. *Kal. Jul.* Mane studuimus Dei beneficio, et in Athenæi aliquot locis serio fuimus. A prandio docuimus.

XV. *Kal. Jul.* Mane studia et concio. A prandio studia: amici studiis parum æqui. Sed Deus modo benedicat conatibus.

XIV. *Kal. Jul.* Mane studia Dei beneficio. A prandio amici, et variis ab amicis literæ, quæ προαγγέλλειν videntur vetus verbum ὤδινεν ὄρος, ἔτεκεν δὲ μῦν. Sic sunt homines. At non is tu, Deus magne, cui uni me, meos, et mea omnia committo et permitto.

XIII. *Kal. Jul.* Mane summo surreximus ob discessum amplissimi viri Johannis a Wouveren et alterius nobilis ejus comitis. Deus illis benedicat.

Inde studia diligenter curavimus ad decimam, multaque in Athenæo curavimus vulnera necdum nobis deprehensa. En erit unquam ille dies, cum edito eo libro gratias tibi, O Deus mi, agam liberata mente ab hac molestissima cura? Da hoc mihi, O σῶτερ, et mihi meisque porro benedice. A prandio docuimus.

XII. *Kal. Jul.* Mane studia benignitate Dei. A prandio negotia et rei familiaris cura partem diei absumpserunt. Enimvero nisi tu, O Deus, fulcias familiam hanc, ubi sunt illius fulcra? Ubi præsidia? οἰκόθεν quidem aut nulla aut pene nulla. Publicum hoc quam male de nobis interdum mereatur, scis tu, O Deus, cui esse curæ meque meosque certus sum, et hoc uno fretus animum in tantis curis non despondeo.

XI. *Kal. Jul.* Mane studia leniter: inde concio sacra: a prandio amici et τὸ γοῦν καδδύναμιν studia. Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Jul.* Mane studia Dei beneficio. A prandio studuimus, docuimus.

IX. *Kal. Jul.* Mane studia ἐγκύκλια beneficio Dei.

VIII. *Kal. Jul.* Mane studia; nisi quod discessus a nobis honestissimæ matronæ Leonæ multum temporis eripuit studiis. Te supplex oro, magne Deus, illam serves in hoc itinere, et nos hic quoque.

VII. *Kal. Jul.* Mane studia Θεοῦ διδόντος. A prandio studia, sed et amici, et negotia.

VI. *Kal. Jul.* Mane studia singulari Dei bene-

ficio, qui mihi pro sua benignitate otia faciebat, et animi tranquillitatem præstabat.

v. *Kal. Jul.* Mane et a prandio mihi vixi: totus fui meus: nemo mihi fuit molestus, si horam excipias matutini temporis quam amicus parum studiis nostris æquus nobis eripuit. Τοῦ λοιποῦ rationem Musis possumus reddere. O Deus, benedictum sit nomen tuum, qui hæc mihi præstas otia. Illud unum superest, ut, liberatus ingrata hac cura Athenæi, alio me possim conferre, id est suscipere aliud opus quod sit futurum jucundius, et εὐσεβείᾳ μᾶλλον προσῆκον. Fac, O Pater, damnes aliquando hujus voti. Ἀμήν.

iv. *Kal. Jul.* Mane studia leniter attigimus ad concionem sacram usque, postea iterum studia, et item a prandio totum ferme diem, per tuam, mi Deus, benignitatem. Σοὶ δόξα, ὦ Κύριε.

iii. *Kal. Jul.* Mane Dei beneficio studia: et item a prandio, quantum per negotia licuit.

Prid. Kal. Jul. Mane summo studia Θεοῦ τοῦτόγε διδόντος, bona etiam diei pars studiis impensa, tuo, mi Deus, beneficio.

Kal. Jul. Mane studia ad tempus sacræ concionis, unde reversi ad prandium cum libris fuimus Θεοῦ χάριτι. A prandio dum ad iter nos paramus, fuimus non parum occupati, non ita tamen ut totum pomeridianum tempus perierit.

vi. *Non. Jul.* Studia penitus omissa, dum ad iter me paro, cujus esto tu, O Deus, mihi dux, et auctor.

v. *Non. Jul.* Mane totum ferme iisdem curis impensum. Atque hoc demum die iter quod pridem cogitabam, suscepi, atque institui, ut equidem persuasus sum, te, mi Deus, et auctore, et duce. Caussas quæ me impulerunt, imo adegerunt, nosti tu, Deus æterne, non enim temere aut peregrinandi animo tantum iter sum aggressus. Cum igitur justa consilii hujus sit caussa, et necessaria profectio, supplex te oro, Pater cælestis, qui me rexisti hactenus et ex infinitis periculis liberasti, serves etiam nunc, et liberes ab omni periculorum genere. Serva etiam, mi Deus, familiam universam. Serva piam matrem, uxorem dilectissimam, et suavissima nostra pignora. Esto inter omnes domi concordia, et unicus tantum ζῆλος, unica æmulatio, ecquis erit in te colendo diligentior et assiduior. Oro te, Pater cælestis, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, rege hanc familiam, et nostra omnium peccata tege. Da mihi iter instituenti, ut in timore tui εὐοδῶμαι, a te uno semper ut pendeam, te unum spectem, tuique unius ope stem cum meis. Da matri, da uxori, ut me brevi reduce gaudere una pium et Christianum gaudium possimus. O tu, Deus salutis meæ, tu mea spes unica es: tibi ego et meos et me servandum committo. Ita esto, mi Deus, mi Pater. Amen.

XXVII. DIES OCTOBRIS.

Hic est ille albo capillo signandus dies, quo post confectam feliciter quatuor prope mensium ἀποδημίαν domum ad meos salvus lætusque perveni. Tua nempe, Deus Opt. Max., tua dextera singularisque benignitas me servavit. Tu mihi eunti, redeunti dux fuisti, et ὅδιος Θεός. O si mihi linguæ centum essent et ora centum! Nequeo enim verbis exprimere, quantum tibi, mi Deus, debeam propter illa tanta et tam multa beneficia, quibus sum a te toto hoc itinere affectus. Valetudo semper bona, longeque melior quam ante fuerit: amici ubique locorum reperti mihi, qua veteres, qua recentes, et nunc primum noti conciliatique καὶ τῷ πλήθει πλεῖστοι, καὶ τῷ μεγέθει μέγιστοι. Quinetiam quod Rex noster suo favore nos sit complexus, et spem fecerit præsidii sui ad fulciendа nostra studia, et juvandam familiam, totum id muneris tui est, mi Deus, mi Pater, mi σῶτερ. Tu vero, Deus magne, quod orsus es, perfice, et ad faustum finem perduce. Nam si ita placet tibi, ut ad literarum professionem Lutetiam migrem, eamque mentem Regi indidisti, ecce servus tuus sum, fiat voluntas tua. Scis, mi Domine, nulla mea ambitione factum ut Regi id suaderetur: scis etiam, quæ sint cogitationes meæ; quæ consilia: quam nihil aliud quæram aut cupiam, nisi ut inservire gloriæ tuæ τὸ γοῦν καδδύναμιν possim. Hoc ut velim, dedisti a puero

mihi, O Pater. Ut possim, quando dabis? Sum enim, semperque hactenus fui, quod ex animo confiteor, servus ille inutilis. Verum age, sancte Parens, Θεὸς ὑπεράγιε καὶ ὑπεράρρητε, ἱκάνωσον ἡμᾶς, et promovendæ gloriæ tui nominis me meosque omnes aptos effice. Exaudi mea vota, O Deus salutis meæ, oro te per Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat sine principio sine fine εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen. Iterum iterumque Amen.

XXVIII. OCT. Totus dies amicis visentibus aut visendis datus: studia penitus omissa: sed dabit fortasse Deus brevi facultatem redeundi cum libris in gratiam.

XXIX. OCT. Et hic dies periit nobis et studiis nostris. O ades, mi Deus, et mihi fer opem.

XXX. OCT. Quod bene sit, cepi beneficio Dei hodie cum libris in gratiam redire, et Notas in Theophrasti Characterum quinque capita scribere.

XXXI. OCT. Sero in museum. Ibi, quod licuit, serio in libris fuimus Θεοῦ χάριτι. Tamen a prandio multum amici nostris studiis nocuerunt.

Kal. Nov. Mane et a prandio concioni interfuimus. Notulas in Theophrastum absolvimus: τὸ λοιπὸν τοῦ χρόνου periit.

IV. *Non. Nov.* Mane sero ob languorem animi et corporis. A prandio amici ad quartam me habuerunt. O molestiam. Deus mi, libera me his quæ nosti incommoda.

III. *Non. Nov.* Mox a quinta in museo et cum

beatissimo Chrysostomo, totum fere mane beatus egi. O pium et doctum virum! O delicias hominis Christiani versari in ejus scriptorum lectione! En erit unquam ille dies, cum infelicissimis hisce curis liberatus, totum me dedam huic pio studio? Nunc quæ me angant, et alta cogitantem deorsum trahant, scis tu, Pater cælestis: cui meas curas esse curæ sæpe cum meo summo bono sum expertus. Ναὶ γὰρ δεινὸν τοῦτόγε. Vix septem dies fui domi post longum adeo iter, et jam redeunt solemnia.

Prid. Non. Nov. Sero in museum, multaque studiis adversa; maxime illud cum amicissimo viro S. de amicissima urbe colloquium, cum quidem in sermonibus ea exciderent quæ ἄρρητα ἀμείνω. Pœnitet, et ex animo quidem. Da, O Pater ἐπουράνιε, sic semper affectibus moderari, ut nihil unquam nobis excidat tuæ sanctissimæ voluntati οὐ συνᾶδον.

Non. Nov. Librorum οὐδεὶς λόγος. Toti enim fuimus in literis scribendis et parando itinere Caserstriensi ad maximum virum Præsidem a Fraxinis, cui tu, Deus æterne, et mihi meisque benedice, quæso; et supplex te oro, Domine mi, da hoc meis ut me absente in summa pietate et concordia διάγωσι καὶ νῦν καὶ εἰσαεί. Ἀμήν.

XX. DIES NOVEMBRIS.

Summo mane diei hujus domum ingressus sum, Dei Opt. Max. beneficio redux ex suscepto

ante dies XVI. itinere. Magnis defuncti sumus molestiis: periculis item non paucis. Quod salvi pervenerimus ad nostros lares muneris id tui est, mi Deus: nec minus illud, quod et matrem et uxorem et liberos atque omnes meos salvos et magna cupiditate meum expectantes reditum offendi. Meum absentis cor ea cura quotidie edebat: quo magis nunc gaudeo cum ex animi sententia omnia contigerint. Tibi igitur, O Deus æterne, pro hoc recenti beneficio gratias ago, non quas debeo; πόθεν γάρ; sed quantas possum maximas. Nunc illud te supplex oro, ut totum me meis libris brevi reddas et restituas; a quibus exulo nimis, ah nimis diu. Γένοιτο, γένοιτο. Totus dies salutandis amicis transactus, et leniter inspiciendis libris.

XI. *Kal. Dec.* Libros leniter et hodie inspeximus, idque a concione cui interfuimus. O quando serio studebimus?

X. *Kal. Dec.* Studiis aliquot horas dedimus. Concioni sacræ interfuimus. Reliquum tempus periit. Κύριε ἐλέησον.

IX. *Kal. Dec.* Post septimam ad libros accessimus. Serio tamen aliquot horas studiis impendimus, tuo, mi Deus, beneficio.

VIII. *Kal. Dec.* Sero et hodie: sed Dei gratia serio libros tractare cepimus, publice etiam docere aggressi sumus, ne otiosi essemus in hac urbe dum adhuc literas a Rege expectamus quibus advocemur. Γένοιτο δὲ τὸ τοῦ Θεοῦ θέλημα.

VII. *Kal. Dec.* Ecce iterum ærumnas domi, foris, nusquam non. Quis inter tot avocamenta libros inspicere sustineat? Ergo totius diei pars major periit. Nempe hæc tu mihi κέντρα subdis, O Deus salutis meæ, ut sursum animum attollam, et te unum cogitem, te solum in animo, in mente, in ore habeam. Tu quidem, O Pater, sola mihi certa spes, et solatium. O respice me, Deus æterne, ac meos per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

VI. *Kal. Dec.* Mane studia: inde concio sacra: quæ a juvene ministro habita plane pro ætate. Nihil vidi frigidius; nihil audivi jejunius. Tamen hic unus est, de iis qui se præcoci sapientia ante pilos credunt instructos. Domine Deus, miserere Ecclesiæ tuæ undique in angustias redactæ.

V. *Kal. Dec.* Mane museum ingresso impedimenta ab amicis oblata, quæ vel invitum coegerunt tempus male collocare. En quando ex animi sententia totus ero in libris? Da hoc mihi, O Deus, sed, ante omnia, pietatem veram et purioris religionis constantem amorem. Hodie ad solemnia studiorum Hebraicorum rediimus. Substiteramus in lectione Proverbiorum Salomonis: cujus aureoli libelli decem capita ante discessum studiosius lectitaveramus. In undecimi initio mire placuit illa de superbis sententia sane quam vera et justa, quam libet hic adscribere, ut ea altius in corde meo inscribatur: quod equidem te supplex oro, mi Deus, בָּא זָדוֹן וַיָּבֹא קָלוֹן וְאֶת־צְנוּעִים חָכְמָה id est,

venit superbia, et veniet ignominia, at apud humiles (ἢ modestos) *est sapientia.* Eleganter significat Salomon quanto in periculo sint, qui animo elati sunt; his imminet ἀδοξία, et aliqua insignis calamitas. זוּד significat superbe et petulanter se gerere. צְנוּעִים volunt Rabb. esse eos, qui præ insigni modestia se abscondunt, et amant vetus dictum *λάθε βιώσας.* Similis sententia alibi in hoc libro: ut capite XVI. 18. לִפְנֵי־שֶׁבֶר גָּאוֹן וְלִפְנֵי כִשָּׁלוֹן גֹּובַהּ רוּחַ *ante calamitatem* (fracturam) *superbia, et ante ruinam elatio spiritus.* Sic et capite XVIII. 12. לִפְנֵי־שֶׁבֶר יִגְבַּהּ לֵב־אִישׁ וְלִפְנֵי כָבוֹד עֲנָוָה *ante calamitatem extollit se cor hominis: at gloriam præcedit mansuetudo.* Cap. XV. 33. וְלִפְנֵי כָבוֹד עֲנָוָה LXX. *προπορεύεται δὲ ταπεινοῖς δόξα.* Cap. XVI. 5. תּוֹעֲבַת יְהוָֹה כָּל־גְּבַהּ־לֵב LXX. *ἀκάθαρτος παρὰ Θεῷ πᾶς ὑψηλοκάρδιος.*

IV. *Kal. Dec.* Mane totum fere amissum, et molestissimis negotiis impensum: sed et a prandio multum temporis periit nobis. Sub vesperam Theophrasti libros de caussis percurrere cepimus. *Τοῦ Θεοῦγε τοῦτο διδόντος.* Inchoata diligens lectio *τῶν Αἰτιῶν* Theophrasti.

III. *Kal. Dec.* Mane concio sacra: libri vix inspecti. A prandio amici, et tandem libri. Salomonis cum alia tum hoc legi et deamavi (XII. 16.) אויל ביום יודע כעסו וכסה קלון ערום quæ verba si negligenter legas, dissimulationem laudare ac suadere videntur. Ait enim Salomon eum esse stultum qui, ubi primum iram conceperit, eam exeret: at cal-

lidum et prudentem, qui vel ignominiam acceptam poterit tegere, quod non aliud videtur esse quam dissimulare. An ergo officium est viri boni animi sui mentem dissimulare et ἕτερον μὲν κεύθειν ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζειν; Sapientis sententia est, bonum virum in fronte promtas gestare inimicitias. Hoc puto venisse Junio in mentem, cum hic exponeret Tegit ignominiam, cohibet se ab ira et indignatione quæ sibi est futura ignominiosa. Quanto simplicius nos exponimus כוסה οὐ προσποιεῖται. Neque dubitamus eam esse veram sententiam. Sic cum ait Apostolus charitatem tegere omnia peccata, tegere est οὐ προσποιεῖσθαι. Non igitur hinc elicias probari Salomoni aliquam astutam dissimulationem: sed eum potius laudari, qui factam nomini suo injuriam alto animo ita despicit, quasi facta non esset. Quæ sane eximia est virtus, et animi celsitudo ἀξιάγαστος. Hanc tu mihi, O Pater cælestis, da, oro te supplex, quæsoque: et sanctissima hæc præcepta insculpe mihi meisque ἐν φρενῶν δέλτοις.

Prid. Kal. Dec. Mane studia: a prandio amici, docendi munus, studia. Ita non penitus periit nobis hic saltem dies τοῦ ἁγίου Θεοῦ χάριτι.

Kal. Dec. Quem quidem diem et mensem oro te supplex, O Deus salutis meæ, felicem velis mihi meisque illuxisse. Da Pater, ut hoc saltem mense, qui postremus anni est, diligentiam in tui cultu eam præstemus, quam par est pios, et tot tantisque beneficiis tibi devinctos. Mane πρὸ ἠοῦς

in museo caput unum Salomonis Prov. legimus, quod cum sit totum aureum, et dignissimum, ut cætera illius omnia, quod memoriæ mandetur, eximie tamen hic illius versus mihi placuit, quem hic ascribam, non solum ut tanto facilius eum addiscam; sed ut in Græcum vertam et *τροφὴν καὶ αὔξησιν σοφίας*. Docet sapiens cujusmodi sint humana gaudia: quam nullum mortalibus detur purum et sincerum gaudere gaudium. Ait igitur (XIV. 13.) גַּם־בִּשְׂחֹק יִכְאַב־לֵב וְאַחֲרִיתָהּ שִׂמְחָה תוּגָה LXX. verterunt *ἐν εὐφροσύναις οὐ προσμίγνυται λύπη· τελευταῖα δὲ χαρᾶς εἰς πένθος ἔρχεται.* Ita ediderunt et nuperi viri docti, neque viderunt, quod evincit Hebraica veritas et arguit omnium horarum experientia, tollendam esse negationem ante *προσμίγνυται.*

IV. *Non. Dec.* Summo mane in museo pergebam in lectione Salomonis, et ex ejus Prov. c. XV. (19.) hunc versiculum expendebam inter cæteros: דֶּרֶךְ עָצֵל כִּמְשֻׂכַת חָדֶק וְאֹרַח יְשָׁרִים סְלוּלָה *Via pigri velut sapientum spinæ; at semita rectorum est aggesta.* Hoc dicit, nihil esse tam facile quod homini pigro non sit difficillimum; quippe qui faciat invitus, quicquid facit; at homini sedulo et navo omnia esse plana et proclivia. Notandum est pigro opponi rectum. Hoc non prætermittunt Rabb. qui observant *in sacris literis pigrum haberi et impium, quasi fieri nequeat aliter. Nam qui bonis artibus sibi non consulit, hunc necesse est malis uti.* Concio sacra, amici et variæ occupationes prop-

ter imminentem discessum piæ matris. Itaque in altero penso Theophrasteæ lectionis lenti progressus.

III. *Non. Dec.* Magna pars diei piæ matri impensa, quæ hodie discessit a nobis Burdigalam in Delphinatum reditura, faciente Domino. Ibi sunt illius facultatulæ, quantulæcunque illi sunt reliquæ post varia adeo rei familiaris naufragia. Quantum mihi optima mater sui desiderium reliquerit discedens, testis mihi tu, O καρδιογνῶστα Deus. Sed et caussam scis ipse fuisse justissimam, cur ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ illam ex ædibus non dimitterem quidem (nefas dictu) sed abire sinerem. Quando igitur nobis non licet esse tam beatis, ut optimæ, sanctissimæ et charissimæ matri συζῆν καὶ συναποθνήσκειν possimus; quod superest, votis illam, dum spiritus hos reget artus, prosequar; perpetuisque de ea cogitationibus σκιαγραφήσω ἐμοὶ τὴν ἐκείνης παρουσίαν, precibus denique meis ad Deum Opt. Max. ἐκτενεστάταις meam erga ipsam pietatem, Deo pietatis auctori probare enitar atque contendam. Tu, O Parens immortalis, ὑπεράγαθε καὶ ὑπεράγιε, et matrem et me ac meos in timore nominis tui serva et præsta beatos: per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat, regnabit sine principio, sine fine. Amen, iterumque Amen.

Prid. Non. Dec. Serius in museum me abdidi usque ad decimam. A prandio docui, ut semper,

postquam cepi: studui, et Deo meo gratias egi, qui mihi hæc præstabat otia, tantisper dum literas expecto, quæ me docebunt, quid me et studiis meis sit futurum. Σοὶ δὲ, ὦ πάτερ ἐπουράνιε, τὸ πᾶν ἐπιτρέπω.

Non. Dec. Hunc diem mihi vixi et Musis. Totum namque egi inter doctores meos mutos. Sapientiam veram, quæ a timore numinis non est alia, Salomon mihi demonstrabat: arcana operum Dei, et ejus quam Naturam vocant, Theophrastus mihi aperiebat. O dulcem inter hos doctores vitam. Sed angimur tamen mirum in modum, solliciti de piæ matris itinere: præsertim propter obscœnam hujus diei tempestatem et continuos fere imbres. Ἀλλὰ τί κε ῥέξαιμι; οὐ γάρ τις πρῆξις nostri doloris. Quod unum possumus, hoc illi præstamus. Te nempe, O Deus, supplices oramus, velis illi τὴν ὁδὸν ἡγεμονεύειν, et erunt omnia tuta, omnia fausta. O annue piis meis votis, sancte Parens, et illam meque cum meis tua cura dignare, quantumvis indignos. Γένοιτο, γένοιτο.

VIII. *Eid. Dec.* Mane studia de more sacra, et concio sacra: quam dum audiebamus Deum subinde orabamus, ut doctores ecclesiæ suæ vere doctos et eo loco dignos dare velit: ἐπεὶ τὸ νῦν εἶναι, οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν κατὰ τῶν τὰ θεῖα λειτουργούντων, Πολλοὶ θυρσοφόροι παῦροι δέ τε βάκχοι· ἀλλὰ τούτων πέρι μοι εὔστομα κείσθω.

VII. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια toto quidem mane diligenter. A prandio docuimus. A privatis studiis

nos avocavit vidua Petri Galesii veteris amici mei quæ ad nos jure amicitiæ divertit. Amavi illum virum ob summam illius eruditionem, dum viveret: nunc mortui et nomen colo, et viduam omni genere officiorum vellem prosequi, si esset occasio. Non male tempus collocavimus, præstat enim studio officium.

VI. *Eid. Dec.* Mane hospitam dimisimus cum aliqua temporis jactura: mox ad pensum rediimus et pro more diem auspicati sumus a lectione unius capitis sacrarum literarum. Illud facit XXI. Prov. Sal. in cujus principio scriptum est פַּלְגֵי־מַיִם לֶב־מֶלֶךְ בְּיַד־יְהוָֹה עַל־כָּל־אֲשֶׁר יַחְפֹּץ יַטֶּנּוּ LXX. *ὥσπερ ὁρμὴ ὕδατος οὕτως καρδία βασίλεως ἐν χειρὶ Θεοῦ· οὗ δ' ἂν θέλῃ νεῦσαι, ἐκεῖ ἔκλινεν αὐτήν.* Melius dixissent *ὀχετοὶ* quam *ὁρμὴ*, et ad rem significandam et ut propius vocem Græcam accederent. Et *ἐκεῖ* non: sed *ἐκεῖσε.* Atque ita legendum. Eandem sententiam Homerus extulit, sed in universum de omnibus mortalibus; cum ait *τοῖον* esse *νόον ἀνθρώποισιν, οἷον ἐφ' ἦμαρ ἄγει Θεός*, et poetam imitatus, dixit Archilochus *τοῖος γὰρ ἀνθρώποισι θυμὸς Γλαῦκε Λεπτίνεω παῖ Θνητοῖς, ὁκοῖον Ζεὺς ἐφ' ἡμέρην ἄγει.* Verbis illis פַּלְגֵי־מַיִם respondent Latina ad verbum *divortia aquarum*, sed intelligit rivulos quos fieri videas in hortis ad transmittendam huc illuc aquam. Junii interpretatio meo judicio dura, coacta et multis illius similis: id est, *καινὴ καὶ κενή.*

V. *Eid. Dec.* Mane serius surreximus: inde con-

cio sacra: studia omissa; a prandio aliquot saltem horas Theophrasto serio impendimus. Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Dec.* Totum mane Theophrasto dedimus. A prandio Pindari odam primam interpretari sumus aggressi, ne in hac expectatione, quæ nos habet nunc suspensos, cessaremus juventuti prodesse. Atque hoc die literas a D. de Vic accepimus, quæ anxietatem animi non levant nobis, augent magis. Caussas tu scis, mi Deus, qui intima cordis mei vides clare. Tibi ergo exitum hujus rei et consilii permitto. Tu, si placet, consilia mea et aliorum de me dirigis ad suum finem, id est, ad gloriam nominis tui. Amen.

III. *Eid. Dec.* Mane serius in museum venimus ob hesternam vigiliam. Magnam diei partem studiis impendimus, et Theophrasti subtilissimum opus De caussis plantarum perlegimus. Si dabit Deus otium ad ea concoquenda, quæ in eum scriptorem meditati sumus, non luserimus, credo, operam. Interea tibi, Deus Opt. Max. quam possumus cumulatissimas reddimus.

Prid. Eid. Dec. Septem vel octo minimum horas studiis impendimus. Hieronymi scripta nos tenuerunt: cujus eloquentiam satis non possumus mirari: θερμότητα et vehementiam in reprehensionibus nimiam illi fuisse censemus; sive id fecit zelus gloriæ Dei purus putus; sive hic ille aliquid ἀνθρώπινον ἔπαθε. Sed de tanto viro nisi circumspectissime loqui pars impietatis sit. Tales,

O Deus, ecclesiæ tuæ antistites semper esse velis. Ita dies actus. Θεῷ χάρις: quem supplex veneror, liberet me sollicitudine de itinere matris, quæ me angit admodum. Γένοιτο, γένοιτο.

Eid. Dec. Mane τὰ ἐγκύκλια sacro die. In studiis quippe sacris multi fuimus, et ante concionem, et ea audita; atque adeo totum fere diem ei generi literarum dedimus. Enimvero quid potius agam die divino cultui sacra? præsertim cum animus, anxius ex sollicitudine de piæ matris itinere, in quo acquiescat, præter Legis divinæ meditationem aliud nihil habeat. At tu, Pater mi, Θεὸς ἐπουράνιε, libera me, oro te supplex hac cura, et læto de matris felici statu nuncio cor meum lætifica. Ναὶ Κύριε ἐλθὲ καὶ βοήθει. In Hieronymi Epistola ad Paulinum placuit mirifice hoc illius dictum; quod hic propterea adnotabo. Is igitur postquam de sacræ scripturæ majestate et utilitate multa disseruit *Oro te*, ait, *frater charissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere, nonne tibi videtur jam hic in terris regni cælestis habitaculum?* Et mox *Discamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in cælo.* O illos τρὶς καὶ τετράκις beatos, quibus immorari atque immori iis licet studiis.

XIX. *Kal. Jan.* Mane post pensum exactum in sacris literis, ad Dionysii Halicarnassei critica scripta animum appuli. Totum enim mane in iis fui. A prandio meditanti quæ dicturus eram pro ἀκροάσει, advenit jocundissimus et expectatissimus

nuncius de felici reditu piæ matris ad sororem quæ Burdigalæ est in Delphinatu. O gratum et jocundum nuntium. Gratias vero tibi, O Deus, Deus οἰκτιρμῶν, ago toto pectoris affectu pro hoc singulari beneficio. Servasti matrem. Servasti τὸν ἀδελφιδοῦν, qui, dum illam duxit, in extremum discrimen submersionis venit. Servasti et me, benignissime Parens, qui, si quid matri serii accidisset, ex animi ægritudine fui periturus. Iterum igitur iterumque ex animo tibi, O Deus, gratias ago, et porro semper agam, dum spiritus hos reget artus. Sed perge, mi Deus, benignitate tua nos dignari per Jesum Christum Dominum nostrum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat æternum regnaturus. Exaudi, Pater clementissime. Amen.

XVIII. *Kal. Jan.* Summo mane lucubrare incepimus, Dei beneficio, etsi in multam noctem vigilaveramus. Atque hoc die demum constitui animum obfirmare, et modum aliquem facere auctores lectitandi tantum. Quoties subit animum, quam nihil sciam, involvo me in meos libros, et omne scribendi consilium pono. Nunc constitui, faciente Deo Opt. Max. serio incipere quæ sunt nobis in varios auctores observata referre in Commentarios Observationum Variarum. Primum librum jam jam animus est aggredi. Is erit in Theophrasti φυτικὰ et alios ejusdem fere argumenti auctores, ut Dioscoridem, Γεωπονικὰ, quorum hic in manibus amici est mei

exemplar. Hoc meum est consilium: perficiam annon in tua unius, O Deus, manu est, quem oro supplex, velis ita esse, et vota mea, atque adeo vitam omnem meam et meorum secundes pro tua illa infinita clementia. *Γένοιτο, γένοιτο.*

XVII. *Kal. Jan.* Mane studiis non unum impedimentum oblatum. Ergo etiam amissa concio sacra. A prandio iterum impedimenta ab amicis: vix tandem nostri fuimus. *Θεοῦ χάριτι.*

XVI. *Kal. Jan.* *Τὰἐ γκύκλια* Dei beneficio.

XV. *Kal. Jan.* Non pessime tempus collocavimus, etsi nimis, ah nimis impediti; quod non totum tempus perierit, tibi, O Deus, gratias ago.

XIV. *Kal. Jan.* Mane totum *ὀλίγου δεῖν*, et totum utique tempus pomeridianum literis scribendis periit. O jacturam quam auri longe graviorem. Da mihi, O Deus, melius tempus collocare.

XIII. *Kal. Jan.* Mane totum amissum, eo tempore excepto, quod sacræ concioni impendi. A prandio amici et nugæ: studia vix tandem attigimus. *Ναὶ Κύριε βοήθει.*

XII. *Kal. Jan.* Mane studia *ἐγκύκλια*: sed eheu, quam infeliciter: totum enim tempus literis scribendis periit, quanquam non periit: scripsi enim etiam ad piam matrem, cui tu, O Salus mundi, omnia duis læta et fausta, mihique et meis.

XI. *Kal. Jan.* Mane et a prandio quod licuit temporis dedimus studiis, *ἀλλ' οὔτε ὁ ἀρῶν οὔτε ὁ σπείρων οὐδέν ἐστιν, ἀλλ' ὁ ἐπαυξάνων Θεὸς*, cui ut

sint curæ mei omnes, meaque studia, et ipse, supplex ejus veneror numen.

X. *Kal. Jan.* Mane totum studiis periit ob nescio quæ impedimenta domestica, parte tamen non periit, cum sacræ concioni interfuerimus: a prandio periit; amici nos habuerunt partim.

IX. *Kal. Jan.* Mane et a prandio τὰ ἐγκύκλια, quantum per amicos et studia licuit. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Jan.* Mane et a prandio quantum per frigus intensissimum et amicos licuit, studia ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Jan.* Mane studia de more Hebraica usque ad concionem. Erat enim παρασκευὴ Natalis Domini, sive potius ejus diei, quo cœna celebratur in nostris ecclesiis ad commemorationem Natalis Jesu Christi Domini nostri. Ergo jacuerunt alia studia: atque utinam illa semper jacerent, sola vigerent in nobis pietatis studia. O beatos, qui inter id genus libros vitam degunt. Vere tu, Damase, olim de eo genere literarum, *Ea vita nihil puto in hac luce jucundius; eo animæ pabulo omnia mella superantur.* Hic, hic portus est tutissimus et jocundissimus, in quo omnes animi curæ conquiescant. O Pater, da mihi, quamvis minimorum minimo, et indignissimo, tenere illum aliquando, et in illo semper postea hærere.

VI. *Kal. Jan.* Natalem Servatoris mundi hodie celebravimus. O Lux, O Salus mundi, salve. Tene verum Deum humanum genus, hoc est hostes tuos fecisse tanti, ut eorum gratia inque eorum

salutem humanam assumeres personam. Stupet animus in mysterii hujus cogitatione defixus. Deus homo fieri οὐκ ἀπηξίωσεν, ut homines raperentur ad Deum. Vitæ auctor (imo ipsa vita) morti factus est obnoxius, atque adeo mortem subiit, ut mortales fierent immortales. Qui ab omni peccato et macula purus erat, ut nos peccatores nostrorum peccatorum pœna liberaret, factus est pro nobis κατάρα. O alta et ἀνεξιχνίαστα Dei Opt. Max. consilia. O illos felices, qui hæc serio cogitant; feliciores quibus datum, ut hæc credant, et dignos se præstent ea salute atque gloria quam dies hic nobis cepit in terris parare, ut nos illa in cælis aliquando fruamur. Quorum ut me quoque et meam ac meos facias participes, O clementissime Domine Jesu, supplex te veneror. Γένοιτο, γένοιτο.

v. *Kal. Jan.* Mane studia ἐγκύκλια, itemque a prandio. Totum diem atque adeo totius anni finem lectioni doctissimi viri beati Hieronymi impendere constituimus, modo ita tu velis, ὦ σῶτερ, ὦ Πάτερ.

iv. *Kal. Jan.* Mane sero admodum in museo: studia inde, et aliquot horæ in Hieronymo collocatæ: a prandio amici, Hieronymus, curæ domesticæ. Dirige me, Domine, et vias tuas me doce. Legi hodie horis succisivis quæ scripsit Cæsar Bulengerus adversus D. de Plessis. Inter cætera horrui hanc illius sententiam. Lubet enim eam hic ascribere ad memoriam tantæ blasphemiæ.

Ait Plessiacus Scripturam sacram sufficere per se ad salutem: respondet ille in hæc verba: *L'Escriture est la fille, et l'église est la mère, qui donne l'être et la suffisance à celle qu'elle a engendrée.* Os impium et consceleratum! Nam quod Dei verbum erit, quod habebit auctores mortales. Quid? mortales omnes peribunt: opus erit aliquod mortalium quod non periturum sit? Nam quis ausit dicere perituram aut transituram Dei legem?

III. *Kal. Jan.* Mane studia ad concionem usque; a prandio amici, negotia, studia. Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Jan. Mane studia sacra ad concionem: inde quod licuit datum studiis nostris. Itaque tertium beatissimi doctissimique Viri Hieronymi tomum absolvimus. Τῷ Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις, οὐχ ὑπὲρ τούτου μόνου τοῦ εὐεργετήματος, ἀλλὰ καὶ ἀνθ' ὧν παρ' ὅλον τὸν ἐνιαυτὸν τοῦτον διετέλεσεν ἡμᾶς εὐεργετῶν. Οὐ μὴν, οὐχ ἡμέρα, οὐχ ὥρα, οὐχ ἥτις οὖν καὶ μικροτάτη καιροῦ ῥοπὴ παρῆλθεν, ἐν ᾗ ὑπὸ τῆς αὐτοῦ ἀφάτου ἀγαθότητος ἀγαθόν τι οὐκ ἐχαρίσθη ἡμῖν, μᾶλλον δὲ ἐπέκλυσεν ἡμᾶς ὁ πανελεήμων Θεὸς ταῖς πολυτιμήτοις αὐτοῦ δωρεαῖς, ὧν ἀριθμὸν ἀποδοῦναι οὔτι ῥᾷον, ἢ τὸν τῆς αἰγιαλίτιδος ψάμμου. Πρῶτον μὲν γὰρ καὶ μήτερα, καὶ ἐμὲ, καὶ τὴν σύγγαμον, καὶ τὰ τέκνα, καὶ πάντας τοὺς συγγενεῖς, καὶ πάντας ὀλίγου δεῖν τοὺς ἀγχὶ γένους διέσωσας, ὦ Πάτερ ἐπουράνιε, ἐκ μυρίων ὅσων κινδύνων· ἔπειτα οὐ ζωὴν μόνον πᾶσιν ἡμῖν ἔδωκας, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐν ῥαστώναις καὶ εὐημερίαις τὸ πλεῖστον διάγειν. Ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ὄντως τρισμέγιστε Θεὸς, χάριν σοι ὅτι μεγίστην καὶ οἶδα καὶ ἔχω ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς. Ἀλλ'

ἐπεὶ τὰ μὲν σὰ χαρίσματα ἄστρων ψαύει, ὦ Πάτερ, τὰ δὲ τῆς ἡμετέρας ἀσθενείας τε καὶ ἀναξίας πάντα λόγον ὑπεραίρει, μὴ λογίζου ἡμῖν τὴν οὐκ ἴσην εὐχαριστίαν τοῖς σοῖς εὐεργετήμασι. Οὐ γὰρ οἷοί τέ ἐσμεν ἄνθρωποι φύντες καὶ τὸ μυριοστὸν μέρος τῶν σῶν εἰς ἡμᾶς εὐεργεσιῶν λόγῳ διέρχεσθαι, ἀλλ' οὐδ' ἀξίως νοεῖν. Ναὶ, Πάτερ, σύγγνωθι ἡμῖν, καὶ τὰ ἡμέτερα, ἐμοῦ τε φημὶ καὶ τῶν ἐμῶν, ἁμαρτήματα λήθῃ παράδος εἰσαεί· καὶ τοῦ λοιποῦ ἱκάνωσον ἡμᾶς, ἀξίους τε ποίησον τῆς αἰωνίας ζωῆς. Ναὶ, Πάτερ, ὑπάκουσον, καὶ βοήθει, καὶ σὺ, καὶ ὁ μονογενὴς καὶ ὁμοούσιός σου υἱὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ὃς ἀπ' ἀρχῆς καὶ πρὸ καταβολῆς κόσμου μετὰ σοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματός σου βασιλεύει, καὶ εἰσαεὶ βασιλεύσει. אמן אמן.

Annus Christi CIↃ IↃ XCIX.

Kal. Jan. En anni novi principium : en novum Dei Opt. Max. in me et meos beneficium. Priorem annum, O Deus, beneficio tuo, ego, uxor, liberi, et quæ mihi vita mea charior esse debet mater, item sorores affinesque omnes, quod sciam, vivi valentesque exegimus : hunc quoque pari felicitate inchoavimus. Nempe tu, O magne Deus, O salutis meæ anchora, clementer et benigne agere nobiscum intermittis nunquam. Nascentem me primum tua cura dignatus, atque adeo priusquam nascerer, incredibili postea semper bonitate erga me usus es, O Pater cælestis, peccata mea quæ avertere faciem tuam a me debuerant, prope indulsisti mihi, certe pro merito ultus non es, quin pro tua infinita clementia et studiis bene-

dixisti, et uxorem charissimam dedisti, et suavissima pignora. Mitto dicere quantis e periculis sæpe me meosque liberaris. Taceo etiam alia sexcenta quibus tuum erga me *τὸν ταλαίπωρον καὶ ἁπαξαπλῶς ἀνάξιον*, amorem mihi testatus es. Quorum omnium si velim numerum inire non dierum aliquot opus aggrediar, sed tot annorum quot jam exegi. Ac tu quidem, O salus mea, sic egisti mecum. Ego autem quid? Quid autem, nisi quod diem nullum prætermisi, quo te non offenderem? Miserum me! quando peccatis meis lacessere tuam bonitatem, O Deus æterne atque immortalis, desinam? Certe enim *τὰ μεγάλα τοῦ Θεοῦ δῶρα μέγαν ἔχει φόβον*. Supplex *τὸ τρισάγιον* numen nomenque, O Deus, veneror, mundes me ac meos a peccatorum nostrorum fœditate: crees in nobis cor purum: neque illud osseum aut corneum et *σκληρὸν καὶ ἀπειθές*, sed carneum et *εὐάγωγον* tibique auscultans. Serva etiam nos, O Pater noster, et quod præteriit vitæ secius actæ, id tege, quod superest adhuc mihi meisque agendum, id totum rege. Domine Deus, exaudi preces meas, et facilem te propitiumque nobis præbe, per humani generis *σωτῆρα* Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, *δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ ἡ δόξα ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.*

IV. *Non. Jan.* Mane *τὰ ἐγκύκλια*: nisi quod cura Rectoris invito ad paucos dies imposita, magnam partem temporis matutini nobis ademit. A pran-

dio nobis viximus, imo publico literarum, uti speramus in tua bonitate, O Pater ἐπουράνιε.

III. *Non. Jan.* Mane studia sacra: a prandio amici, sacra concio, studia. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Jan. Mene adeo quarta luna esse natum, ut pateam iis expositus prædæ qui temporis me ζημίᾳ ζημιοῦν volent. Ecce vix museum eram ingressus, cum amici alius ex alio me totum mane totumque exinde diem habuerunt. O dolor! Interea fluit ætas. Κύριε βοήθει.

Non. Jan. Mane studia ἐγκύκλια, nisi quod novum hoc munus valde impedit. A prandio adfuimus cum efficeretur confectio Alcermes, et quæ Hyacinthina dicitur. Vidi libenter illa magna Dei dona ab ejus bonitate humano generi data. Ille est, ille ὁ ἀριστοτέχνας πάντων τῶν ἐάων δωτὴρ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, σὺν καὶ τῷ Κυρίῳ τῷ αὐτοῦ μονογενεῖ Υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι.

VIII. *Eid. Jan.* Et mane et a prandio studia valde interrupta, ita volente Domino, ut mea negligentia excitaretur.

VII. *Eid. Jan.* Hic vero dies pene totus non studiis sed novo muneri impensus. O ades, salus mea, et meis studiis βοήθει.

VI. *Eid. Jan.* Horas fere sex studiis dedimus. Quando totos dies? Nempe, O Pater, cum tu voles. Te igitur, ut velis, supplex oro.

V. *Eid. Jan.* Mane studia: a prandio amici totum fere diem eripuerunt, ὃ μήποτε ὤφελον. Sed ita Deo visum, cui gloria et honos in æternum.

IV. *Eid. Jan.* Mane sacra concio : in qua mirati hominem juvenem acriter eos reprehendere, qui inter concionandum ad sacrosanctum Dei nomen caput operiunt, diximus ei a concione hanc esse hodie reformatarum in Helvetia et Germania consuetudinem : ille vero *πάνυ νεανικῶς* damnare se reprehendereque eas omnes ecclesias affirmavit. *Τοιαῦτα ὁ καλὸς κἀγαθὸς ἀπολαύει τῆς δοκησισοφίας.* Didici tamen quomodo sit cum hoc genere hominum versandum, quibus nihil placet nisi quod in ea ecclesia, cui præsunt, sit receptum. Da, O sancte Parens, da, supplex te veneror, et mihi et illi Spiritum Sanctum tuum, qui *τὴν διάνοιαν ἡμῖν φωτίσῃ*, et *πρὸς τὴν ὀρθὴν εὐσέβειαν ὁδηγήσῃ.* אמן אמן. A prandio visimus officinam Bernardini pharmacopœi, ibique multa vidimus *ἀξιοθέατα.*

III. *Eid. Jan.* Hora fere septima in museum veni ; et diem quasi totum perdidi, miser, ah, miser. *Κύριε βοήθει.*

Prid. Eid. Jan. Mane totum in studiis : a prandio negotia varia nos habuerunt, studia leniter. *Θεῷ χάρις*, quod non totum saltem diem amisimus.

Eid. Jan. O diem foris lætum, domi mœstum. Tu scis, O *καρδιογνῶστα*, caussam. *Κύριε ἐλέησον· μᾶλλον δὲ ἠλέησας· τῷ καὶ πλείστην οἶδά σοι χάριν.*

XIX. *Kal. Feb.* Mane ad libros circa septimam, imo longe post, proh dolor : et deinde totum mane amissum : imo dies totus periit miserrime. O Deus salutis meæ, adjuva studia mea, sine quibus non est mihi *βιωτὸς ὁ βίος.*

XVIII. *Kal. Feb.* Mane studia *ἐγκύκλια*, si ita visum fuerit Deo. Ac visum est sane, nam totum diem mihi vixi et Musis. Magnam et pomeridiani temporis partem studiis impendi. Atque hæc quidem *εὖ καὶ καλῶς*. Turbavit me tamen acceptus hac vespera de magno morbo magni amici mei Jani Antonii Sarraceni nuncius. O nuncium mihi, meis, omnibusque bonis lugubrem. Sed ades, O Pater *ἐπουράνιε*, et optimum virum bono publico natum bonis serva, oro te, atque exobsecro per Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum qui una tecum et Sancto Spiritu tuo vivit regnat *καὶ νῦν καὶ εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.*

XVII. *Kal. Feb.* Mane et a prandio studia, officia, negotia curata pro virili. Ita *ἑβδομὰς* transacta tuo, O Deus salutis meæ, beneficio.

XVI. *Kal. Feb.* Mane sacra *σύναξις*, et studia sacra. A prandio amici, et studia item sacra per aliquot saltem horas Dei beneficio.

XV. *Kal. Feb.* Mane studia: sed non sine impedimento. A prandio vero, quasi facta conspiratione in perniciem meorum studiorum, amici me impedierunt. O factum male! *Γενηθήτω δὲ τὸ τοῦ Θεοῦ θέλημα.*

XIV. *Kal. Feb.* Vixi hodie non inutilis, spero, literis: quibus ut horas sex sèptem impenderemus, tuum est, O Deus, beneficium. Tibi grates æternæ.

XIII. *Kal. Feb.* Mane concio sacra, et vix toto die quatuor horæ utiliter collocatæ. Sed non

mea culpa, quanquam et mea. Σύγγνωθι, ὦ Θεός.

XII. *Kal. Feb.* Mane studia ἐγκύκλια. A prandio aggressi sumus interpretationem legis Ulpiani quæ materiam vestium continet. Non temere id nos suscepisse tu scis, mi Deus; qui scis, qua diligentia in eo argumento simus versati. Sed ades, O Pater, et studiis meis benedice magis magisque. Amen.

XI. *Kal. Feb.* Mane τὰ ἐγκύκλια, non sine aliquo tamen impedimento propter negotia domestica cum hospite. A prandio docuimus, et aliquot horas studiis impendimus. Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Feb.* Mane sero ad libros: vix ut duas horas studiis dederimus, reliquum tempus novo huic muneri. A prandio cum serio in libris essemus, ecce nuntium certum de obitu amicissimi viri Jani Antonii Sarraceni. Virum robustissimum, artis Pæoniæ peritissimum, ætate vigentem, vix novem dierum morbus abstulit. En quid sumus miseri mortales? sane miseri τρὶς καὶ τετράκις, nisi spe foveremur vitæ melioris et nunquam desituræ. Amisi igitur, aut præmisi potius in beatorum sedem amicum vere amicum, et qui excellentissimi ejus nominis mensuram impleret. Durum, sane durum, et plane mihi ἄφερτον, nisi obversaretur ante oculos tua, O Deus æterne, sanctissima voluntas: huic me acquiescere, et στέργειν τὸ συμβὰν, jus et fas est. Fac vero, O Pater immortalis, novi exoriantur Sarraceni, pie-

tate adversum te τῷ μακαρίτῃ illi meo amico æquales, aut etiam si patitur ἡ ἀνθρωπίνη ἀσθένεια superiores. Da illius liberis, da mihi et meis, ut in timore nominis numinisque tui, te semper dum terras colemus sancte et pie colamus. Amen.

IX. *Kal. Feb.* Mane studia sacra, quibus intentus concionis audiendæ facultatem amisi. A prandio studia nos habuerunt, quantum per amicos licuit. A cœna redditæ sunt nobis regiæ literæ quibus Lutetiam evocamur. Cujus quidem consilii, O Deus salutis meæ, si tu auctor es, age, parebo intrepidus voluntati tuæ: sin ea res humanis amicorum consiliis instituta est, supplex te, sancte Pater, veneror, quod Rex, quod amici mei moliuntur, exitum habere ne siris. Rege me, O Deus, et peccata mea meorumque tege per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat, regnabit ἀπ' ἀρχῆς ἀνάρχου εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

VIII. *Kal. Feb.* Mane ἐγκύκλια quantum per negotia licuit: item a prandio, quantum per munus docendi et alias occupationes nimis, ah nimis multas: siquid temporis non plane periit, Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Feb.* Et mane et a prandio alienus fui, non meus: vix horæ quatuor aut quinque datæ studiis. O infelicem! Sed ades, O Pater ingeniorum.

VI. *Kal. Feb.* Mane vix libri inspecti propter sacram σύναξιν, et uxoris ἀσθένειαν. A prandio non

multo magis; ac ne a cœna quidem meus fui, sed amicorum, qui ad me venerunt. En erit unquam ille dies cum mihi vivam et Musis? imo vero tibi, O Deus meæ salutis, quem veneror tota animi mente, et εἰς βοήθειαν meorum studiorum unum invoco. Ades, O salutis meæ anchora, et mihi meisque fave.

V. *Kal. Feb.* Mane fui meus et Musarum. A prandio docui, studui literis. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Feb.* Mane τὰ ἐγκύκλια: a prandio, ne docerem, fecit ἀπειροκαλία hospitis. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Feb.* Mane τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, cui acceptum fero et quod pomeridiani temporis bonam partem mihi vixi. En erit ille dies unquam, O Pater cælestis, cum neque mihi, neque Musis his, sed tibi, tibi μονωτάτῳ, vivam et σχολάσω animo toto? Oro te, Deus immortalis, per Dominum nostrum Jesum Christum damnes me hujus voti, et melioribus studiis aliquando me mancipes. Γένοιτο, γένοιτο.

Prid. Kal. Feb. Mane sacra studia et σύναξις ἁγία: hoc tempus hoc die bene positum, reliquum pene totum periit inter amicos. Ita exactus primus anni hujus mensis: si obitum Sarraceni excipias, qui mihi acerbissimus est, si item jacturam temporis molestissimam, plures albos quam atros numeravi calculos. Omne id tui beneficii est, O Pater, O σῶτερ. Tibi cum Filio tuo τῷ ὁμοουσίῳ Θεῷ et Spiritu Sancto honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

Kal. Feb. Mane totum studiis primum sacris de more, deinde aliis ut impendere possemus, largitus mihi es tu, O Pater cælestis. A prandio totum penitus amissum tempus, quod ne item alias eveniat, supplex te oro, Deus æterne, auctor salutis meæ, et omnis boni.

IV. *Non. Feb.* Mane totum nostri fuimus, et per varia studia sumus vagati. Etiam a prandio τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Feb.* Hora fere septima in museum ascendi. Vix horam unam matutinam studiis dedi, qua ob concionem sacram, qua ob curas domesticas. A prandio dissectioni humani corporis interfuimus, et magis magisque auctorem tanti operis mirari didicimus. O Deus immortalis, quam mirabilia sunt opera tua. Hoc igitur hac die.

Prid. Non. Feb. Mane studia ἐγκύκλια vix attigimus: mox ad institutam ἀνατομὴν iterum accessimus: ita mane periit, non sine testificatione benignitatis divinæ, quæ ex periculo non leni me servavit deprehensum in petulantissimorum juvevenum turba. Ei honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

Non. Feb. Hic dies datus visendi maris studio et arcis Magalonensis. Hæc discedens scribebam, Deum orans, ut et me et uxorem et liberos, quos mecum duco, servet ab omni incommodo tum in hoc animi caussa suscepto itinere, tum in illo majore quod impendet ἐξ ἀνάγκης. Et servasti

certe, O Deus salutis meæ, et me et uxorem et binos liberos a magnis, in quæ mirando casu omnes sed diverso modo incidimus. Eheu vero, si in tantulo itinere tot periculis sumus defuncti, quid speremus de illo altero quam longissimo? Terret me certe hujus diei experientia, nisi tu, O Deus æterne, hæc nobis accidere voluisti, ut eo ardentius opem tuam ad sequens iter imploraremus. Ades igitur, O Pater, ὦ σῶτερ, et servatos toties adhuc serva atque incolumes præsta per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit regnatque ἀπ' ἀρχῆς εἰς αἰῶνας αἰώνων. אמן.

VIII. *Eid. Feb.* Mane languente corpore studia languerunt: nec multum a prandio invaluere. Siqua hora bene posita, Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Feb.* Mane τὰ ἐγκύκλια ad horam concionis. Inde prandium apud amicum, et amici: dein curæ domesticæ, et, quod potuit fieri, libri inspecti. Non sic, spero, semper erit. Quæ enim hæc vita est sine libris aut potius sine tempore? sed γενηθήτω τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ.

VI. *Eid. Feb.* Mane totum et dies ὁλόκληρος occupatus in convasandis libris. Ita miser inter libros librum non aspexi, versum non legi: vix ista ipsa scripsi. O acerbam jacturam! Tu, Deus æterne, fave studiis nostris, per ego te Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum supplex oro.

V. *Eid. Feb.* Et hic dies æque male positus. Κύριε βοήθει.

IV. *Eid.* Semper ego de jactura temporis querar? nunquam eam sarciam? Ecce tot jam diebus vix inspecti libri. Quid nobis tandem futurum? Non omne tamen hodie tempus male collocatum. Horæ fere duæ concioni sacræ datæ, aliquot curæ publicæ. Unam aut alteram studia. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Feb.* Mane studia, qua potuimus diligentia: neque a prandio ea neglecta Dei Opt. Max. beneficio. Inter alia legimus hodie Moschionis libellum MS. Non erat ad manum liber editus, quem legimus Lutetiæ nuper. Non etiam quæ raptim de eo scriptore et in eum observavimus. Quare iterum hic pauca de eo: quando et libri et scripta omnia fere nostra jam sunt in itinere, quod quidem Deus Opt. Max. fortunet. Auctor est sane lectu dignissimus propter argumentum. Inscribitur, Περὶ γυναικείων παθῶν, melius inscripsisset alio modo. Non enim de omnibus mulierum morbis est ejus liber, sed de iis quæ ad partum pertinent. In MS. post libri indicem sequitur, Ἄρχεται τὸ τοῦ βιβλίου προοίμιον, et habetur deinde id prooemium: quod an extet in libro edito non memini. Stylus barbarus est et vix νοητός. Ait se transtulisse ex Latino. Ita incipit in MS. Ὁπήνικα συνεχῶς ἡμῖν ἐν ταῖς γυναιξὶν ἡ μαῖα ἐγέγονεν ἀναγκαία, καὶ οὐδεμίαν ἐφεύρομεν φιλόπονον οὖσαν, ἣ γράμματα Ἑλληνικὰ ἦν μεμαθηκυῖα, εἰ δὲ καὶ μεμαθήκει πάντα ἐν τῇ τῶν Λατίνων διαλέκτῳ ἑαυτῇ μετήφρασεν ἂν τὰ γυναικεῖα ὅπως δυνηθῇ γινώσκειν τῷ λόγῳ τῆς ἀναγνώσεως πάντα· ἐγὼ τοίνυν Μοσχίων πολ-

λὴν ἤδη ὁρῶ ὡς πανταχόθεν μετανεγκεῖν ἐκ τῆς ἀληθείας τὸν λόγον μᾶλλον μὲν οὖν κατασκευασμένα καὶ τὸ ἐπιμελέστερον κεκαθαρμένα, κάθαπερ ἐπὶ τῷ ὀφθαλμικῷ καὶ χειρουργικῷ τοῦ φιλιατροῦ· ἀλλὰ μὴν καὶ ποιηματικοῦ ἀνάγνωμεν. ἔδοξεν ἐμοὶ ταῦτα τὰ γυναικεῖα ἐκ τῆς τῶν Λατίνων μετάτρεψαι διαλέκτου etc. piget enim plura describere. Nam quod istud est dictionis genus? Plane θαύματα iste loquitur, non ῥήματα. Non Græcam non Latinam φράσιν agnosco. Est vero observandum, adnotatam hic esse in MS. lectionem aliam diversi sensus, sic εἰς τὴν τῶν Λατίνων μετάτρεψαι διάλεκτον. Præfationem sequitur ipse tractatus, qui incipit Τί ἐστι μαῖα; Caput ultimum inscribitur Τὰ ἕλκοντα ὅσα ῥίπτει. Deest illi aliquid a fine. Percurri etiam Theophrasti Characteres eadem manu scriptos elegantissime. Atque utinam nostra editio nupera ad manum fuisset, nam omnibus studiorum præsidiis destituti quid adnotemus nescimus. In præfatione diserte scriptum βεβιωκὼς ἔτη ϟδ. Libri index est Θ. χαρακτῆρες περὶ ἰδιωμάτων. Scriptum est ἐκθήσω δέ τοι κατὰ γένος, ὅσα τυγχάνει γένη τρόπων τούτοις προκείμενα, et ὥσπερ ἐπεθέμην. Inter præfationem et primum caput erant interjecti tituli omnes numero triginta, nam duo postremi erant ibi Περὶ φιλοπονηρίας. Περὶ αἰσχροκερδείας. Cæterum neque illa duo capita extabant, neque liber satis emendate scriptus. Mendæ omnes, quas ex conjectura sustulimus, in eo libro comparent, atque etiam plures. Exempli caussa in cap. περὶ μικρολογίας scriptum οἷος

μεταφέρει τὰ σκεύη καὶ τὰς κίνας, καὶ τὰς κιβωτοὺς mendosissime. In extremo libro erat scriptum, *Οὐαλερίανος μονάχος ἔγραψε ἐν τῷ τοῦ ἁγίου Ἀντωνίου μοναστηρίῳ Ἔνετισι, αφμ.* Hæc igitur hac die.

Prid. Eid. Feb. Mane divisum in varia studia pro genere librorum, qui fere soli erant ad manum. Atque hoc die cepi Merceri in Jobum scripta legere, facturus σὺν Θεῷ deinceps hoc matutinum exordium studiorum, donec omnia illius magni viri perlegero, quod ut facere possim, oro te, Deus æterne, fons et auctor salutis meæ.

Eid. Feb. Mane totum, totumque pomeridianum tempus amici nescio dicam an inimici in nugis occupatissimum me habuerunt. Bone Deus, quando desinam querelarum? quando ex hisce studiorum procellis servabor? Nempe illud erat in fatis, ut præter voluntatem nihil ad publicam literarum utilitatem possem conferre. Fiat igitur, O Deus æterne, tua voluntas.

XVII. *Kal. Mar.* Ante concionem cum Jobo et Mercero fui, quantum licuit. O dulce animi pabulum! O divinum virtutum omnium exemplum Jobum! Nam falsum omnino est quod R. Moses Ben Maiman in More Nebukim putat eo libro contineri non rei gestæ narrationem, sed velut εἰκόνα et ideam aliquam viri pii. Non dubium est Jobum fuisse, cujus Ezechiel et Apostoli meminere, eique omnia accidisse eo libro contenta. Quorum lectio ut non utilitatis mihi minus afferat, quam piæ voluptatis, supplex te, magne Deus,

veneror. Inde concio sacra habita a Gigordo γνησίῳ theologo, cui et universæ Ecclesiæ ut benedicat Deus Opt. Max. oro illum quæsoque.

XVI. *Kal. Mar.* Mane studia ἐγκύκλια singulari Dei beneficio. Inter alia legimus ex occasione libellum qui ducitur esse Boethi *de disciplina scholarium.* Mirum scriptum! Imperitissimi hominis esse eum partum jures, cum illa tam multa spectes fatua et inepta toto libro sparsa. Rursus eruditionis non perfectæ multa apparent ibi vestigia. Christianum fuisse auctorem persuasus sum vel argumento hujus φράσεως cap. 4. *Utroque parentum viam universæ carnis ingresso.* Sed cap. 6to. clarius loquens de magistris arrogantibus, *Hi sunt qui fimbrias dilatant,* etc. ex Evangelio. Habet aliquid illud scriptum affine Satyris: fere enim cum aliquod vitium reprehendit, addit historiam cujusdam suæ ætatis cui propterea male evenerit. Notabis quod initio cap. VI. ait de *magistralibus paludamentis,* et sub finem *Vestis polymitæ venustas annulorumque insignia multos aliud quam veritas obtinet cogunt obtinere,* quæ faciunt ad Persii Sat. pr. Cap. 2. describuntur vestes τρυφῶντος juvenis, qui locus facit ad libros nostros de re vestiaria. Habentur et alia multa eo libello quæ legere pigeat, non pigeat legisse. Hæc fere hoc die, cujus totum pomeridianum tempus studiis periit. Θεῷ χάρις siquid bene positum.

XIV. *Kal. Mar.* Mane totum literis scribendis impensum et domesticis curis. Discessit enim a

me hodie uxor charissima Lugdunum cogitans, sed ad piam matrem prius ventura. Abiit igitur ipsa, abduxitque secum charissima pignora Philippam, Johannem, et Gentilem. Ne cum uxore τῇ προσφιλεστάτῃ proficiscerer impediit me istud nuper impositum Rectoris onus. Sed non morabor σὺν τῷ Θεῷ diu. Interea Deum Opt. Max. supplex veneror, regat uxorem liberosque meos. Non est illa quidem dimidia pars animæ meæ, sed tota quasi anima. Illam mihi tu serva, Pater clementissime, et nostro isti consilio, cujus te nobis auctorem esse confidimus, benedice pro tua immensa infinitaque clementia. Exaudi, O Deus, humiles meas preces, et me meosque serva. Amen.

XIII. *Kal. Mar.* Mane τὰ ἐγκύκλια ad concionem sacram cui interfuimus, et quia pietas jubebat, et quia mos publicus Ecclesiæ, et οὐχ ἥκιστα quia privata solennitate celebrandus hic mihi erat dies. Hic est enim vitæ nostræ exiens XL. annus: hic illius anni dies ultimus. Hic, inquam, patientiæ divinæ erga nos τετταρακοστὸς περιπλόμενος ἐνιαυτός. Subit mirari, O Deus salutis meæ, tuam erga me τὸν ταλαίπωρον βροτὸν μακροθυμίαν. Nos homunculi, siquem habeamus famulum immorigerum, et dictis nostris parum obedientem, vix mensem, vix annum certe ferre possumus. Tua, O Pater ἐπουράνιε, ἄφατος καὶ ἀδιήγητος clementia et benignitas quadraginta ipsos annos expectat, dum hæc σαπρὰ arbor dignos edat fructus et convenientes nomini

Christiano. Expectat, eheu, tua bonitas: sed cui hactenus nulla in parte satisfecit nostra καὶ φυσικὴ καὶ ἐπίκτητος ἀσθένεια; miserum me! quis me liberabit ea pœna, quam peccatis meis hactenus sum quotidie promeritus? Quis vero nisi tu, mi Deus, mi σῶτερ, Jesu Christe Fili Dei, Deus ipse? Te igitur supplex veneror, facias mihi meorum peccatorum gratiam. Condones illa mihi, O generis humani redemtor. Tege, quæso te atque obsecro, peccata, et quæ præterito hoc anno admisi, et quæ toto totius vitæ meæ curriculo. Ne mihi illa, ne meis, O Deus, imputa, sed æternum dele, et eorum memoriam pone. Utut magna multaque sint, quæ in te, mi Deus, et legem tuam commisi, major tamen potiorque est tua χρηστότης καὶ εὐγνωμοσύνη. Munda me igitur mi Deus, et mundus ero. Κάθαιρε τὴν ἐμὴν τοῦ ἀθλιωτάτου ψυχήν. καὶ αὐτὸ πάσης ἁγιστείας ἔσται μοι αὕτη ἡ κάθαρσις. Nec solum mihi hoc peto beneficium, sed et uxori, liberisque meis, O Deus, quos omnes serva cum in hoc itinere ab omni periculo, tum in via vitæ hujus ab omni mala τοῦ πονηροῦ tentatione, ut, dum terras colimus, ego atque illa, illique tibi pura mente καὶ ἐξ ὅλης τῆς καρδίας serviamus, et hac vita functi meliorem aliam assequamur, quam electis tuis parasti promisistique. Amen, amen.

Annus Vitæ xli. Dies Feb. xviii.

xii. *Kal. Mar.* En annum vitæ meæ novum: en novum benignitatis tuæ erga me argumentum. O utinam et cor mihi novum fiat, *ἐπεὶ τόγε παλαιὸν ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ἐσκληρύνθη.* Veneror supplex *τὸ τρισάγιον* numen tuum, sancte Parens, indas mihi piam et veræ pietatis zelo ardentem mentem. Finge, O factor meus, animum mihi meisque vere Christianum. Refice nos, qui fecisti: solus enim potes. Fac pro tua inenarrabili bonitate digni reperiamur in quibus Spiritus Sanctus tuus inhabitet. Ait enim verbum tuum piorum corpora templa esse *ζῶντα,* quibus *ἐνοικεῖν* ipse non dedigneris. Altum et paucis cognitum mysterium, cum inter naturam tuam et humanam distantia sit tanta, ut proportio sit omnino nulla: rationem tamen, O Deus, invenisti, qua posset homo Deo jungi: creatus creatori suo; mortalis immortali. *ὦ πλοῦτε, ὦ βάθος σοφίας.* Quis ad hæc satis capienda sit idoneus? Ii nempe, quos tu, Deus æterne, *ἱκανώσεις.* Quorum e numero ut simus ego meique, votorum meorum ea summa est. Non opes te posco, mi Deus, non honores, non alia seculi bona. Gratia tua, mi Pater, mihi meisque sufficit. Hæc mihi, hæc uxori, hæc liberis nostris panem quotidianum nobis concedat. Hæc esto spes omnis nostra, hæc omnis fiducia, sola ancora nostra. Ac quoniam ad novum vitæ genus a te vocamur, ignari ubi deinceps velis nos

consistere, oro te, Deus ὑπεράρρητε, familiam hanc dirigas in hujus vitæ erroribus ad portum: da alicubi quiescere, ubi opera mea non sit futura inutilis ad promovendam gloriam tuam. Equidem in migrationis hujus consilio te auctorem esse mihi confido. Te igitur sequor, et tuæ providentiæ meque et meos, non in hunc solum annum, sed in omnem vitam regendos trado et committo. Tua dextra hactenus nos servavit, tua dextra porro nos servabit. Ita velis, sancte Parens, ita annuas. Tibi soli sit gloria honosque, et Domino nostro τῷ μονογενεῖ Filio tuo Jesu Christo, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat, vivet, regnabit ἀπ' ἀρχῆς εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen. Amen. Concio sacra et studia Dei beneficio.

XII. *Kal. Mar.* Mane studia ἐγκύκλια quatuor minimum continuis horis, sine magno impedimento. A prandio curæ publicæ et amicorum ἐπισκέψεις me totum fere sibi vindicarunt, non minimum et sollicitudo de itinere uxoris et liberorum. Quanquam quid ego de illis me torqueo μὰψ οὐ κατὰ κόσμον? Scilicet mea anxietas aut sollicitudo poterit aliquid illis prodesse? Unus tu, Deus, Pater mi et meorum, et potes εὐοδοῦν uxorem et liberos διαφυλάττειν. Quod ut facias, servesque illos et cum iis piam matrem, sorores, affinesque omnes, oro te supplici prece quæsoque. Γένοιτο, γένοιτο.

X. *Kal. Mar.* Mane totum abstulit mihi munus hoc invisum vel eo nomine. Etiam a prandio

parum nostri fuimus. Adde quod solitudo hæc propter abitum uxoris et liberorum, mœstitiam non mediocrem mihi conciliat. Sed confido in tua, Pater clementissime, clementia. Tu illis, spero, hoc iter εὐοδοῦσθαι dabis. Tu mihi, ut brevi, ipsis et piæ matri charissimæque sorori et affini jungar.

IX. *Kal. Mar.* Mane studia et sacra concio: a prandio amici, et Græci libri MS. τῶν γεωπονικῶν cum libro edito collatio. Vota etiam et preces assiduæ certe quidem ἐνδιάθετοι pro felicitate itineris uxoris τῆς τριςποθήτου καὶ τῶν φιλτάτων παιδίων. Serva, O Deus, illos, et cum iis matrem meque et omnes meos.

VIII. *Kal. Mar.* Mane fere totum, a prandio item τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου curis qua publicis qua domesticis datum. Heu temporis jacturam. Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή.

VII. *Kal. Mar.* Et mane et totum ἐφεξῆς diem curæ domesticæ mihi rapuerunt. O molestissimam uxoris absentiam. Vix sesquihoram hodie vixi. Oro te, Deus magne, des mihi uxorique, ut dies nostros una agamus ἕνα θυμὸν ἔχοντες. Da nobis, ut tui cultores simus assidui, liberosque nostros in timore tui erudiamus. Et nos denique, ὦ σῶτερ, et illos atque in primis piam matrem serva cum affinibus, cognatis et amicis omnibus.

VI. *Kal. Mar.* Mane curæ domesticæ et ἡ ἁγία σύναξις. Curæ deinde domesticæ, et languor corporis, vigente animo tamen propter lætum de

uxoris et liberorum felici adventu ad piam matrem. Gratias vero tibi ago, O Deus, O Pater, ὦ σῶτερ.

V. *Kal. Mar.* Amicis hodie valediximus et consulibus præsertim: Deus illos, Deus me servet et meos.

IV. *Kal. Mar.* Mane summo e stratis ut possemus hodie Volcis Arecomicis vale longum dicere. Et fecimus tandem post longam molestissimamque jacturam temporis, præsertim ab eo tempore quo abiit a me uxor charissima. Igitur, quod Deus Opt. Max. felix et faustum esse velit faxitque, Mompelium hodie reliqui, et Lugdunum iter institui. Non sine mœrore urbem nostri amantem reliquimus, florentissimam ibi Ecclesiam non sine gemitu; tenellam filiolam non sine suspiritibus. Sed rapit nos vis major, et nos fata nostra alio vocant. Caussas consilii hujus, Deus æterne, tibi probatas esse confido. Oro te vero supplexque veneror ceptis benedicas, meque ac meos eo dirigas ibique sistas, ubi non sit futurus inutilis labor noster ad promovendam tuam gloriam, et rempublicam literariam augendam. Addo etiam, ubi familiæ meæ melius, quam fecerim hactenus, queam consulere. Nam Mompelio quidem bonam famam et præterea nihil reportamus. Utinam omnes saltem liberos referrem. Tu, Elizabetha, delicium meum, matris tuæ ἄγαλμα, abes nunquam solum mutatura antequam regni cælestis hæreditas cernatur. Abes etiam tu, Johanna τοῦμον μέλημα relicta apud nutricem piam, uti spero,

et probam. Deus te servet corculum meum, et vel te nobis, vel, si ita ferunt fata, nos tibi brevi restituat. Quod nostra diligentia fieri poterat, id abunde præstitimus, cavimusque ne tibi nostra absentia esset damnosa, cæterum in Dei manu nos sumus et nostra omnia. Hoc duce, quod superest, itinera *θαρροῦντες* aggrediemur, et, spero, conficiemus. Venimus Lunellum. Duo sunt ejus nominis oppida, vetus alterum est et dicitur: alterum novum. Illud propius abest Mompelio, et minus devium est. Eo igitur venimus, vel potius ad eum *σταθμὸν* qui ei vico proximus et vulgo dicitur La Begude Clance.

III. *Kal. Mar.* Nemausi pransi sumus, et cum amicis suavissima colloquia habuimus. Inde venimus ad vicum cui nomen Begouffe, distantem Nemauso lapides duos. Hactenus bene et feliciter tuo, mi Deus, beneficio. Tibi honos et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων.* Amen.

Prid. Kal. Mar. Summo mane equis conscriptis in illud oppidulum venimus cui nomen Rupis Maura. Sex leucis distat ab eo loco ubi quieramus. Inde Arausionem pervenimus: neque eam urbem ingressi sumus *ὑπὸ σπουδῆς*: inde sub crepusculum venimus Tuletam. Est id oppidulum in ditione Pontificis, (sed quod ante annos XL. venit in potestatem Regis). Pars ejus qui dicitur Comitatus Venissianus. Hactenus *πημάτων ἔκτος τὸν πόδα ἔχομεν, ὦ Πάτερ, ὦ σῶτερ, καὶ τοῦ λοιποῦ θ' ἁμά σοι μέλοι δεόμαί σου, ὦ ὑπερφυὴς ἀγαθότης.*

Kal. Mar. Summo mane multumque ante lucem

surreximus, et mox venimus ad urbem cui Vourcas nomen: inde ad viculum sex septem domorum Peagé ex re dictum. Inde ad oppidulum *Deus fecit* itinere per montes et saxa molestissimo. A *Deus fecit* ad Burdigalam etiam difficilius et incommodius iter. Tandem Burdigalam pervenimus, et matrem, uxorem sororisque domum universam et usque liberos meos valentes reperimus Dei Opt. Max. beneficio, cui pro tot tantisque in me et meos εὐεργετήμασιν gratias ago humili demissoque animo, eumque supplex oro regat nos deinceps et in erroribus hujus miseræ vitæ ducat, tandemque ad optatum vitæ æternæ finem dirigat. Amen. Inter *Deus fecit* et Burdigalam locum vidi et observavi ubi nuper lapsus is mulus qui mea pignora vehebat. Mirum dictu, quod ibi accidit. Erat iter per angustum tramitem in saxo secundum fluvium Geuron. Mulus cadit, et filiola Gentilis longe projicitur super nudum asperrimumque saxum. Uxor periisse illam putat, et οἰκτρότατα exclamat. Reliqui in eo esse videbantur ut statim perirent. Singulari Dei beneficio mihi meisque æternum memorando, et illa quæ ex alto decidit sine damno et noxa fuit, et reliquis prius subventum quam conaretur mulus surgere, et ex eo loco se attollere. Tibi, O Deus, mea meorumque certa et unica salus, honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

VI. *Non. Mar.* Inter meos adfectus, mira cum suavitate transactus hic dies. Studiis pauculæ horæ datæ. Alias σὺν τῷ Θεῷ plures dabuntur.

V. *Non. Mar.* Mane positum in lectione libri a D. du Plessis edito de Missa; qui liber utinam per Dei benedictionem nostris Gallis prosit cæcorumque oculos illuminet, et videntium fidem firmet. Inde venimus in sacram concionem. Inde amici, et studia leniter procurata, neque enim poteramus, utinam brevi possimus, quantum optamus. Da hoc, mi Deus. Solus enim potes: solus es a quo id spero beneficium.

IV. *Non. Mar.* Mane diei hujus a matre, sorore, affineque charissimo discessimus: Deum optimum maximum *μυριομυριάκις* precati ut et illos servet, et nos regat. Reliquimus ibi locorum in matris et sororis manibus charissimam filiolam Gentilem, sive potius Joantillam. Hanc quoque, Deus æterne, tua cura dignare, et in hac ætate tenera ita educari face, ut postea honestam in ecclesia tua vitam semper agat: semper tibi famuletur. *Ναὶ Κύριε ἐλέησον, καὶ ἡμῖν βοήθει.* Crestam inde venimus oppidum *λόγου οὐκ ἀνάξιον.* Ea est urbs, ubi ab optimo parente sumus educati et primis litterarum rudimentis initiati. Pater enim ad *τὴν τοῦ θείου λόγου ἱερουργίαν* eo fuerat Geneva ascitus. Atque ille constantissimo animo in ea urbe, certe in eadem *λειτουργίᾳ* perseveravit per varia discrimina, et multiplices casus ad extremum vitæ diem usque. Nunc alia rerum facies. Locum illum pertransivimus, et Stellam venimus. Ibi hæc scribebamus *τῷ ὑπεραρρήτῳ Θεῷ ἐξ ὅλης καρδίας εὐχαριστοῦντες.*

III. *Non. Mar.* Stella profecti, Valentiam Canarum venimus, neque ibi pedem fiximus; inde Teillam, quæ e regione Turnoni: mox ad oppidulum cui nomen St. Valier: ibique pernoctavimus. Hactenus, O Deus, iter hoc mihi meisque εὐώδωσας. Quod superest tua benignitate freti, ὦ σῶτερ, prosequemur.

Prid. Non. Mar. Hæc loca pertransiimus, St. Rambert, le Peage, Aubeville, inde Viennam venimus extrema septimana. Deo laus, honos, et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

Non. Mar. Vienna Sansaphorinum, inde Lugdunum salvus valensque Dei Opt. Max. beneficio cum uxore et duobus ex nostris Philippa et Johanne, perveni. Inveni ἀγαθῇ τύχῃ egressum εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν amplissimum virum D. Vicquium, qui incredibili comitate, bonitate, amore erga literas, nos domi suæ excepit; eoque nunc hospitio utimur ego meique. Deus ὁ πανελεήμων omni bonorum genere virum optimum omnemque ipsius familiam fortunet καὶ ἡμᾶς ἐν τῷ ἑαυτοῦ φόβῳ εὐημεροῦντας ἀεὶ καὶ διὰ πάντων διαφυλάττοι.

VIII. *Eid. Mar.* Mane totum et dies integer visendis amicis datus. Hodie intellexi de injuria mihi facta, vel potius uxori meæ et liberis a Senatu Genevensi: qui solet de magnis litibus ex conscientia sine juris scientia statuere, et divæ Themidi raro admodum litare. Sed ipsi viderint, et qui eos impulit ad hanc iniquitatem. At Deus illis ignoscat, mihique et meis διηνεκῶς benedicat.

VII. *Eid. Mar.* Mane toto literas scripsimus Burdigalam et Mompelium. A prandio amicos visimus, et libros salutare incepimus. *Θεῷ χάρις καὶ δόξα.*

VI. *Eid. Mar.* Mane studia *ὁπωσδηποτοῦν·* item a prandio inter familiæ strepitus aliquot horulas: *τῷ ἀπεριλήπτῳ Θεῷ χάρις καὶ δόξα. Ἀμήν.*

V. *Eid. Mar.* Mane et a prandio *τὸ καδδύναμιν* alieni a literis non fuimus. Ac recepto Mercero ad pensum ejus lectionis rediimus. Sed tu, O Deus æterne *καὶ ὑπεράρρητε,* studiis meis vitæque meæ et meorum ducem te præbe.

IV. *Eid. Mar.* Mane inter familiæ turbas libri erant oblectamento. Pomeridianum fere tempus totum libris solvendis et recognoscendis transactum. Domine Deus, accende in me et meis veræ pietatis zelum et magno amico huic meo omnibus modis benedice.

III. *Eid. Mar.* Inter familiæ et visentium amicorum strepitum vix libri inspecti; inspecti tamen utcunque et mane, et a prandio, leniter saltem. Tibi, mi Deus, cum videbitur, et si videbitur, aliter vivemus et cum Musis. *Γενηθήτω δὲ τὸ θέλημα τὸ σόν.*

Prid. Eid. Mar. Dies erat Dominica, quæ me pietatis adversum Deum admonebat. Sed Lugduni sumus. Oro te, *τρισάγιε καὶ ἀπερίληπτε Θεὸς, δοίης καὶ ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς ἀεί ποτε παρουσίαν τοῦ λόγου τοῦ βιωφελοῦς καὶ βιοδότου. Τέγξον, ὦ παντοδύναμε Θεὸς, τὰς τῶν ἐναντιουμένων τῇ τοῦ εὐαγγελίου*

κηρύξει καρδίας· ἀγνοοῦντες γὰρ αὐτῶν οἱ πλεῖστοι ποιοῦσιν ὃ ποιοῦσι. Καὶ τοῦτο οὖν δὸς ἡμῖν, ὦ Πάτερ, ὦ σῶτερ. et hoc amplius supplex te, Deus immortalis, veneror, adsis uxori charissimæ et dilectissimæ filiæ in eo quod Genevam versus instituerunt itinere. Annus est, et quod excurrit, cum obitus charissimi capitis Henrici Stephani volentes nolentes cogit eo cogitare. Tentatum a me iter ante sex septem menses alium exitum habuit. Post illa Θεοῦ θέλοντος γέγονεν ὅσαπερ γέγονεν. λέγω δὲ περὶ τῆς ἐνθάδε ἀφίξεως. Hodie demum uxor ἡ τριπόθητος iter instituit, magnisque de caussis Philippam nostram secum adduxit. Ades vero, Deus Opt. Max., et illas serva in his difficultatibus. Cruciat enim me imber vehemens et plane ῥαγδαῖος, qui, cum ista scriberem reversus ab illa deducenda, cadebat. Sed neque imber neque ulla tempestas, aut omnino res ulla ei nocebit, quem tu servatum, ὦ mundi σῶτερ, voles. Te igitur supplex oro per Jesum Christum Filium tuum, digneris illos, digneris nos qui remansimus, digneris omnes meos tua cura. Σοὶ, ὦ Θεὸς, καὶ τῷ μονογενεῖ υἱῷ σου Ἰησοῦ Χριστῷ, σὺν δὲ καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματί σου, δόξα καὶ χάρις εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

Eid. Mar. Non pessime Dei beneficio dies collocatus: etsi habeo cur de amicis querar meis, non meo sed studiorum meorum nomine. Sed magis avocat me a studiis sollicitudo ingens de charissimorum capitum uxoris et filiæ itinere. Oro te, Deus sancte, serves illas, et sine incom-

modo velis Genevam salvas pervenire. Serva et nos hic cæterosque omnes meos ubique.

XVII. *Kal. Apr.* Mane totum ferme studiis datum: a prandio obviam processimus Duci de Ventadour: studia deinde, quantum potuit ejus fieri: Θεῷ χάρις καὶ δόξα, quem oro supplex, iter uxoris charissimæ fortunet, et nos omnes servet.

XVI. *Kal. Apr.* Gratias ago tibi, Deus æterne, quod hic dies non pessime collocatus: et quod de itinere uxoris hodie aliquid rescivi. Certiora et jocundiora etiam expecto, *σοῦ διδόντος, ὦ Πάτερ.*

XV. *Kal. Apr.* Et mane, et a prandio multum impendimus temporis in construendis librorum armariis et pegmatis. Quod potuimus, dedimus studiis magno, Deus æterne, beneficio tuo.

XIV. *Kal. Apr.* Mane fere totum amissum, dum onera librorum solvuntur et aptantur suis locis. Uxorem feliciter ad Genevam pervenisse hodie didici, et æterno Numini gratias egi. Utinam cras, quod spero, omnia certa audiam et læta omnia.

XIII. *Kal. Apr.* Mane serius ad Musas ob pristinam vigiliam et literas ad amicos scriptas. Die hoc nostrarum in Athenæum Animadversionum editionem moliri cepimus. Ea potissimum fine Lugdunum venimus. Multum ei operi temporis jam impensum a nobis: multum adhuc superest impendendum. Ante sex septem menses vix finem possumus harum molestissimarum curarum sperare. Ergo tantum temporis nobis hic

necessario manendum. Durum multis de caussis, quas nosti tu, ὦ καρδιόγνωστα Deus. Sed feramus quod sine existimationis meæ dispendio mutari non potest. Nunc ego te, Deus immortalis, supplex veneror, præstes nobis et vitam et otium ad opellæ istius elaborationem. Da mihi, Deus immortalis, ut hoc labore defunctus Numen tuum sanctissime et religiosissime iis in oris possim colere quas Evangelii tui luce illustrasti et beasti. Largire hoc mihi, meisque, O Deus τρισάγιε, oro te, per Dominum nostrum τὸν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους σωτῆρα Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo sine principio sine fine regnat, regnabit לעולם.

XII. *Kal. Apr.* Dies erat Dominicus sacer Domino Jesu Christo. Erat quidem, sed nos Lugduni sumus. Tacitis igitur εὐφημίαις τὸν Θεὸν σεβάζομεν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ταπεινῶς λιτανεύομεν. Da, Pater, παρρησίαν ἡμῖν τοῦ λόγου τοῦ σοῦ. Atque animos interea nostros zelo veræ pietatis in dies magis magisque accende. Serva etiam, oro te, supplex, et matrem, et uxorem, et liberos omnesque meos ab omni periculo tutos et inoffensos. Amen.

XI. *Kal. Apr.* Serio fuimus hodie in penso nostro, et promovimus aliquantum tuo, Deus immortalis, beneficio.

X. *Kal. Apr.* Et hunc diem non male collocavimus, pro virili quidem, immortalis Dei beneficio. Etiam ab uxore literas accepi, quam tu, Pater

clementissime, mihi serva et nostris liberis et simul ipsos nobiscum.

IX. *Kal. Apr.* Studia et Genevam literæ diem totum me occuparunt, non otiose Dei ope transactum.

VIII. *Kal. Apr.* Mane studia Θεοῦ χάριτι· et item a prandio, πάλιν αὖ καὶ πάλιν Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Apr.* Non totus dies periit, sed magna pars tamen. Literas ab uxore accepi, quæ plane cogunt volentem, nolentem, abrumpere instituta studia, et quod postremum in Athenæo paramus. Ferimus tamen nobiscum nostra scripta ut vel inter turbas et negotia opus poliamus et perficiamus. Deus Opt. Max. pro sua infinita benignitate cœptis aspiret, et consiliis benedicat. Amen.

VI. *Kal. Apr.* Mane literas Lutetiam scripsimus. A prandio iter ad uxorem instituimus, tuo, Deus æterne, freti auxilio, tuaque bonitate, quam in auxilium mei et meorum supplex invoco. Ades igitur, et βοήθει. Venimus in oppidum cui nomen Monlué.

V. *Kal. Apr.* Dies erat Dominicus. Monlué profecti per plurimum tempus venimus . . . . Est id oppidulum adhuc Sebusianorum, quæ hodie dicitur La Bresse. Ibi pransi pervenimus ad eum pagum Sabaudiæ qui dicitur Serda; in radicibus montium situs est. Vexati varie fuimus et a pluvia, et a ventis, non magno, Dei gratia, incommodo.

IV. *Kal. Apr.* Mane superatis montibus venimus

Nantuam; ibi pransi sumus, et a frigore recreati. Deinde per *St. Germain* venimus ad Chastillon; postea superavimus quem vocant *Magnum Credo* montem, et venimus ad *Longarret.* Olim ibi pagus: nunc præter ἐρείπια nihil. Erat serum diei, sed qui posset panem solum et vinum suppeditare nemo repertus. Ea calamitas Sabaudiæ infelicissimæ. Ergo pergimus ad fauces, quas e re la Cluse, i. e. Clusuram vocant. Inde venimus, multa jam nocte, ad pagum *Colonge.* Multa incommoda ego et filius passi sumus. Sed vincebat omnia studium visendæ patriæ et nostrorum adfectuum. Κύριε βοήθει.

III. *Kal. Apr.* Mane profecti Colonia venimus sub horam undecimam Genevam Dei Opt. Max. beneficio. Invenimus uxorem, fratrem Stephanum, sorores, omnes denique nostros vivos et valentes. Gratia tibi, Deus æterne, quem supplex veneror, serves illos et me cum illis atque omnes omnino meos, matremque in primis. Vidi et amicorum præcipuos valentes et ipsos, Bezam, Lectium, Pinaldum, Colladonem et alios, si magnum Sarracenum excipias, prope omnes.

Prid. Kal. Apr. Mane concio sacra audita: a prandio cum charissimo Pinaldo diem condidi, suaviter quidem, sed studia jacent, quæ tu, mi Deus, erige et fove.

Kal. Apr. Mane totum literis scribendis ad amicos in Germaniam absumtum: a prandio amicos visimus: libros vix, ac ne vix quidem

inspeximus. Κύριε βοήθει. Erat dies vulgo dictus Jovis, sacris precibus sacer, quibus tamen interesse nobis non fas fuit.

IV. *Non. Apr.* Mane studia per aliquot horas; inde amici et literæ. Siquid temporis non periit, Θεῷ χάρις.

III. *Non. Apr.* Mane fere totum literis scribendis in Aulam et Lugdunum impendi. Quod potuimus temporis suffurati sumus et dedimus studiis. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Apr. Mane concio sacra Dei Opt. Max. beneficio. O utinam Lugduni tanto bono frui nobis liceret. A prandio, quod potui, libros inspexi.

Non. Apr. Totum fere diem in recensendis Stephanicæ bibliothecæ libris collocavi, et quod tam præclaras reliquias invenerim, Deo gratias immortales egi, ago, æternumque agam.

VIII. *Eid. Apr.* Adhuc tenuit nos bibliotheca: accessere curæ domesticæ, et amicorum ἐπισκέψεις: ita dies periit. Θεὸς ἵλαος εἴη.

VII. *Eid. Apr.* Mane ad D. Vicquium prolixas literas scripsimus: a prandio studiis aliquot horas sumus suffurati. Κύριε ἐλέησον.

VI. *Eid. Apr.* Mane studia et concio sacra. A prandio negotia, quorum caussa huc veni, quæ ut feliciter conficiam, te oro, Deus æterne.

V. *Eid. Apr.* Mane studia et concio sacra: a prandio amici, et negotia leniter tractata. Da, Deus Opt. Max., his quoque finem.

IV. *Eid. Apr.* Mane studia: totum a prandio tempus amissum est. Deus immortalis βοήθει καὶ ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς.

III. *Eid. Apr.* Mane studia et concio sacra. Inde ad amicos literæ, atque officium præstitum Vismio Scoto veteri amico, de quo sinistrum rumorem ad me Beza pertulit. At tu, Deus immortalis, illi ades, et labentem si forte illius fidem virtute tua fulci. Firma etiam me et meos ὦ τοὐμὸν ἔρεισμα σεμνότατον.

Prid. Eid. Apr. Mane et a prandio neque penitus intermissa studia neque multum procurata. Deus æterne, ades, et βοήθει.

Eid. Apr. Et matutinum et pomeridianum tempus inter studia et negotia divisimus. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Mai.* Mane studia et literæ Lugdunum: a prandio amici, lectio Theologica, et inter ista studiis aliquid datum Dei beneficio.

XVII. *Kal. Mai.* Mane vix libri inspecti ad concionem usque cui interfuimus. Etiam a prandio totum amissum tempus et in nugis positum. O molestiam! tempus amittere et negotiorum nihil expedire, quibus quidem tu, O Deus æterne, da finem mihi meisque lætum.

XVI. *Kal. Mai.* Hic est dies, quo ante annum finem imposui Animadversionibus in Athenæum. Singulare id fuit concessum mihi a te, Deus immortalis, beneficium. Sed, O Pater, adhuc illud superest mihi ut perficere tandem illum fœtum, et in lucem producere queam. Quod ut facias,

te supplex oro, obsecro, sancteque veneror. Illud magis, ut me, uxorem et liberos in timore nominis perstantes serves, et in omnibus regas. Amen.

XV. *Kal. Mai.* Mane fere totum et a prandio totum tempus negotiis impensum, quibus stabiliendis fac me, O Deus, idoneum.

XIV. *Kal. Mai.* Sacer hic dies duplici nomine et quia cœnam Domini hodie celebravimus: et quia jejunio ejus iram placare hæc ecclesia constituit. Jejunavimus igitur, et bonitatem tuam, O Deus æterne, imploravimus. Ego in his non quod debui, sed quod in me fuit, præstare conatus sum, ut non fictam sed veram pœnitentiam meam, mi Domine, mi Deus, tibi probarem. Sed eheu nihil hoc mihi, nihil aliis proficiet, nisi *ἄξια μετανοίας ἔργα* protulerimus. Illa vero qui possum ego edere? qui sum arbor illa *σαπρὰ* et arida *καρποφορεῖν οὐ πεφυκυῖα.* O Domine, O Pater clementissime, confiteor tibi peccata mea: quæ et nota tibi *τῷ καρδιογνώστῃ* esse scio, et quæ mihi quoque non possunt esse ignota. Non ita sunt in me penitus emortuæ scintillæ pietatis versus tuum, O Deus, numen, ut quomodo de te sim a puero meritus, quomodo merear quotidie, in mentem subinde non veniat mihi. Ego vero, Pater clementissime, et peccatorum meorum sensum habeo, et pecco, ah miser, nihilominus. Abripit improba caro Spiritum, et *ἀνὼ ποταμῶν* nimis, quam sæpe, quæ debebat mei pars cogi, cogit. Hinc illa frequens, nec sine peccato unquam, iracundia: hinc fidei

infirmitas, indiligentia in cultu numinis, segnitia in educandis liberis, et illa omnia, quæ *παρ' αἶσαν οὐ κατ' αἶσαν* fateor quot diebus a me admitti. Sed me tamen, mi Deus, mi Domine clementissime, male factorum pœnitet. Propterea confugio supplex ad misericordiæ tuæ aram, ut qui per me perii, per te vitæ restituar. Tu, Deus æterne, qui mundum dilexisti usque adeo ut pro illius salute *τὸν μονογενῆ* Filium tuum morti volueris tradi, et quidem morti crucis, medere meis malis. Finge me alium quam sum: excita in me flagrans pietatis studium: compone mores meos ad præscriptam lege tua regulam. Extingue, quæso te, in me præcipites illos iracundiæ motus, qui, ut sæpe tuum numen lingua offendam, faciunt. Fac denique, sancte Parens, pro tua infinita clementia, simus ego, uxor, liberi de eorum numero quos sanguine Domini nostri Jesu Christi redemisti et in spem futuræ vitæ obsignasti. Hoc te, Deus immortalis, iterum iterumque supplex veneror, per eundem Filium tuum *τὸν ἡμέτερον σωτῆρα* Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo *καὶ νῦν καὶ εἰς αἰῶνας* vivit, regnat, vivet, regnabit. Amen.

XIII. *Kal. Mai.* Mane curis domesticis impensum, languente animo propter cum alia, tum morbum viduæ Stephani. Recens illa ex Gallia advenit: primos dies una fere condidimus. Quarto postquam urbem est ingressa die, invadit eam morbus. Dies erat, quem Veneris dicunt. Venerat

pia femina in concionem, et ad propositionis finem inibi permansit. Inibi factum, ut erumperet morbi vis; sed genus morbi sequente demum die cognitum, et mihi fores illius ingredienti prope jam indicatum est. Pestilentia est quæ ad inguen sui signum dedit. Huic malo dysenteria non lene aliud malum accessit. Sum igitur de illius salute anxius, et exemplo moneor, ut, quod Deus Opt. Max. omen avertat, meis metuam. Domine Deus, Pater clementissime, oro te supplex, quæsoque toto pectoris affectu, serves illam ab hoc morbo et veluti vitæ jam prope deploratæ restituas: serves etiam me et omnes meos ab hujus et aliorum omnium morborum et malorum periculo, quandoquidem placuerit tibi, et ita melius esse judicaveris. Amen. Amen. Vix hæc scripseram, ecce tibi nuntium de obitu matronæ lectissimæ cujus de morbo eramus adeo solliciti. Magnum tu quidem, honestissima matrona, nobis dolorem commovisti. Sed quid agamus? *Θεοῦ ἐτελείετο βουλή.* Igitur *βοῦς ἐπὶ γλώττῃ*, et solum superest *τὸ εὐφημεῖν καὶ εὐδοκεῖν* quod accidit. Deo cætera permittimus.

XII. *Kal. Mai.* Mane et a prandio negotia et curæ molestæ quidem, sed necessariæ. *Κύριε βοήθει.*

XI. *Kal. Mai.* Et hic dies studiis periit, quibus tu, Deus, me redde et tibi utilem finge.

X. *Kal. Mai.* Mane concio sacra: a prandio *Ἰλιὰς κακῶν.* Egi apud Prætorem de Tutore eligendo sororculæ Andreæ. Boræus electus. Deus

Opt. Max. tantam familia hac avertito pestem. Sed αὐτὸς ὄψεται. Hic esto niger calculus.

IX. *Kal. Mai.* Mane amicis quibus potui valedixi. A prandio cum charissima conjuge et fratre Stephano Sangelinum venimus, et pridianum dolorem quibus potuimus jocunditatibus abstersimus. Deus æterne, tuum hoc beneficium est.

VIII. *Kal. Mai.* Mane Sangelino discessimus, ego Lugdunum, uxor paullo post Genevam. Scis tu, mi Deus, quibus cum suspiritibus. Sed ita postulat negotiorum nostrorum ratio. Nunc igitur, O Domine, supplex te veneror, serves nos dum invicem aberimus, et brevi restituas in unum locum, ubi vitam quantacunque superest, sancte, pie, et ὁμοθυμαδὸν ut semper imo etiam melius degamus nos et nostri. O Deus, exaudi vota mea per Jesum Christum Filium tuum, et Spiritum Sanctum tuum. Amen.

VII. *Kal. Mai.* Pransi Coloniæ venimus Sangermanum Θεοῦ iter εὐοδοῦντος.

VI. *Kal. Mai.* Mane toto cum aliis itineris malis vexati, tum copia nivis quæ tractum istum Sabaudiæ operuit tandem Cerdonum venimus: inde Cormonam itinere non longo, sed propter vastitatem locorum molesto. Pene enim in solitudinem redactus Segusianorum ille totus tractus principis ἀτασθαλίῃσιν qui vicinis mala extrema moliens, sibi ignominiam suis ἐξώλειαν miser et impunitus conciliabit. At tu, Deus æterne, pacis publicæ hostes aut κάθαιρε aut καθαίρει.

FINIS FASCICULI PRIMI.

Mane diei melior pars.

Hesiod. Ἠὼς, ἡ προφέρει μὲν ὁδοῦ, προφέρει δὲ καὶ ἔργον.

Manilius initio quarti. Victuros agimus semper, nec vivimus unquam.

Gregorius Naz. Κρείσσων λογισμὸς πραγμάτων, ἢ χρημάτων.

Eccles. 7. טוב שם משמן טוב elegantissimum dictum. Κρεῖσσον ὄνομα ἢ ἔλαιον ἀγαθὸν, paronomasia in vocibus שם et שמן sicut etiam in Cantico Canticorum 1. 3. "לפני שמש" Ps. 72, *ad conspectum Solis* pro *dum Sol durabit* τὸ αὐτὸ "לעולם."

FASCICULUS II.

V. *Kal. Mai.* Pransi Monluæ Lugdunum mox pervenimus. Atque ita confectum hoc iter, et ego meis libris redditus. Tibi, mi Deus, honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen. Nunc illud te sine exorari, Pater clementissime, ut et uxorem liberosque salvos ibi serves, ubi sunt, et mihi hoc loco facultatem duis perficiendi tandem quod tamdiu molior. O ades, salutis meæ Deus, anchora spei meæ, qui semper fuisti parentibus meis præsidio, esto et nunc quoque et διηνεκῶς ἀεὶ piæ matri, mihi, uxori, liberis, et omnibus meis; per Jesum Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum, qui ἀπ' ἀρχῆς πρὸ αἰώνων una tecum et Spiritu Sancto Deus unus fuit, est, eritque.

IV. *Kal. Mai.* Totus fere dies amicis et curis domesticis impensus: quibus, O Deus, expedi me, nimis quam, ut nosti, impeditum.

III. *Kal. Mai.* Mane studia inter molestissimas curas. Literæ ad uxorem τὴν τριπόθητον, et dies, ut in hoc rerum statu, non male collocatus. Deo honos sit et gratia.

II. *Kal. Mai.* Mane studia, item a prandio, æterni Numinis beneficio.

Prid. Kal. Mai. Mane studia non neglecta: sed æstuabat animus propter κατέχουσαν φήμην de peste Genevæ crescente, nam etiam ordinario isti tabellario aditus in urbem præclusus. Te igitur appello, Deus immortalis, supplexque veneror, libera me hac cura: serva, Pater, meos ibi affectus, uxorem castissimam, pignoraque nostra suavissima. Serva et quæ sunt alibi τεκνία nostra, et imprimis optimam matrem et omnes meos. Mox his scriptis, et allatæ sunt ab uxore literæ, et læta omnia nunciata. Tibi igitur πλείστας καὶ μεγίστας ὁμολογῶ, ὦ σῶτερ, χάριτας.

Kal. Mai. Ἀμ' ἠοῖ illuxit mihi singulare divinæ beneficentiæ adversum me et meos σημεῖον. Sollicito anxioque de negotio Patacino non spem sed rem exhibuit Dei manus. Magnus Vicquius ejus beneficii instrumentum: cujus in horas nova existunt in me beneficia prope sine hujus seculi exemplo. Da, Pater, bene uti concessis a te per illum commodis. Da illi et castissimæ illius con-

jugi, atque universæ huic domui veræ pietatis ἐνδιάθετον sensum et tuæ legi obsequendi constantem mihi illique voluntatem. Amen.

VI. *Non. Mai.* Dies erat Domino sacer. Sed nondum Deus hujus beneficium nobis hic concessit. Utinam tollatur tandem scissura hæc ecclesiæ. Scripsi ad uxorem et quædam lectitavi. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

V. *Non. Mai.* Mane rediimus ad curas Athenaicas, quibus ut finem imponamus, quando nobis tua benignitas, Deus æterne, concedet? Tædet jam ejus operæ, et ut alio totos transferre nos possimus incredibiliter optamus. Ac nostrum quidem consilium est, si Deus Opt. Max. τῷ velle τὸ δύνασθαι χαρίσηται, hanc ei πονήματι extremam admovere manum, neque ante conquiescere quam re confecta. Æterne atque immortalis, idemque χρηστότατε καὶ ἐλεεινότατε Domine, oro te ac supplex veneror per Jesum Christum τὸν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἀλήθινον σωτῆρα, exitum tandem huic instituto operi, et ut perpolire nunc demum quæ sunt exarata queam, largiaris mihi. Amen. Amen.

IV. *Non. Mai.* Mane studia ἐγκύκλια Dei beneficio: a prandio amici, et ad amicos atque amicissimam uxorem literæ, quibus atque illi imprimis, O Pater clementissime, modis omnibus benedice una mecum et pignoribus nostris.

III. *Non. Mai.* Mane totum et totum tempus pomeridianum singulari Dei beneficio studiis impendi. Illi honos et gloria gratesque gratissimæ.

Utinam pro felicitate mea et omnes mei diem exegerint.

Prid. Non. Mai. Mane totum et a prandio vixi mihi et Musis Dei beneficio, quem pro salute meorum oro ἀδιαλείπτως.

Non. Mai. Literas mane ab uxore accepi beneficio Dei lætas. O Deus, gratias tibi ago, teque oro, ut illam serves et liberos nostros, quique sunt cum illa, et qui ubique, meque cum his ad gloriam nominis tui honoremque.

VIII. *Eid. Mai.* Mane studia: a prandio etiam. Sed insignem Dei benignitas fecit mihi hunc diem. Petrus meus ex sorore ἀδελφιδοῦς contracta rixa cum famulo coqui titionibus ultum ivit injuriam. Pruna ardens volat per culinam, cadit super ancillæ vestem, eamque nemine animadvertente totam pene comburit. Erat enim posita vestis super abaco ubi vasa μεγαρικὰ haberi solent. Ignem sero animadvertit nobilissimæ matronæ D. de Vicq prudentia. Vix diu quæsitus inventus est. Ita domus ingenti periculo erepta. Ego blandissimis verbis ab optima et plane ἀξιαγάστῳ fœmina admonitus hæc hic scripsi in perpetuam memoriam tanti beneficii quod a Deo accepi. Nam siquid accidisset secius, ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ᾽ ἔσται, prorsus ἀβίωτος mihi futurus erat ὁ βιός. Sed adfuisti tu nempe, ὦ σῶτερ, cui me, meam et omnes meos regendos trado atque permitto.

VII. *Eid. Mai.* Die Dominica Dominum Deum cæli et terræ æquum erat impensius coli; sed

pietatis meæ sacra hic locum non habent. Sancte Parens, rege me Spiritu Sancto tuo, meam, meosque omnes, et imprimis piissimam matrem, quæ cum uxore sollicitum me dies habet noctesque.

VI. *Eid. Mai.* Mane totum et item pomeridianum tempus egi cum Musis per libros. Deo gratiæ immortales.

V. *Eid. Mai.* Mane a studiis curæ lenes nos avocarunt: sic melior diei pars male posita majore ex parte: a prandio studuimus literis τὸ κατὰ δύναμιν, et benignitate Dei primum Athenæi librum perpolire absolvimus. Gratias ago tibi, Deus mi, et oro te supplex, ut valente pia matre, charissima uxore et liberis suavissimis omnibusque meis affectibus perficere tandem hoc opus possim. Γένοιτο, γένοιτο.

IV. *Eid. Mai.* Mane et a prandio mihi fere vixi. Itaque secundum Athenæi describere et prælo parare sum aggressus. Deum omnipotentem supplex veneror, det mihi tandem, ut hujus operis videam exitum valente me et omnibus meis, matre præsertim, uxore, et liberis. Amen.

III. *Eid. Mai.* Mane et a prandio studuimus, et nobis viximus: Deumque Opt. Max. oravimus, adesset mihi ἀδιαλείπτως et meos omnes Spiritu suo Sancto regeret semper, οὐχ ἥκιστα δὲ τὴν σεβασμίαν μητέρα, καὶ τὴν προσφιλεστάτην γυναῖκα, καὶ τὰ προσηνέστατα τέκνα. Amen.

Prid. Eid. Mai. Mane multum, nec parum tem-

poris a prandio amisimus. Quod non totum perierit, tuum, mi Deus, beneficium est.

Eid. Mai. Mane frivola nos occuparunt, sed necessario: a prandio amicissimus Sarracenus, cui benedice, O Deus, et mihi, meisque, matri, inquam, et uxori liberisque. Amen.

XVII. *Kal. Jun.* Die Domino sacra, mane totum scribendis Genevam literis exegi. A prandio scripsi ad cl. et amplissimum Vicquium. Studia toto die jacuerunt, quod ne sæpe eveniat, supplex te, Pater ἐπουράνιε, oro atque obsecro. Illud magis, ut in timore tui vitæ quod superest agamus, ego, mater, uxor, liberi et omnes τῆς συγγενείας τῆς ἡμετέρας. Amen.

XVI. *Kal. Jun.* Neque pessime neque optime dies actus. Horas aliquot amisi; sed et collocavi aliquot bene: Θεῷ χάρις τοῦ εὐεργετήματος τούτου ἕνεκα· δοίη δὲ ὁ πάγχρηστος Θεὸς εὐτελῆ καὶ ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς εὐδαιμονίαν. Ἀμήν.

XV. *Kal. Jun.* Mane totum fere studiis datum: reliquum tempus periit ob nobilissimæ matronæ D. de Vic morbum, et literas ad D. ejus maritum scriptas et id genus curas. Serva utrumque, O Deus; serva me, et meam, atque omnes meos. Amen.

XIV. *Kal. Jun.* Mane fere amissum literis Lutetiam scribendis: a prandio non multum promovimus. Sed hæc levia, modo salvas mihi præstet Deus Opt. Max. matrem uxoremque cum liberis: quod ut facias, O Domine, oro te supplex et obtestor.

XIII. *Kal. Jun.* Mane et diem ferme totum studiis dedi: promovi igitur multum in opere molestissimo. Da, Pater, huic labori finem, et aliorum studiorum initium. Da item ut de salvis matre et uxore ac liberis gratias tibi in dies agere queam. O vota mea exaudi.

XII. *Kal. Jun.* Magna diei hujus pars variis officiis impensa mihi et studiis periit. Durum, sed Θεοῦ ἐτελείετο βουλή.

X. *Kal. Jun.* Die κυριακῇ τῷ Κυρίῳ λατρεύειν καὶ ψυχῇ καὶ σώματι εἰκὸς ἦν καὶ δικαιότατον. Utinam ejus rei facultatem dignam nobis hic concedat, qui solus potest, Deus Opt. Max. Amen.

IX. *Kal. Jun.* Parum aut nihil hodie promovimus. Officium præstat studio, ait Plinius, hoc me solatur unum. At tu, Deus æterne, me rege, et meos protege. Amen.

VIII. *Kal. Jun.* Mane totum literæ in varia loca scriptæ abstulerunt. A prandio aliquot horas studiis dedimus. Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Jun.* Mane totum et item fere totum pomeridianum tempus studiis impendi, Dei immortalis beneficio, cui honos et gloria. Amen.

VI. *Kal. Jun.* Mane studia: a prandio amici parum amici. Quid facerem? Non poteram ἐπινεύειν, neque licebat ἀνανεύειν. Deus ades, et fave ceptis, sed rege ac protege, ante omnia τὰ γοῦν ἀνθρώπινα, oro te, et matrem, et uxorem, et liberos atque omnes meos. Ναὶ Κύριε βοήθει et ades.

V. *Kal. Jun.* Mane literæ a charissima et exop-

tatissima uxore. Gratias ago tibi, cælestis Pater, quod illam, et qui illic sunt liberi, servaveris adhuc. Serva porro, ὦ σῶτερ, et matrem, et uxorem, et me cum illis, ac liberos nostros, atque omnes meos, oro te per Jesum Christum Dominum nostrum τὸν μονογενῆ Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto τὴν ἁγίαν καὶ ἄρρητον τριάδα Θεὸς ὢν ἐν μιάδι συναποτελεῖ. Amen.

IV. *Kal. Jun.* Mane studia acriter, ut faciente Deo finem imponerem secundo Athenæi, quod tamen præstare non potui. Totum enim ὀλίγου δεῖν pomeridianum tempus amici fecerunt ut perderem. Quod potui, præstiti, eoque etiam nomine gratias tibi ago, O Deus, immortales.

III. *Kal. Jun.* Mane literas ad uxorem charissimam dedi: inde amici me occuparunt D. Contius Parisiensis et uxor ipsius. Expertus hodie sum molestissima occasione sanctissimæ et illustrissimæ ἡρωίνης D. de Vicq benignitatem et amorem erga me. Iterum meus petulantissimus ἀδελφιδοῦς crux et mors mea animo vilissimo cum famulo rixam contraxit: querelam hanc ad me detulit: ego, ὃ μήποτ' ὤφελον, ad τόλμαν ἰρήϊον. Ubi demum inquisitum est, nebulonis mei petulantia et incredibilis stultitia comperta est. Mihi tam ea res mœrori fuit, ut de eo dimittendo statim consilium ceperim. Pia et ἀξιάγαστος matrona ut fieri hoc sinat, nullis precibus adduci potuit. Quantum hoc, mi Deus, tui adversus me amoris testimonium? Ego illum tibi, sancte Pater, committo

curandum: nam plane animo æger est. Nisi vim faceret matris observantia et *στοργὴ φυσικὴ* erga sororem et ejus maritum, facile his curis me liberarem. Nunc ista perpeti cogor, ne piæ matri meæ doloris caussa noscatur. Sed in te, O Deus, spes meæ tranquillitatis. Tu mihi, O *ἀπειροδύναμε* Deus, matrem, uxorem, liberos, et omnes meos reliquos affectus servabis, et me cum ipsis, ut promovendæ gloriæ nominis tui aliquid serviamus. Amen. Quod per varias curas et molestias licuit, libros inspeximus, sacros primum: deinde etiam illum, qui totos nos occupat. Secundo hodie finem imposuimus. Hoc quoque nomine, O Deus, ago tibi gratias.

Prid. Kal. Jun. Dies Lunæ, ut vocant, erat, ecclesiæ Romanæ sacer ob celebrationem *τῆς πεντηκοστῆς*, cujus heri celebrata solennitas. Nos tanto bono caruimus, eoque nomine gravem animo dolorem cepimus. Cæterum dies hic curæ valetudinis datus, et factum initium purgationum, cui cepto benedice, *ὦ ἀπειροδύναμε Θεός*. Amen.

Kal. Jun. Dei beneficio mane positum non male in recensione tertii libri Athenæi quem hodie aggressi sumus. Domine Deus *ὑπεράρρητε*, oro te, da, videam exitum hujus libri, et cæterorum omnium, salva matre, salva uxore et liberis, omnibusque meis. Amen.

IV. *Non. Jun.* Mane studia, item a prandio studia, etsi non sine impedimentis. *Θεῷ χάρις.*

III. *Non. Jun.* Mane ex parte dolendo exegi

propter acceptum de phthisi Gruteri nuntium. Ergo abiit vir doctissimus in juventæ flore? O Deus ὑπεράρρητε, quam ἀνεξιχνίαστα sunt tua judicia! Nos interea hoc exemplo admonemur, et Rittershusii quoque nupero obitu, ut de valetudine nostra cogitemus. Sed eam nos et omnes omnino curas nostras Deo permittimus Opt. Max. Cum ista scripsimus et de more diem ordiri auspicato a lectione sacræ paginæ vellem, textus mihi legendus ex ordine erat initium cap. XIV. sancti Jobi. Eo capite vanitatem mortalium prædicat vir sapientissimus gravissimis et meditatione nostra dignissimis sententiis. Inter cætera de die decretorio ait Jobus אִם־חֲרוּצִים יָמָיו מִסְפַּר־חֳדָשָׁיו אִתָּךְ חֻקָּיו עָשִׂיתָ וְלֹא יַעֲבֹר *si definiti sunt dies ejus, numerusque mensium ejus tecum est, statuta ei fecisti, neque prætergredietur.* Ubi sunt, qui vel parum Deo curæ esse singula mortalium putant, vel qui fatalem horam cum quiritationibus et ejulationibus expectant? Si Deo ita visum, cur aliud putabimus melius, quam quod ὁ ὑπεράγαθος, et αὐτοάγαθος bonum judicaverit? Inde igitur, Deus æterne, hunc animum mihi, matri, uxori et omnibus meis, ut a tua voluntate intrepidi semper pendeamus, quicquid a te fuerit de nobis constitutum, subire æquo animo parati. Ναὶ Κύριε ἐλέησον χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σοῦ Ἰησοῦ τοῦ Χριστοῦ, ὃς μετὰ τοῦ ἁγιωτάτου πνεύματός σου εἰς μίαν ἄφατον καὶ ἄρρητον φύσιν καὶ οὐσίαν μιᾶς θεότητος συνουσίωταί σοι. Ἀμήν.

Prid. Non. Jun. Mane literas ab uxore accepi suavissimas et expectatissimas. Tibi, tibi, Deus sancte, gratiæ pro hoc tanto beneficio et debentur immortales, et habentur quantæ maximæ possunt haberi. O Deus salutis meæ, redde nobis τὸ συζῆν, ut mutua æmulatione excitetur in nobis et liberis nostris exemplo nostro verus veræ pietatis zelus.

Non. Jun. Mane studia ὁπωσδηποτοῦν, item a prandio per Dei gratiam cui honos et gloria. Amen.

VIII. *Eid. Jun.* Purgationi corporis hic quoque dies datus, utinam potius τῇ τῆς ψυχῆς καθάρσει. Nam et dies me admonebat, et ardet animus eo desiderio. Sed, O Deus æterne, quando illud erit? Si hominum mentes spectemus, γῆ πρότερον μιχθήσεται πυρὶ, quam libertas τοῦ θείου λόγου hic concedatur. Scio tamen et credo ἀπειροδύναμον esse te, sancte Deus; scio etiam curæ esse tibi tuam ecclesiam: quam, O Deus æterne, sicut τῷ πολυτιμήτῳ Filii tui sanguine redemisti, sic ut Spiritu Sancto tuo æternum regas, supplex toto pectoris affectu te veneror. Amen.

VII. *Eid. Jun.* Mane studia negligenter; a prandio cupide: sed impediti sumus. O quando liberum erit studere literis? Sed O quando potius veræ pietati? quam, O Pater, magis magisque instilla, atque infunde pectori meo. Amen. Binas hodie ab uxore literas accepi. En erit ille dies, cum illam videbo? Interea, Deus immortalis,

quas ego tibi pro hoc beneficio gratias agam? Habui hodie cum nobilissima et sanctissimæ vitæ matrona D. de Vic sermones de religione et graves et serios. Rege me, sancte Parens, et affla tui numinis spiritu. Fac, Domine, glorificetur in me sanctum nomen tuum. Amen. Amen.

VI. *Eid. Jun.* Summo mane eram in libris: quis futurus diei exitus, ὁ Θεὸς οἶδε. Et Deo gratia, quod lætus: certe quod dolerem proprio nomine, nihil accidit. Etiam eo nomine Deo grates gratissimæ, quod salvus et incolumis reversus est amplissimus Vicquius. Cui tu, O Deus, et illustri heroinæ ejus conjugi omni benedictionum tuarum genere benedice. Γένοιτο, γένοιτο.

V. *Eid. Jun.* Studia non neglecta nec Dei beneficio sine fructu. Sed animum mentemque totam occupat jam alia cogitatio. Missæ nomen tam exosum mihi quam incognitum hactenus, quid rei sit scire incessit libido. Cras si vitam Deus dabit, occasione oblata ab illustri matrona D. de Vic cogitabam uti, hæc scribens, ut semel nosse illud μυστήριον ἀδικίας possim, et quid improbem cognoscere. Nunc enim ea est ignorantia mea harum rerum, ut quid Missa sit juxta sciam cum ignarissimo. Atqui de illa quotidie sermones habere necesse est, et cur illam damnem ratio reddenda. Semel igitur si ita Deo visum, quid illud rei sit videro. Quod ne fiat ullius cum scandalo prævisum est et cautum satis. Hujus consilii tres omnino sunt nobis conscii; quibus

aperui quo animo id a me fieret: explorandæ nempe rei et τοῦ γινώσκειν ἀκριβῶς ὧν καταγιγνώσκω. Æterne Deus, ὑπεράρρητε, ἀπειροδύναμε καὶ αὐτοάγαθε, siquid hæc nova curiositas pietati advorsum te nocitura est, si quid ad quemquam τῶν πλησίον scandali hinc manaturum est, da crastinam lucem ne videam: sed mature sceleris hujus purus ad te avolem. Exaudi ὦ Πάτερ, ὦ σῶτερ, veneror te supplex in nomine Domini nostri Jesu Christi Filii tui unici, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo ab æterno sine principio sine fine regnat, vivit, vivet, regnabit. Amen. Etiam meos affectus, O Deus, matrem, uxorem, liberos translatitia prece tibi commendo.

Exitum res non habuit, neque Deus sinat ut curiosus harum sim nimis.

IV. *Eid. Jun.* Diem nullam egi infelicius; quod putabam, et parabam, factum non est. Sed neque in studiis promovi hilum. O Deus ades, et me ac meos serva, Pater clementissime.

III. *Eid. Jun.* Literæ ab uxore allatæ, quæ me admonent ut supplice animo γονυπετήσας agam tibi, Deus salutis meæ, grates quantas possum maximas. Narrat illa se eo ipso die cecidisse, et in magno periculo magni mali fuisse. Tu illam servasti, Deus sancte, et me hac lætitia mactasti. Illam ego tibi, et piam matrem, meque et liberos committo et commendo.

Prid. Eid. Jun. Mane studia, item a prandio pauculas horas: reliquum diei datum recreationi

corporis et ambulationi cum amplissimo D. Vicquio et uxore illius nobilissima. Ὁ Θεὸς κακείνοις κἀμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς ὑγιαίνειν δοίη τὰ περὶ τὴν θρήσκειαν. Ἀμήν.

Eid. Jun. Mane summo literæ Genevam. Hæc cura ἐγκυκλία diei hujus. Quam vellem aliter possem collocare? Sed, Deus æterne, tam beatis nobis esse non licet, neque dum hic erimus, licebit, opinor. At veræ pietatis sensum fove in nobis, O Deus, O σῶτερ. Serva etiam et meam mihi matrem, et uxorem charissimam, meque cum his et liberos una nostros per Jesum Christum Filium tuum qui tibi Patri et Spiritui Sancto tuo ὁμοούσιος εἰς αἰῶνας αἰώνων vivit vivetque. Amen.

XVIII. *Kal. Jul.* Mane curæ domesticæ vexarunt: etiam a prandio, ut non multum libros tractaverim. Θεὸς βοηθοίη καὶ ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς.

XVII. *Kal. Jul.* Mane studia Dei beneficio, sed a prandio totum plane tempus periit. Hoc die cum Capuchinis duobus sane quam modestis viris et pacati ingenii de religione tractare incepi. Non ego hoc requisivi: sed maximus Vicquius salutis meæ studiosus optavit. Cur recusarem? Egi igitur cum illis bonis viris horas multas. Laudavi modestiam ipsorum. Illi, credo, in nobis eam virtutem non desiderant. At tu, Deus æterne, fons veritatis et sapientiæ omnis, mihi illisque veræ lucis radiis oculos illumina. Da illis, da mihi et meis sic vitam instituere ut ad implendam legem tuam quam proxime accedamus per

misericordiam Domini nostri Jesu Christi, qui tecum et Spiritu Sancto tuo *εἷς Θεὸς ἐν ἀρρήτῳ τριάδι* fuit, est, erit. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Mane fere totum in studiis otiosus egi: a prandio gnaviam molestam excitavit petulans hic juvenis sororis filius. Quamdiu igitur, O Deus, mi Deus, tractari hic aut non potest, aut nondum, fac sinam ipse, fac omnia illius ferre valeam, omnia condonem, et propositi tenax ad bonam reducere frugem illum coner. Hoc me pietas jubet; hoc reverentia matris; hoc amor erga sororem et maritum illius. Deus Opt. Max. pro his meis ærumnis læta omnia retribuat uxori charissimæ et meis suavissimis liberis. Amen.

XV. *Kal. Jul.* Neque pessime neque optime cum studiis nostris actum hoc die. Τὸ δὲ δεινὸν ἄρα quod dicimur brevi, Deus omen avertat, transfugæ futuri e nostris castris. O Pater veritatis, inde animo meo *φιλαλήθειαν* et in ejus professione ac tuitione constantiam. Exaudi, O Deus, et hoc et alia vota mea pro salute mea et meorum; matris, uxoris, liberorum, omnium. Amen.

XIV. *Kal. Jul.* In summis curis, quæ animum nostrum diverse conficiunt, solatium petebamus a lectione sacrarum literarum. Inde igitur diem hunc auspicantes quædam in Jobi libro ex instituto legimus. Inter alia hunc versum XVII. 7. ubi de magnitudine suarum ærumnarum Jobus queritur: וַתֵּכַהּ מִכַּעַשׂ עֵינִי וִיצֻרַי כַּצֵּל כֻּלָּם *caligavit præ indignatione oculos meos: et formata mea,* i. e.

cogitationes meæ, *sicut umbra omnia*, vel *omnia quæ in me creata sunt*, ut et corpus et animus intelligatur. Præsidiis librorum destituti hic laborabamus in exponendo versu isto: qui tamen planus est satis. כָּהָה potest verti, *rugavit*, vel *in rugas est contractus*. Tria sunt Hebræis vocabula affinia, distinguenda tamen. כאה de animo dicitur male habente, reperitur in Hiphil et Niphal: inde Spiritus נִכְאָה in Prov. xv. 13. כהה de oculo dicitur qui præ senectute rugas contraxit et debilitatus est: Hieronymus vertit *caligavit*. קהה dentium stuporem denotat in illo Jeremiæ, *Patres comederunt ὄμφακα, nobis filiis dentes* תִּקְהֶינָה *stupescent*: de ferro dicitur Eccles. x. 10. קֵהָה *obtuso*.

xiii. *Kal. Jul.* Et mane et a prandio curæ domesticæ molestissimæ et dolor ex uxoris absentia studia mea impediverunt. Tu, Deus æterne, spes mea es, anchora salutis meæ, præsidium unicum meum in rebus adversis. Te appello: scis, quid me angat: ades, benigne Pater, et his eripe me angustiis. O exaudi, Pater. Amen.

xii. *Kal. Jul.* Mane totum scribendis literis Genevam ad uxorem et amicos exactum. Ærumnæ meæ tantisper quiescunt, dum per literas cum uxore colloquor, quam tu mihi, O Pater, serva, et piam matrem atque liberos cæterosque meos affectus. Supplex etiam oro te, liberes me ea sollicitudine et cura quæ meum nunc cor urit. Cum omnia intueor, nullum usquam apparet nisi

in tua dextera præsidium. Legebam modo in Jobo, de magnitudine suorum cruciatuum loquente לַיְלָה לְיוֹם יָשִׂימוּ אוֹר קָרוֹב מִפְּנֵי־חֹשֶׁךְ *Noctem posuerunt mihi in diem: lux appropinquat a tenebris.* Varie explicant hunc versum. Simplicissimus est sensus, quem affert Mercerus. In hac molestia quæ me nunc angit, verum experior quod ait Jobus. Nox instar diei est, neque enim dormitur, et aurora mature advenit non quiescentibus: rursus, dies pro nocte est, quia, ubi ille advenit, tædio affecti noctem optamus. Hujus diei magnam partem cum Apotropæis egi: a quorum fermento serva, Deus, animam meam. Studia, parum ex animi sententia, intermissa.

XI. *Kal. Jul.* Mane a studiis nos avocarunt domesticæ curæ, in quibus tamen curandis Dei manum videor sensisse auxiliatricem. Illi igitur honos et gloria.

X. *Kal. Jul.* Mane curis istis molestissimis impensum: quibus, O Deus, libera me penitus. Γένοιτο, γένοιτο. Studia fere jacent, quæ tu excitabis, Deus æterne.

IX. *Kal. Jul.* Mane studuimus aliquantum Dei beneficio, sed adventus in hanc urbem et domum D. Vairii sapientissimi viri multum temporis studiis ademit. Multum amplius ademit iste perditissimus qui mihi adest vel in studiis. Nequissimus juvenis F. neque blanditiis neque minis adigi amplius potest, ut literis det operam. Cum urgeo hortans ad studia, silet fatuus: neque verbum

mutit: sed non propterea compellas ut librum tangat. Deinde vestitum, incessum, cæteras vitæ partes ita instituit, ut maxime se mihi posse displicere pro certo habet. Valeat igitur improbissimus nebulo, et suas res sibi habeat. Tu, Deus immortalis, et me rege, et uxorem, et liberos meos, et illum ipsum, qui se it perditum atque omnes meos. Amen.

Querela de puero qui datus fuerat ab amico ut famularetur.

VIII. *Kal. Jul.* Mane totum et diem fere reliquum studiis dedimus. Principem Guisium, qui ad illustrem Dominam de Vic venerat, spectavimus et cum eo D. de Creci generum Eidigerii, qui ante dies paucos secundo hujus mensis occidit nothum fratrem Ducis Sabaudiæ Don Philippe provocatus ab eo *εἰς μονομαχίαν.* Ὁ Κύριος μετ' *ἐμοῦ καὶ τῶν ἐμῶν.*

VII. *Kal. Jul.* Mane absumptum libris spectandis in officinis librariorum cum D. Vairio. A prandio habuerunt nos varia negotia impeditum. Audivimus D. de Creci recitantem valde *ἀφελῶς* historiam victoriæ quam nuper de Sabaudi fratre notho retulit. O Deus da Galliæ fortes heroas qui illam tueantur, da illis pium animum et cultui tuo deditum. Ab uxore charissima literas accepi jocundissimas. Tibi, tibi, mi Pater, *χάριν οἶδά τε καὶ ὁμολογῶ.*

VI. *Kal. Jul.* Mane totum studiis *Θεοῦ διδόντος* impensum. A prandio Vairii discessus et amico-

rum ἐπισκέψεις non siverunt liberum. Κύριε, ἐλέησον καὶ ἡμῶν καὶ τῶν ἡμετέρων.

v. *Kal. Jul.* Mane pæne totum amissum ob adventum viri nobilis D. Despié. Inde literæ Genevam scriptæ. Libri ante prandium ægre inspecti. Item a prandio affinis idem et alii amici a studiis nos avocarunt. Quod superfuit temporis lectioni sanctorum Patrum dedimus. Sed, O sancte Pater, da tu mihi, ut vitam aliter possim instituere. Nam quæ hæc vita, cum te colere nisi animo σιγῇ ἐπ' ἐμοῦ non possum? Da hoc mihi, O Pater, ὦ σῶτερ, ut meæ et meis redditus alicubi vitam degam tui colens, tibi serviens, tibi per omnia obsequens, et domum, quam mihi commisisti, pie regens cum pia uxore.

iv. *Kal. Jul.* Mane studia Dei beneficio: a prandio amici et studia diem partita sunt non ex æquo. Κύριε βοήθει.

iii. *Kal. Jul.* Mane studia et constans voluntas tertium librum absolvendi ante finitum mensem si Deus dabit. Promovimus hoc die aliquantum, cras absolvemus, Θεοῦ γε διδόντος.

Prid. Kal. Jul. Mane datum studiis, eaque diligenter curata beneficio Numinis; etsi molestum erat frigus, quod sentiebamus ista scribentes maximum et plane intempestivum. Deus εἰς ἀγαθὸν κρίνοι. A prandio amici interpellarunt. Tandem tamen Dei beneficio magna animi contentione absolvimus librum tertium, qui nos prope mensem occupavit.

Kal. Jul. Quod bene vertat, hunc diem ab hac scriptione inchoabamus Deum Opt. Max. supplici prece venerati, ut et mensem hunc et reliquum omne vitæ tempus in timore nominis sui daret exigere mihi et meis: matrem dico, uxorem, liberos, fratres, sorores et illorum natos. Γένοιτο, γένοιτο. Secundum hæc ad matrem scripsimus, et sororis maritum. Tandem libros salutavimus. Ergo ad quartum Athenæi hodie accessimus. Quem librum, et qui supersunt omnes, ut vigens valensque perficiam, oro te, ὦ ἀπειροδύναμε Θεός.

VI. *Non. Jul.* Turbavit iste dies nostra studia. Expectabam ab uxore charissima literas. Latroniis infesta itinera hoc gaudium mihi eripuerunt, nam qui solitus ferre bajulus in itinere periit. Hoc primum dolui. Deinde accessit gravis alia caussa, quam ne adscribam βοῦς ἐπὶ γλώττῃ μέγας. Rarum et admirabile virtutis exemplum hodie vidi editum a D. de Vic matrona castissima, sapientissima, generosissima, et æterna memoria dignissima. Deus Opt. Max. et illum et illam ὁμονοοῦντας ἀεὶ servet ἀπημάντους: et cum his meos omnes affectus.

V. *Non. Jul.* Mane ab uxore literæ advenerunt affectus plenissimæ. O serva illam mihi, Deus æterne; serva et me cum illa et charissimis pignoribus. Certe beneficium hoc tuum est insigne, quod piam et castissimam dedisti uxorem mihi, mei amantissimam. A prandio nihil penitus actum. Κύριε βοήθει.

IV. *Non. Jul.* Toto die nihil aut parum egi, nisi quod ad charissimam uxorem literas dedi, et a prandio aliquot horas in lectione beatissimi Chrysostomi egi. Erat enim dies Domino sacer. Reliquum diei mœstus transegi. Medere, O Pater, meis incommodis, et me redde meis, ac meos mihi, præsertim autem uxorem charissimam et vere *τριπόθητον*.

III. *Non. Jul.* Mane studia serio satis: a prandio parum aut nihil. At quando erit cum dies non dividemus, sed toti erimus in literis? O da mihi, magne Deus, hoc beneficio posse frui, et in primis tui constantem timorem, et uxorem ac liberos, atque ante hos matrem præsta mihi salvam atque incolumem.

Prid. Non. Jul. Mane non optime collocatum; a prandio Dei beneficio non pessime. Tibi honos, et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

Non. Jul. Summo mane ad libros adiimus: sed mox occupati, quod sperabamus non præstitimus, aliquid tamen Dei beneficio, cui me, meos, et meam *διηνεκῶς* commendo per Jesum Christum Dom. nostrum, qui una cum ipso et Spiritu Sancto vivit et regnat sine principio, sine fine.

VIII. *Eid. Jul.* Mane hujus diei totusque adeo dies non inutiliter collocatus, nisi quod rediere ad nos Apotropæi, adversum quos tuum, O Lux æterna, O Substantia *προαιωνία*, tuum expecto auxilium. Etiam matrem, etiam uxorem, etiam

liberos omnes meos studiaque mea, O Pater, tibi commendo.

VII. *Eid. Jul.* Mane studia Dei beneficio diligenter tractata, neglecto etiam ea fine prandio. Sed hic dies inter lapillo albo notandos censendus mihi. Accepi ab uxore literas jocundissimas et gratissimas. Deus æterne, salus unica mea et meorum, da et illi, et mihi, et nostris liberis, ut in timore tui nominis perficiamus vitæ hujus curriculum. Etiam illud gratissimum de confectis Genevæ negotiis scribit uxor. O lætum nuncium! Quicquid sit quod supersit, satis erit, si tua adsit benedictio, Deus mi.

VI. *Eid. Jul.* Totum diem varie egi; studia, amici, literæ me occuparunt. At tu, Deus æterne, vindica me totum tibi, et meos mecum.

V. *Eid. Jul.* Sacer dies sacra studia postulabat, quæ quidem penitus neglecta non sunt. Sed tenue est quod præstamus, exiguum est, nihil est. Voluntatem saltem tui colendi serva in me, Deus, et in dies auge. Fac, quæso te, supplexque veneror, ut quod vitæ superest, pie agamus ego, uxor, liberi nostri. Da sic vitam instituere ut exemplum pietatis et omnium virtutum præbeamus semper. Etiam matrem, O Deus, serva, et fratres, sorores et eorum natos. Postremo studia mea, Pater ingeniorum, tibi supplex commendo. Benedice illis, æterne Deus, et me finge non penitus inutilem in domo tua. Ναὶ, Κύριε, βοήθει, δέο-

μαί σου, πρὸς τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σου τοῦ ἡμετέρου σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ ὃς μετὰ τοῦ ἁγίου πνεύματός σου ἀπ' ἀρχῆς εἰς αἰῶνας αἰώνων βασιλεύει καὶ βασιλεύσει. Ἀμήν.

IV. *Eid. Jul.* Mane et pomeridianum tempus totum fere periit. D. Vicquius et uxor cum tota fere familia rus sunt profecti, quos tu, Deus, reduc salvos et incolumes. Nos quoque, O Deus, cum nostris serva.

III. *Eid. Jul.* Mane non parum occupatus, nonnihil et a prandio reliquum tempus mihi vixi et studiis, quibus tu fave, O Deus mi, et mihi, ac meis omnibus. Amen.

Prid. Eid. Jul. Etsi varie occupatus, multum tamen promovi Dei beneficio, cui honos et gloria. Amen.

Eid. Jul. Diem hunc magno Dei beneficio exegi non inutiliter. Multus in Athenæo fui, multumque sudavi. *Θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξοι.* Accepi etiam a Sarraceno meo literas, quibus non leniter animum percussit de tumore insolito ventris in gravida uxore. Nam modum dicitur excedere. Deus Opt. Max. *εἰς ἀγαθὸν κρίνοι*, quod et opto et spero; sed sollicitudine non careo. *ὦ Κύριε βοήθει.*

XVII. *Kal. Aug.* Mane summo de uxore et filiolo intellexi, quæ male me habent. Illa ægrotavit per hos dies: hic nunc cum maxime periculosissimo morbo laborat. Ego, ille bonus maritus, bonus parens absum. Sed tu, O Deus, scis, quam non levi de caussa simus sejuncti, ita jubente necessitate. At ego te supplex veneror, sancte

Parens, ades languenti uxori, serva ægrotum filium. Mihi vero quid facto opus sit suggere. Nam cur hic sit subsistendum, paucissimas habeo caussas: rursus tam charas personas tempore necessario deserere nefas. Sed post octo dies statuemus, favente numine tuo, quid faciendum sit. Interea iterum te oro, iterumque, O Pater, ὦ σῶτερ, βοήθει καὶ τῇ μητρὶ καὶ τῷ τέκνῳ per Jesum Christum Filium tuum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat vivit ab æterno εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

XVI. *Kal. Aug.* Per magnos suspiritus dies actus augescente sollicitudine de uxore et filiolo, quos, ὦ Πάτερ ἐπουράνιε, tuæ unius curæ committo. Studia Dei beneficio non neglecta.

XV. *Kal. Aug.* Die sacro sacra studia non quidem omisimus: sed ne toti in iis essemus, caussæ graves fecerunt: in primis quod imminens, si Deus voluerit, ad uxorem profectio cogit me assiduam Athenæo operam dare: ut ne interrumpatur editio instituta. Ades tu, Deus sancte, et uxorem ac filiolum cum cæteris meis omnibus præsta valentes. Amen.

XIV. *Kal. Aug.* Mane studia juvante Domino, licet sollicito de meis affectibus animo, atque hoc die diligentia usi sumus non mediocri. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Aug.* Mane totum et diem integram sollicitudo de uxore nobis eripuit et anxietas de morbo filioli, quem, O Deus, cum uxore et cæteris liberis serva.

XII. *Kal. Aug.* Studiis hic dies impensus benignitate magni Numinis; sed animus de uxore et filiolo mire sollicitus. Verum te unum respicio, mi Deus, in te uno spero, a te uno auxilium meis mihique posco. Ναὶ, Κύριε, βοήθει, et novam laudandi materiam nobis præbe. *Γένοιτο, γένοιτο.*

XI. *Kal. Aug.* Mane sero surreximus ex insomnia, cujus caussa sollicitudo de uxore et filiolo. Totus dies mihi ferme ereptus, nec nisi paucas horas mihi vixi. Lucubranticula non pœnitenda jacturam aliquomodo sarcire sumus conati. Atque ita veni ad illam noctem, quæ adventum antecedit tabellarii. Brevi igitur, quid meis novi acciderit, intelligam. Atque utinam læta sint quæ intelligam; sed tamen qualia erunt cunque, quod olim ægrotantes te rogabamus, nunc quoque oramus: *ποίησόν με θέλειν σοῦ τὸ θέλημα μόνον.* Hanc mentem inde mihi, Deus æterne, inde uxori, inde liberis nostris, quorum, proh dolor, numerum jam non scio. O serva illos nobis, Pater *ἐπουράνιε*, et nos illis *χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι καὶ συμβασιλεύοντός σοι καὶ συμβασιλεύσοντος εἰσαεί. Ἀμήν.*

X. *Kal. Aug.* O Domine, enarrabo benignitatem tuam. Octiduum egi mire sollicitus de uxore et filiolo. Hic dies erat horrori, metu tristis nuntii. Dominus liberavit me sollicitudine, et mactavit *εὐτυχίᾳ*, significata valetudine prospera uxoris et filioli et filiæ. Gratias tibi, Deus æterne, supplex ago, et agam porro semper dum vivam.

IX. *Kal. Aug.* Mane occupatum magna ex parte aliis curis quam quibus volui. Rogatus enim ab Archiatro viro cl. Andrea Laureto libros suos anatomicos edente ut epigramma illi darem, istud scripsi.

Ἔργα Θεοῦ σοφίην τ' ἐξαυδᾷ καὶ μέγα κῦδος
Ἡ συνετὴ συνετοῦ Δάφνιδος ἥδε βίβλος·
Πᾶσαν ὅγ' ἐξέπτυξε βροτῶν φύσιν, ἄνδιχα τέμνων
Τῇ πινυτῇ παλάμῃ πᾶν μέλος ἠδὲ μέρος·
Ὄστεα, σάρκας, ἶνας, μυελὸν, τὸ παρέγχυμα, νεῦρα,
Ἔγκατα, ἐγκέφαλον, ἄγγεα σπερμοδόχα.
Τὴν δ' ἀναλεξάμενός τις, τὸν μικρόν θ' ἅμα κόσμῳ,
Τόν τε μέγαν γνοίη, τόν τ' ἐπὶ πᾶσι Θεόν.
Ὦ πηγὴ σοφίας, ὦ τεῦχος ἀριπρεπές, ὄντως
Ἦν ἀρὰ τοῦτο σοφὸν ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ *ἔπος.*

VIII. *Kal. Aug.* Mane literis scribendis impensum, ut fere semper diebus Dominicis. Etiam a prandio non optime quædam horæ collocatæ, sed non pessime, Dei Opt. Max. beneficio: cui honos et gloria. Amen.

VII. *Kal. Aug.* Mane totum et pomeridianum tempus per varias curas actum, non neglectis penitus studiis. A prandio cum D. Lusitano ordinis Franciscani disputatio de imaginibus, quæ cum nihil afferat utilitatis, neque ad veri cognitionem, neque ad ædificationem, censeo faciendum ut posthac supersedeam in totum hujusmodi sermonibus, quorum quidem commodum potest esse nullum; incommodum vero partim est præsens et non obscurum, partim ne existat majus, pericu-

lum est. Itaque τοῦ λοιποῦ, Θεοῦ διδόντος, βοῦς ἐπὶ γλώττῃ. Aut tu certe, Deus æterne, linguam mentemque rege, ad nominis tui gloriam, et animæ meæ ac meorum salutem.

VI. *Kal. Aug.* Mane Dei beneficio quartum Athenæi librum recensere absolvimus. Poteramus favente ejusdem Numine ad quintum pergere. Sed alio nos vocat pietas. Pietatis enim partem interpretor officium erga charissimam et, si fas dicere, εὐσεβεστάτην uxorem. Illa partui proxima ad se veniam orat, εὐλαβουμένη τὸ μέλλον. Et aderis tu quidem, O Deus salutis meæ, huic partui, ut spero, et confido: cæterum in manu tua rerum eventus sunt. Ego vero piæ conjugi denegare hoc officium præsertim petenti, imo perdite cupienti, non possum salva pietate. Ibo igitur, duce te, mi Deus, auxilio Christi Domini nostri Filii tui fretus et ἡγεμονίᾳ Spiritus Sancti tui. Interea ne cessent propter absentiam operæ typographicæ cautio. Hoc igitur his diebus favente Deo viderimus.

V. *Kal. Aug.* Mane studia non penitus omissa, Dei gratia, a prandio penitus, dum cogito de itinere, ad quod serva me, O Deus, et meam ac meos omnes. Amen.

IV. *Kal. Aug.* Magna diei pars periit valedicendo. Deus, ceptis benedice. Amen.

III. *Kal. Aug.* Mane nostra recensuimus. Literas ab uxore accepimus. Deus, tu serva illam, serva matrem, me et liberos charissimos. Amen.

Prid. Kal. Aug. Occupatus in molestissimo negotio cui Deus exitum lætum duit, neque studia neque aliud quid rerum mearum curavi. Ita dies totus omnino mihi periit. Utinam charissimis personis, quibus est impensa, opera nostra prosit aliquid. Angimur enim, angimur intimis medullis ob ista conjunctissimarum personarum friguscula. Sed hisce malis Deus medeatur, et, spero, medebitur. Atque idem magis magisque uxorem mihi, meque uxori conciliet, ambos autem sibi et Christo. Amen.

Kal. Aug. Quod Deus Opt. Max. bene vertat, hodie studia nostra jam per aliquot dies intermissa penitus omisimus itinere Genevam instituto. Nunquam quicquam æque inviti suscepimus atque hoc iter. Fervor æstatis præsentissimum mortis periculum ex destillatione, nisi Deus servaverit, denunciat. Operæ Athenaicæ nunc demum operi meo serio vacaturæ præsentiam nostram desiderabant. Alia erant tria vel plura negotia quæ me hic retinere poterant. Sed abrupit omnia ista vincula amor erga uxorem, quæ partui propinqua me vocat, et hoc a me officium exigit. Æqua est illius expostulatio. Itaque præeuntem Deum sequar, et quo me pietas vocat, ibo θαρρῶν, Deo me et mea omnia credens et committens. Te igitur, Pater ἐπουράνιε, in auxilium advoco, et Dominum nostrum Jesum Christum, qui una tecum et Sancto Spiritu tuo vivit, vivet, regnat, regnabit sine principio, sine fine.

Amen. Postquam hæc scripsi Lugduno profectus Monluam veni ad quartam leucam distans oppidum : hoc quidem feliciter Dei beneficio.

IV. *Non. Aug.* Monlua veni ad pagum Jeserien ultra S. Jehan le vieux ad leucæ quadrantem. Ibi languere incepit equus D. de Vicq, meque tum primum pœnitentia invasit, quod eo maluissem uti quam meritorio. Ibi pransi sumus, confectis sex leucis. Indeque Nantuam pervenimus quatuor leucas distantem pagum ; hoc quoque satis feliciter, certe non segniter.

III. *Non. Aug.* Nantua profecturus equum a D. de Vicq commodatum inveni rigentia crura habentem, et de morbo periclitantem, qui vulgo dicitur *forbes.* Itaque in hospitio eum coactus relinquere, alium magna mercede conduxi, magna cum sollicitudine quid sit futurum istius morbo. Atque utinam sapuissem, neque alieno uti satius putassem quam meo aut conductitio. Ah quoties coactus sum fateri expetere in me quod dicitur, *παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.* Fateor, O Deus, imprudentiam meam, quam tamen si lubet tibi *δύνασαι εἰς ἀγαθὸν κρίνειν.*

Equus D. Vicquii, et in eo mea infelicitas, imo in omnibus quibus unquam sum usus.

Hoc die sub vesperam Genevam ingressus sum, et uxorem filiamque valentes inveni singulari tui Numinis beneficio, O Pater. At filius, mi Deus, languet, et periculose affectus est. Sed et illum, mi Pater, mihi servabit tua clementia et benigni-

tas. Sic spero, sic voveo atque obtestor Numen tuum. Fiat tamen voluntas tua, Deus æterne, Pater optime et clementissime. Amen.

Prid. Non. Aug. Amici diem totum eripuerunt, ut ne inspecti quidem libri fuerint. O Deus, respice me et studia mea. Amen.

Non. Aug. Mane sacræ concioni interfuimus. Reliquum diei amisimus.

VIII. *Eid. Aug.* Mane congregationi operam dedimus, et Deum laudavimus. Reliquum diei amici eripuerunt.

VII. *Eid. Aug.* Mane totum studiis impensum. Rediimus enim ad pensum et Athenæi recensionem; cujus operæ da nobis videre finem, Deus æterne et immortalis. Amen.

VI. *Eid. Aug.* Mane concioni sacræ interfuimus Dei beneficio, cui honos, laus, et gloria. Amen.

V. *Eid. Aug.* Mane studia serio. A prandio nugæ et amici. En meam infelicitatem. Deus ades.

IV. *Eid. Aug.* Mane occupatus sum negotiis. O rem molestam! Totum enim ferme diem amisi. Κύριε, βοήθει.

III. *Eid. Aug.* Mane totum literis scribendis datum. A prandio aliquid conati sumus, si faveret Numen. Et præstitimus ejus beneficio nonnihil.

Prid. Eid. Aug. Mane, studia, concio, studia, prandium, amici, morbus uxoris et meus me male habuerunt. Sic dies transactus Dei bene-

ficio, majore metu mali, quam malo. Etsi de uxore laboro. Sed ades, mi Deus.

Eid. Aug. Mane datum curæ valetudinis: etsi febris Dei beneficio remiserat, quæ noctem totam me tenuerat. Uxor gravissimis doloribus vexata præterita tota nocte, ego non minore febri occupatus, sub diluculum cepimus habere melius, et singulari benignitate Numinis diem hunc non incommodissime transegimus.

XIIII. *die Aug. sive* XIX. *Kal. Sept.* Cum Dei gratia valeremus optime ego uxorque, post quintam surreximus; illa domestica negotia curatura, ego diem totum studiis impensurus. Mane totum ad horam decimam in museo cum doctoribus mutis egi. Inde ad prandium vocatus veni, et hilariter cum uxore pransus sum. Ecce autem rerum vicissitudinem: sedebat adhuc ad mensam uxor, cum illam dolor occupat, et mox cubare super lecto, statimque intra stragula se recipere cogitur. Vehementia illius doloris magna: nec febris minor quæ dolorem e vestigio secuta est. Sollicitus fui de illius salute, siquando alias. Nam spirituum commeatum intercipiebant exhalantes e ventriculo vapores. Accurrere medici et artis suæ peritissimi, et fidei summæ, et mei meorumque amantissimi Colladonius Scholæ Rector, et Philibertus Sarracenus optimi parentis optima proles. Videbantur præscripta ab illis medicamenta levamenti aliquid uxori attulisse, cum magno impetu redeunt priores cruciatus. Advo-

catur obstetrix, quamvis renitente conjuge, quæ adeo se esse partui vicinam non putabat. Illa primo renunciat, imminentis partus nullum parere indicium. Sed mox mutata sententia certum testimonium se deprehendisse ait instantis partus. Quid multa? Ab hora fere quarta pomeridiana intentis animis fatale nascendi tempus huic infanti expectantes per magnos dolores ad horam decimam serius tandem venimus. Tum dedit nobis Deus Opt. Max. et ut manifesto periculo liberaretur uxor, et ut domus nostra filiolo augeretur. Ago tibi, sancte Parens, non quas debeo, sed quas possum maximas gratias, et pro uxoris charissimæ salute, et pro filiolo quem donasti nobis. Sed, O Pater ἐπουράνιε, vitam illi, nobis tantum hic gaudium dedisse nihil profuerit, nisi ad spem futuræ vitæ illi viam patefeceris, et in tuorum electorum numerum illum retuleris, relatum obsignaris. Quod ut facias, Deus immortalis, regasque et utrumque parentem, et ipsum, ac liberos reliquos nostros Sancto Spiritu tuo oramus te supplices ego uxorque per et propter Jesum Christum Dominum nostrum Filium illum unicum tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo Deus unus, æternus, ὑπεράγιος, ὑπεράρρητος, ὑπεράγαθος sine principio sine fine vivit, regnat, vivet, regnabit εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen. Amen.

XVIII. *Kal. Sept.* Ex pridiana insomnia semiæger et semisomnis diem transegi fere ad spondam lecti uxoris τῆς φιλτάτης. Tamen et sacram con-

cionem pomeridianam οὐ νυστάζων audii: et in lectione sanctissimi patris Hilarii Episcopi Pictaviensis collocavi tempus. O probum et zelo veritatis fervens pectus. Vigebat illis temporibus Arriana hæresis, adversus quam et aliquot libros eruditissimos scripsit hic pater. Itaque ejus libri et de Trinitate XII. et contra Constantium Imp. et plerique alii in odium Arrianorum et refutationem sunt scripti. Auctoris stylus ferreus, et subobscurus, nec male de hoc patre Desid. Erasmus.

XVII. *Kal. Sept.* Mane totum et fere integrum diem amisimus. Uxor non valebat: imo etiam febris eam repetiit. Filiolus vero charissimus Johannes ardentissimo correptus morbo nunc tertium in magnam me conjicit sollicitudinem. Sed Deus vivit, qui mea curat et curabit per Jesum Christum Filium suum. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Mane sacra concio nos habuit, et animas nostras plurimum solata est: deinde variæ excepere nos curæ, et animi anxietas ob uxoris et filioli morbum. Literas a D. Vicquio et aliis accepi non injocundas. Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Sept.* Mane totum literis scribendis occupatum. Sub prandium gravis tertiana uxorem invasit cum magnis ipsius cruciatibus ob capitis conjunctum dolorem et alia mala. Deus Opt. Max. et illam respiciat, et filiolum Johannem qui in dies habet deterius, et meas curas multiplicat. Κύριε βοήθει, καὶ σῶσον· δύνασαι γάρ.

XIV. *Kal. Sept.* Mane libris relictis sacræ con-

cioni operam dedimus, et amicos visimus. Deinde MSS. libros qui supersunt in affinis Pauli Stephani bibliotheca excussimus. Ita dies transiit. Utinam deinceps det meliora Deus Musis nostris. Sed ægroti mei uxor et filiolus meliuscule hodie habebant. Erasmi epistolas legebam, et in his duas ad Lutherum, imo contra Lutherum. Nam ille vir nunquam nisi tristissima præsagiit de Lutheri ingenio et ejus reformatione. Ipse Erasmus cum neutri parti se addixerit utriusque partis odium tulit.

XIII. *Kal. Sept.* Mane studia vix attigimus, et mox sacram congregationem, ut vocant, frequentavimus, ac Deo gratias egimus qui peritos verbi sui præcones huic ecclesiæ semper excitaret. A prandio amici et nugæ studiis jacentibus. *Κύριε βοήθει.*

XII. *Kal. Sept.* Mane studia ordinaria repetere conati parum promovimus, totumque adeo diem misere perdidimus. O Deus, ades.

XI. *Kal. Sept.* Mane studia non penitus neglecta: mox Goulartium audivimus historiam sacram purificationis B. V. Mariæ pro concione explicantem. O pium, O disertum virum. O illum populum beatum cui tantus vir pastor obtigit. Illum vero Deus Opt. Max. servet in annos quam plurimos ecclesiæ huic. *Γένοιτο, γένοιτο.*

X. *Kal. Sept.* Mane amici, sacra concio, amici, prandium, amici et cum illis longa colloquia. Ita dies actus. O Deus, studiis meis *βοήθει.*

IX. *Kal. Sept.* Mane studia Dei beneficio procurata, ὡς ἐνεχώρει. A prandio jucundæ ab amplissimo Vicquio literæ: sed totus dies periit.

VIII. *Kal. Sept.* Summo mane surreximus, ut folia nostri libri Lugdunum mittenda paremus. Cum molesta esset insomnia, venit in mentem rogasse nos Pareum juniorem ut libellum a se edendum aliquo benevolentiæ nostræ testimonio ornaremus. Juvenis magnæ pietatis, magnæ spei: magni viri filius. Effudimus semisomnes in lecto hos versiculos.

Ὦ λῷστε παῖ λῴστου πατρὸς, μάκαρος μάκαρ,
Ὡς ἥδομαι τὸ σὸν περιπτύσσων δέμας·
Πατρὸς γὰρ εὐσέβειαν ἠδ' ἀρέτην σέθεν
Σάλπιγγος ὀρθίας γεγωνότερον βοᾷ
Τά τ' ἔργα κείνου χὤ καθ' ἡμέραν βίος.
Σοῦ δ' αὖ φυὴν, νόον, μαθημοσύνην θ' ὁρῶν
Ἐρεῖ τις, ἦ μὴν τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον.
Δηρόν γ' ὄναισθε, παῖς πατρὸς, παιδὸς πατήρ.

VII. *Kal. Sept.* Mane concioni interfuimus, ut filiolum recens natum Deo Opt. Max. offerremus in Ecclesiam ipsius introducendum et sigillo electorum obsignandum. Quod ut facias, veneramur te supplices ego uxorque, Pater sancte, Deus immortalis, σῶτερ μονώτατε. Amen.

Merici παλιγγεν.

VI. *Kal. Sept.* Mane congregationem sacram frequentavimus: a prandio amicis valediximus iter cogitantes: cui tu, Deus æterne, benedice. Amen.

v. *Kal. Sept.* Hac die a charissima uxore et suavissimis liberis discessimus, Lugdunum repetituri. Erat durum jacentem in lecto conjugem e puerperio relinquere, et Philippam non optime habentem, Johannem vero etiam pessime affectum. Sed, O Deus, quid agerem? Nam ut Lugdunum eam, necessum omnino est. Ibo igitur, et fata, hoc est, Dei voluntatem sequar. Meam autem et meos tibi, Pater cælestis, tibi commendo, committoque: ut per et propter Jesum Christum Filium tuum serves illos omnes Spirituque Sancto tuo regas et me et illos. Exaudi mea pia vota, pie Parens.

iv. *Kal. Sept.* Cum pridie Geneva venissemus primo Coloniam, deinde Castillionem, ibique cubuissemus, hodie itineri bene mane nos accinximus, et Nantuæ pransi inde non mediocri diligentia venimus Cormonem feliciter Dei beneficio: ibi hæc scribebamus.

iii. *Kal. Sept.* Mane profecti Cormone Monluam venimus: pransi ibi, Lugdunum postea pervenimus Dei beneficio salvi et incolumes. Ago tibi, Deus salutis meæ, gratias, et qui me rexisti hactenus, ut quod superest regas meaque et meorum peccata tegas, supplex tuum Numen adoro. Amen.

Prid. Kal. Sept. Mane Deum immortalem precibus veneratus, operas adii typographicas, ut quid absente me factum esset viderem. Deinde amicos nonnullos invisi, nec multus in libris adhuc fui: etsi

neque illa cura omissa est. Deus duit mihi nunc tandem institutum opus detexere sine ullo impedimento, quod illud interrumpat. Servet me, meam, et meos per misericordiam suam, propter Jesum Christum Dominum nostrum qui propitius mihi meæ et meis adsit, et lumine Sancti sui Spiritus nos illustret omnes. Amen.

Kal. Sept. Mane auspicatus ab animi cura mox ad toties interruptum pensum me contuli. Quintus Athenæi nos adhuc habet. In eo fuimus non indiligenter, quantum per molestissimos amicos licuit. Deum Opt. Max. oro supplex, ut nunc demum operis instituti finem duit *ἀνεμπόδιστον*, præstet me, meam, et meos ante omnes autem piam matrem sanos atque incolumes. *Ναὶ Κύριε, βοήθει.* Diei hujus partem in jucundissimo spectaculo lapillorum veteris sculpturæ transegi. Gemmæ erant diversæ numero quam plurimæ, · quæ diversa argumenta incredibili peritia sculptoris sculpta continebant. O solertiam docti artificis!

·.· in his agathos (*achatas*) ut nos vocamus, heliomoria, prafa.

IV. *Non. Sept.* Mane studia beneficio Dei *ἀνεμπόδιστα*: nisi quod de uxore et liberis suspenso animo sumus. A prandio gratissimæ literæ a matre advenerunt. Tu, O Deus, illam mihi serva, et uxorem, et liberos, item sorores, atque omnino *τοὺς πρὸς αἷμα*, nec minus veros amicos in queis,

ut peculiari voto hospitem meum tibi commendem supplex, jubet pietas.

III. *Non. Sept.* Studia nos habuerunt, sed propter amicorum ἐπισκέψεις sæpe interrupta est opera nostra. Parum igitur præstitimus. ὦ Κύριε, βοήθει. Hodie ab uxore gratas accepi literas. Reduc illam, O Pater, et in pristinam sanitatem restitue filiolum. Amen.

Prid. Non. Sept. In Athenæi penso fuimus non multi. Literas Genevam ad uxorem et amicos scripsimus. Librum percurrimus Josephi Acostæ Hispani, cui Index *Historia naturalis et moralis Indiarum tam Orientalium quam Occidentalium.* Liber est ex parte scriptus in Peru, ex parte in Hispania a reduce. Est opus lectu dignissimum, vel eo nomine, quod dicitur in Hispania publice crematum. Quid illos movit? Quid in illo scripto non conveniens ecclesiæ illorum dogmatis? Magni emerim ejus rei veritatem scire. Opus divisum est in libros septem. Primo continentur καθολικὰ de terris recens inventis, puta, an veteres cognorint, quomodo primi homines eo devenerint, etc. et id genus elegantia non pauca ζητήματα. In sequentibus de natura regionum sub zona torrida, de rebus ibi nascentibus, de ritibus religionum, deque universa eorum populorum archæologia accurate disputat. Liber lectu dignissimus. Sed antevertat omnibus pensum nostrum σὺν Θεῷ.

Non. Sept. Dies erat Deo sacer, et quia Domi-

nicus, et quia moris est Ecclesiis Gallicis eo die sacram cœnam participare. Nos hodie non fecimus, et eo nomine dolemus, teque oramus, O Pater, asseras tuam ecclesiam in liberatem et nos cum illa. Serva etiam nostros omnes, ὦ σῶτερ. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Serius propter morbum surreximus: febri enim hac nocte laboravimus et inquieti totam noctem totumque mane fuimus. Ubi tamen libros attigimus, quia obliti malorum, satis hodie in penso promovimus. O Deus, quanta hæc benignitas tua est? quam quidem mihi, meæ, meisque præsta perennem, supplex te oro per Jesum Christum Filium tuum. Hic dies casu quodam memorabilis. Illustrissima matrona D. de Vicq curru camerato suo vehebatur partui propinqua cum duabus suis puellis et variis amicis. Lupus cervarius, qui ab auriga per lasciviam ferocientium equorum dorso fuerat impositus, labens ex loco lubrico et pilos prehendens, sic eos terruit, ut interitui proximi fuerint quicunque erant in curru. Deo laus et gratiæ, quod crucifragio lupi expiatum est hoc periculum. O Pater, hanc domum serva et illustra vero lumine.

VII. *Eid. Sept.* Totum fere diem in literis egi, nec frustra Dei immortalis immortali beneficio. Spero et meos omnes valere: eoque nomine tibi εὐχαριστῶ, ὦ σῶτερ.

VI. *Eid. Sept.* Mane τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, sed a prandio turbellæ nos et studia nostra tur-

barunt, ut parum aut nihil præstiterim. Hodie a Cardinale Barronio literas accepi.

V. *Kal. Sept.* Dies divisus inter studia et negotia, at non ex æquo. Sed da, Domine, ut in infirmitate præstem tamen aliquid. Serva præcipue matrem, uxorem, liberos et me cum illis.

IV. *Kal. Sept.* Mane totum et dies totus curis variis impensus ob discessum D. Vicquii, quem lætum et sanum Deus domum reducat brevi. Hoc die de obitu sororculæ Andreæ Stephanæ factus sum certior. Dolet mihi, et, si vellet ὁ Κύριος, vellem factum aliter. Sed fiat voluntas illius in aliis, in meis, in me. Tamen oro te supplex, Deus æterne, serves et matrem et me ac meam uxorem liberosque nostros πημάτων ἐκτός. Amen.

III. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια diem totum nos occuparunt, nisi quod amici partem diei eripuerunt, partem etiam cura de itinere uxoris et liberorum. Sed, O Deus, spes mea omnis in tuo divino auxilio. Ναὶ Κύριε βοήθει.

Prid. Eid. Sept. Mane ut semper diebus sacris Genevam literas scripsimus proficiscente tabellario. A prandio amici et studia et ἐγκύκλια, quibus, O Deus, benedice, et uxori liberisque meis, mihique atque ante omnes piæ matri. Amen.

Eid. Sept. Mane studia: a prandio etiam τὰ ἐγκύκλια, sed non sine impedimento: quicquid sit, Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Oct.* Mane τὰ ἐγκύκλια: etiam a prandio, quantum licuit per amicos perque curas gra-

vissimas, quibus libera me, Deus mi, salutis meæ meorumque anchora unica. Amen.

XVII. *Kal. Oct.* Mane studia Dei beneficio procurata: etiam a prandio aliquot horulæ non pessime collocatæ, nam cæteras abstulit officium quoddam debitum et præstitum. *Δόξα τῷ Θεῷ.*

XVI. *Kal. Oct.* Mane ad studia alacres nos accinxeramus: unde nos Panicus quidam terror ob non redditas suo tempore literas uxoris nos avertit. Vix memini acriorem dolorem sentire. Liberavit nos Deus redditis literis suavissimis quidem, sed quæ tamen doloris caussam continent. Nam adhuc ægrotat uxor, filius vero jam per menses tres continuos febricitat. Optima uxor, quo se vertat, nescit. Ego illam revoco: ipsa ardet redeundi desiderio: contra valetudo retinet et ipsius et Johannis. Quid agamus? Semper disjungemur? Minime vero: sed tuam, Deus immortalis, opem implorabimus; tua benignitas illis reddet bonam valetudinem, mihi illos, et simul *ἀγαθῶν ἀγαθίδας*. Nihil est enim, quod magis expetam. Sed, O Pater, fiat tua non mea voluntas. Amen. Athenæi quintum tandem absolvimus, quo etiam nomine Deo gratias ago gratissimas.

XV. *Kal. Oct.* Mane studia, etsi interrupta. Cepi hodie librum sextum perpolire, et caput saltem unum descripsi: faxit Pater ingeniorum, ut et recte et cito cum librum hunc, tum alios omnes

perficiam. Sed, O Pater, ὦ σῶτερ, meos meque serva. Amen.

XIV. *Kal. Oct.* Mane et a prandio τὸ καδδύναμιν.

XIII. *Kal. Oct.* Mane literæ Genevam de more scriptæ, cum multis ad Deum precibus, ut brevi me meis, et meos mihi reddat salvos atque incolumes. Tibi, tibi, mi Deus, naviculam nostram permitto regendam. Nam nos absque ope tua naufragium non possumus vitare. Tandem, tandem cognovi quod debui semper habere notum. Ego vero stultus fui, et verbis credidi, quibus nulla fides, nulla constantia. Τὸ ἄπορον τῆς ἡμετέρας γνώμης οἶσθα δήπου, ὦ Θεός· γενηθήτω δὲ θέλοντός σου τὰ νῦν ἄπορα πόριμα. Ναὶ δέομαί σου, ὦ Πάτερ.

XII. *Kal. Oct.* Mane totum studiis dedimus, Deo hoc beneficium præstante. A prandio amici, et iterum studia utcunque. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Oct.* Mane totum dedimus studiis benignitate Numinis: etiam a prandio plurimum temporis, etsi non multum promovimus in molestissimo penso, certe non quantum vellemus. Deus meliora.

X. *Kal. Oct.* Mane cum in studiis essemus toti, ecce affinem uxoris, cujus colloquia de nugis sæpe jam ante studiis nostris damnosa. A prandio vero etiam loculis incommodavit bonus ille vir. Hoc tamen die inter gravissimas curas aliquantum profecimus. O Deus, ago tibi gratias, et me meosque tibi supplex regendos tegendosque trado. Exaudi vota, Pater sancte.

IX. *Kal. Oct.* Nec multum cessavi, nec multum promovi. Literæ ab uxore advenere molestiæ πρόξενοι. Hebet animus ad tot mala. Ipsa ægrotat, Philippa, Johannes, et Petrus quoque sororis filius. Adde huc impeditam rem familiarem. Quis in hisce arduis vacet studiis? O Deus, ad te confugio: te appello εἰς βοήθειαν ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς. Ades igitur, et τὰ ἄπορα πόριμα redde.

VIII. *Kal. Oct.* Mane post aliquot horarum jacturam ab uxore literas accepi, quæ mihi lacrymas expresserunt. Ecce ægrotat illa quoque charissima Philippa: et ægrotat ἀχρὶ τῆς ἐσχάτης, nisi benignitas divina succurrat. O Deus, succurre uxori, deinde liberis, filiæ, filio et sororis filio. Tot enim meorum ægrotant nunc. At libri pæne jacent. Ναὶ Κύριε βοήθει.

VII. *Kal. Oct.* Mane multa nescio quomodo oblata studiis impedimenta, tamen aliquantulum hodie profecimus, Θεῷ χάρις, cui ut uxor charissima et suavissimi liberi qui Genevæ ægrotant curæ sint, oro supplex, et adoro.

VI. *Kal. Oct.* Mane ad uxorem de more literas animo mœstus scripsi. Toto deinde die, quantum per molestissimos amicos, in studiis qua sacris fui, qùa profanis. Deus, studiis benedicito, O Pater, et multo etiam magis uxori et liberis. Ades et piæ matri. Amen.

V. *Kal. Oct.* Hic quidem dies studiis periit prope integer. Nox per vigiliam fuerat transacta ob morbum Dæ. de Vic fæminæ illustris. Deinde se-

cutus ejus partus: postea sermo per multas horas cum Valentinensi Episcopo actus, sane quam jucundus: postremo bona pars diei transacta in spectaculo leænæ, generosissimi et ferocissimi animalis. Quota diei particula Athenæo impensa? Sed, O Deus, ades, et me et meos rege ac protege. Tua mihi illisque sufficit gratia.

IV. *Kal. Oct.* Mane studuimus τοῖς ἐγκυκλίοις Dei beneficio: a prandio amici nos habuerunt, et in his Episcopus Valentinensis. O ades studiis meis, Pater, et multo magis piæ matri, charissimæ uxori, suavissimis liberis. Ναὶ δέομαί σου Κύριε.

III. *Kal. Oct.* Mane et a prandio multa studiis oblata impedimenta. Non multum promovimus, at doluimus multum. Deus et vitam omnem et studia nostra ad nominis sui gloriam dirigat, et meam ac meos servet. Amen.

Prid. Kal. Oct. Mane utcunque nostri fuimus. A prandio toti fuimus alieni. Pensum tamen absolvimus Dei beneficio lucubratione ad noctis meridiem et ultra. Sic dies, sic mensis exactus. O Deus, tibi laus, tibi honos. Amen.

Kal. Oct. Quem mensem Deus Opt. Max. faustum velit mihi et meis illuxisse. Mane literas ab uxore accepi, et de morbo Philippæ non multo lætiora intellexi. At tu, Pater mi, et meorum, serva illam parentibus, et da nobis ut brevi una conjunctim te colamus, tibi serviamus. Amen.

VI. *Non. Oct.* Etsi non multum promovimus, fuimus tamen toti in studiis. Sed literæ ad ux-

orem et alios multos scriptæ partem diei eripuerunt. Θεὸς διὰ πάντα κυβερνᾷ, cui me et meos committo. O ades, Pater.

V. *Non. Oct.* Cum pridie literas ad uxorem et amicos alios scripsissemus, ut hodie studiis solidum diem impenderemus, contrarium pene evenit: nam et scribendum adhuc fuit, ut languentem uxoris animum refocillaret, et amici diei magnam partem eripuerunt. Itaque neque sacris studiis hilum temporis impendimus, neque absolvere potuimus mane summo inchoatum Cap. XV. lib. VI. instituti operis. O da, Pater, otium uberius, quietem luculentiorem, tranquillitatem animi majorem, et ante omnia ardentius desiderium inserviendi nomini tuo et gloriæ. Quod ut semper faciamus ego, et uxor, et liberi, per ego te supplex veneror, Deus æterne, qui ante sæcula mundum aut destinas aut regis una cum Domino nostro Jesu Christo qui Θεὸς ὢν εἷς καὶ μόνος tecum et Spiritu Sancto tuo vivit ac regnat, vivet ac regnabit εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

IV. *Non. Oct.* Totum diei pene amisi occupatus ab amicis varie in nihili rebus, ut necdum caput decimum quintum potuerim absolvere, etsi a cœna aliquot horas in eo fuimus. O Pater, βοήθει, et juva laborantem ac tantum non deficientem curis ærumnisque variis. Ναὶ, Κύριε, βοήθει mihi et meis. Γένοιτο, γένοιτο.

III. *Non. Oct.* Mane caput illud molestissimum

tandem absolvimus millies interrupta opera. O Domine, respice me et meos.

Prid. Non. Oct. Mane ad typographum objurgandum profectus, et castigandam verbis ejus cessationem tempus totum pæne amisi. A prandio amici et suscepta cura regendorum studiorum D. Abbatis. Sed animus pæne a librorum solatio est aversus ob curas domesticas. Nam quid tamdiu solus vivo procul a liberis? ab uxore? O quando ego te, conjux charissima et castissima, videbo? quando una erimus? O vitæ hujus ærumnas graves, et nisi Deum spectarem mihi intolerabiles! Animo certe quidem, mea cura, meum cor, mea castissima columba, tecum vivo, tecum vivam, et σὺν Θεῷ tecum moriar. Amen.

Non. Oct. Et mane multa, et a prandio plurima a libris nos avocarunt. O Deus, quando erimus liberi a curis istis animivoris et vere cor urentibus? Sed tibi, Pater, meos affectus, uxorem et liberos, commendo. Ades, Pater, et illam serva, meque et illos, et nobiscum piam matrem, et τοὺς ἐν γένει πάντας. Amen.

VIII. *Eid. Oct.* An aliquem diem tristiorem duxerim ex cura familiæ haud facile dixerim. Vita hæc, Deus mi, vita non est. Ago tamen gratias quod ex literis charissimæ uxoris melius cum ipsa et liberis agi didici. Illa quidem, ut video, spem concepit brevis adventus. Da, Deus æterne, felix iter, et felicem adventum cum meis Philippa

et Johanne; et ut quod superest vitæ feliciter tibi inservientes peragamus. Amen. Amen.

VII. *Eid. Oct.* Totum pæne diem mihi alienæ curæ eripuerunt. O Pater, te specto, te appello *εἰς βοήθειαν ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς.*

VI. *Eid. Oct.* Mane, ut mos est, ad uxorem literas scripsi et amicos aliquot Genevam. Inde studia. Atque hic dies totum me habuit serio literis occupatum. Promovi quantum potui, minus certe quam vellem. Sed, O Deus, nosti quibus curis occupatum animum habeam. Tu solus mederi potes; solus medeberis. Ita spero, et confido tuæ erga me ac meos benignitati. Ναὶ Κύριε βοήθει.

V. *Eid. Oct.* Multis oblatis impedimentis tandem tamen librum sextum recensere absolvimus. Nunc superest ut ad septimum, qui nos olim plurimum exercuit, accedamus. Sed tu ades, æterne Deus, et meas preces benignus suscipe. Respice me ac meos, *ὦ σῶτερ, ὦ Πάτερ.* Quid optem, imo quid optandum sit mihi necessario *οἶσθα καὶ αὐτός.* Tibi, tibi uni ac soli fidimus; tibi soli honos, laus, et gloria. Amen.

IV. *Eid. Oct.* Totum matutinum tempus periit misere: nisi quod vocati ab amico pharmacopolo Vimaro ut apparatum ad theriacæ confectionem videremus, multa non inutiliter neque injucunde spectavimus. Nardi spicam hodie demum recte animo concepimus, qua de re, si Deus dabit, in diatriba ad Dioscoridem dicemus. Quod superest

sero domum reversi septimum Athenæi sumus aggressi. Molestissimum eum librum ante sumus experti. Utinam facilem nunc experiamur. Da, Pater, et hujus et omnium reliquorum videam finem, ad nominis tui gloriam, publicam literarum utilitatem, et nostrum aliquod commodum. Nam rerum mearum statum vides, Deus æterne, sed mihi sola spes et meorum, sola anchora. Tu mihi τὰ πάντα, solus.

III. *Eid. Oct.* Hodie τὰ ἐγκύκλια nos habuere Dei beneficio, etsi ob varias occupationes non multum præstitimus. Θεῷ χάρις pro quantulocunque profectu. Δῴη δ' ὁ Κύριος βελτίονα mihi et meis.

Prid. Eid. Oct. Mane ob discessum D. Vicquii non parum temporis amissum, a prandio plus ob alias caussas. Non tamen omne tempus male positum Dei beneficio, cui et D. Vicquium et me cum omnibus meis ex animo committo. Tu serva omnes nos, æterne Parens. Amen.

Eid. Oct. Literæ ab uxore lætitiæ fuerunt per tuam, Deus æterne, benignitatem: sed temporis multum periit. Deus meliora.

XVII. *Kal. Nov.* Mane discessus Jugæi charissimi tempus multum eripuit; etiam a prandio multum amissum in nugis molestissimis, nec mea caussa. Sic tempus abit, et nostrum opus cessat. O ades, Pater.

XVI. *Kal. Nov.* Mane ad uxorem literæ, et ad Goulartium, plenæ mei affectus in negotio religionis. Sacra inde studia, et τὰ ἐγκύκλια diem

diviserunt. Sed versamur jam tres dies in digerendis Sophoclearum fabularum titulis, quæ opella plurimum nos occupat. Nam quando operis instituti finem videbimus? quando item meos affectus amplectar, quos expecto? Da, Deus, in timore tuo et horum votorum fieri compotem, et omnium quæ ad gloriam tui nominis spectabunt. Amen.

XV. *Kal. Nov.* Etsi non fuimus socordes, nec nimis occupati, nondum tamen capiti illi finem potuimus ponere, quod fragmenta Sophoclea continet. En nostram περιεργίαν. Sed ita nati sumus. Tu, Deus, rege me ac meos omnes. Amen.

XIV. *Kal. Nov.* Mane toto fere studiis ἐγκυκλίοις vacavimus. Itaque hodie molesto capiti finem imposuimus, nisi quod paucula supersunt notanda, quia impediti alibi sumus. O Deus, ades studiis meis, et ante omnia pietatem veram inde mihi, uxori, ac meis. Atque illam nunc serva in hoc itinere (sic mihi persuadeo) cum liberis nostris. Amen.

XIII. *Kal. Nov.* Diem integrum, ut potuimus, in literis egimus, non sine impedimento. Sed maximum est sollicitudo de itinere (nam cur non ita credam, favente Deo?) uxoris et liberorum. O Deus, serva illos mihi et ipsam maxime. Amen.

XII. *Kal. Nov.* Mane adhuc in lecto accepi jucundissimum de uxoris adventu nuncium; superesse ut venienti obviam irem. Ivi igitur, et vidi quam tantopere optabam videre. Valentem inveni et

ipsam, et duos, quos secum ducebat liberos. Ago tibi, sancte Parens, pro hoc beneficio et aliis infinitis grates gratissimas, teque supplex oro, ut nobis in posterum pergas benedicere, et in timore tui nominis des traducere quod superest vitæ. Ναὶ Κύριε παντοδύναμε oro te per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat, vivet, regnabit ante omnia principia, sine ullo fine. Amen.

XI. *Kal. Nov.* Et hunc diem amisimus, si amittimus illud tempus, quo fruimur colloquio uxoris optatissimæ, quam tu, mi Deus, cum matre, liberis, et agnatis serva ad tui nominis gloriam. Amen.

X. *Kal. Nov.* Jam hic tertius periit dies ob admissam in cubiculum familiam. En ut incommodum aliud ex alio nascitur. Sine uxore et liberis vita non erat vitalis, nunc sine libris est ἰσοθάνατος. Sed hæc Deus componet.

IX. *Kal. Nov.* Mane totum literis Genevam scribendis transactum, item suavissimis cum uxore colloquiis. Domesticas curas in ejus sinum effundebam, quibus ut liberemur ambo, da nobis, qui solus potes, Deus æterne, spes mea, et firmissima fiduciæ meæ anchora. Amen.

VIII. *Kal. Nov.* Cepi hoc die serio aliquid agere rerum mearum. Ergo ad Athenæum redii, cujus da, Pater, da, σῶτερ, exitum videre. Quotidie novæ difficultates oriuntur, et præsertim ob religionem. Scis, Pater, animum meum. Rege me,

mi Deus, et meos, atque in aliquem portum nos duc manu tua. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Mane et a prandio *τὰ ἐγκύκλια* Dei beneficio non segniter, sed non sine impedimentis maximis. *Θεῷ χάρις.*

VI. *Kal. Nov.* Toto die quantum potuit fieri, *τὰ ἐγκύκλια*: sed maximam diei partem abstulit musei constructio quæ et tempus et necessariam alibi pecuniam nobis ademit. Sed tu, Deus æterne, providebis. Sic spero, sic confido, fretus tua, mi Deus, misericordia, et Domini nostri Jesu Christi, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit et regnat. Amen.

V. *Kal. Nov.* Auspicati hodie primum in novo museo lucubrati sumus ad multam noctem, et aliquatenus promovimus. *Θεῷ χάρις.* Sed, O Pater, *ὦ σῶτερ*, redeunt solennia curarum. Ades, mi Deus, et da mihi *ἐκ τῶν ἀπόρων εὑρίσκειν τινὰ πόρον.* O exaudi, Pater.

IV. *Kal. Nov.* Curæ, ærumnæ, temporis jactura, dolor ex meis rebus et major ex rebus charissimarum personarum. Deus, ades.

III. *Kal. Nov.* De negotio pecuniario res hodie confecta est. Dedi enim Dei beneficio typographo nostro aureos quinquaginta. Hoc die hac gratum, utcunque molesta via fuit, qua eo perveni. Deo Opt. Max. grates gratissimæ. Cætera omnia molesta: totum enim fere diem amisi. Ita hebdomas est transacta. O ades, O Pater.

Le Sabmedi jay baille 50 escus.

Prid. Kal. Nov. Mane literas Genevam scripsimus; inde quantum licuit in penso nostro assidui fuimus. Instantes enim nundinæ excutiunt nobis de manibus alios libros, quos tali die solemus tractare solos, aut maxima certe diei parte. O Deus mi, da illud tempus, cum aliis curis melioribus occupabo animum meum, ac meorum. Amen.

Kal. Nov. Multa hodie ex animi sententia, nonnulla secus. Mane *γονυπετήσας* Deum exorare institui pro salute mea et meorum. Inde abdo me in literas, quæ diem totum me habuerunt: promovi igitur beneficio divino haud parum. Tibi gratiæ, Pater cælestis, tibi honos לעלם. Nubecula erat quædam mea, sed quæ vix frontem adducere coegit. Et hoc quoque tuo beneficio, mi Deus.

IV. *Non. Nov.* Vixi et hodie beneficio Dei mihi et Musis, non quidem nihil impeditus, sed minus quam vulgo fiat. *Θεῷ χάρις.*

III. *Non. Nov.* Multum impeditus parum præstiti, non mea culpa. *Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή*, cui honos et gloria *εἰς αἰῶνας.*

Prid. Non. Nov. Mane orantem Villarsium (cum inciperent hoc die *αἱ ἀγόραιοι ἡμέραι*) dum audimus, libros ne inspeximus quidem. Etiam a prandio occupati fuimus. Da, Deus, meliora.

Non. Nov. Mihi vixi et Musis. Tibi, tibi, æterne Deus, ago gratias toto pectore. Si tantum quotidie promoveam molestissimi laboris finem

brevi consequar: quod da mihi, cælestis Pater. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* Hic quidem dies misere periit. O Deus, quamdiu ita me sines vivere? Sed fiat voluntas tua.

VII. *Eid. Nov.* Genevam literas ad amicos de more, et cum affine lenis expostulatio. Inde fuimus in libris non segniter, etsi multum temporis periit. Sed illud longe molestius, cum venit in mentem cultus tui, mi Deus, mi σῶτερ. O da mihi, da meis, ut libertate Evangelii fruamur, et tibi serviamus pura mente. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Hodie ob quadrantales literas necessarias ad cap. 4, lib. VII. intermissum nostrum opus. Brevi eo redibitur, si tu faveris, O Deus, et vero favebis.

V. *Eid. Nov.* Totum fere diem ἀπολέσας lucubratione ad multam noctem pensum diurnum exegi. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

IV. *Eid. Nov.* Et hodie multo tempore amisso pensum tamen absolvi Dei beneficio, cui honos et gloria. Amen.

III. *Eid. Nov.* Par fortuna hujus diei: habeo igitur, quod doleam: habeo quod gaudeam: doleo igitur et gaudeo. Da, Pater, ut in te solo semper et ego, et uxor charissima et vere solatium meum magnum in hac miseriarum valle. O illam mihi et piissimam matrem ac liberos serva.

Prid. Eid. Nov. Multa impedimenta, sed aliquid tamen promovimus Dei beneficio. Caput nos

habuit vigesimum quintum ubi de Strattide quædam non sine labore; utinam habeant posteri gratiam: imo utinam ceptis meis Deus benedicat.

Eid. Nov. Τὰ ἐγκύκλια pro virili. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Dec.* Mane literas Genevam, et ad Commelini τοῦ μακαρίτου heredes. Inde aliæ curæ. Pensum diurnum non magnum. Illa sacra studia, quæ me solita tali potissimum die habere, penitus propemodum intermissa. En erit ille dies optatissimus, cum in iis totus ero, et Dei notitiam in dies et timorem inde hauriam? O damna me hujus voti, mi Deus.

XVII. *Kal. Dec.* Multis curis impediti septimum tamen Athenæi ad finem tandem perduximus. O grates tibi, Deus Opt. Max. Da, ut et toto opere perfecto agere brevi gratias benignitati tuæ queam.

XVI. *Kal. Dec.* Quod vertat bene Dei benignitas, octavum Athenæi hodie sumus aggressi: sed multa impedierunt, ne legitimum pensum impleremus, præcipue quod literæ ad multos scribendæ; in his erant ad piissimam matrem de re gravissima omnium.

XV. *Kal. Dec.* Misere hunc fere totum perdidi diem. O Deus, βοήθει.

XIV. *Kal. Dec.* Et hic dies non optime collocatus. Hodie post aliquot dierum intermissionem ad labores typographicos rediimus. Deus, ades mihi et meis.

XIII. *Kal. Dec.* Dei beneficio non pessime tem-

pus collocatum, et in penso fui non indiligens. Deo gloria et gratiæ.

XII. *Kal. Dec.* Et hic dies inter domesticos strepitus bene collocatus. Nam in Athenæo promovimus sic satis. Deus mi, Deus mi, tu mihi hæc otia facis: tibi honos, tibi gloria, tibi gratia. Da mihi, da uxori charissimæ, da meis omnibus, ut in timore tui nominis dies nostros impleamus. Da huic viro, et huic matronæ ut veram pietatem amplexi omni bonorum genere cumulatam domum suam videant. Γένοιτο, γένοιτο.

XI. *Kal. Dec.* Toto mane literæ Genevam de more scriptæ. Inde studiis ἐγκυκλίοις data non segniter opera. Ergo etiam hodie in Athenæo non parum promovimus Dei beneficio. Sed angit me unum dies noctesque, quod tamdiu ego et omnis domus libertate Evangelii destituimur. Quæ enim hæc vita? quam parum abest, ut omni pietatis sensu carere possimus videri? Huic incommodo, Deus æterne, medere. Atque interea imis medullis nostris timorem tui nominis instilla, inde, et illibatum conserva. Exaudi, Pater sancte, τρισάγιε, καὶ ὑπεράρρητε. Amen.

X. *Kal. Dec.* Mane et a prandio quod potuimus præstitimus, certe non cessavimus. Reditus D. Vicquii temporis nonnihil ademit nobis. Cui viro da, æterne Parens, integram domi forisque felicitatem; da idem matri, uxori, mihi, liberisque meis cum omnibus τοῖς ἐν γένει. Amen.

IX. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio. Didici

a magno Vicquio rem memoria dignam. Redibat ille e Delphinatu ubi cum Desdigerio Heroe et principe Præside provinciæ paci stabiliendæ operam dedit. Urbes fere singulas lustrare opus fuit, Romantium igitur venerunt illi tres. Narrabat ille se Romantii à multis intellexisse, et maxime a principe Præside accidisse ante aliquot annos, ut dum fovea mortuo foditur, integrum cadaver effoderetur, ante triennium ibi collocatum. Cum esset res miraculo et denunciata magistratui, corpus in publico destituitur, quæriturque quis ille fuerit. Comperitur pro certo filium esse improbissimum optimi patris, qui diu ab illo vexatus tandem ipsum diris devovit. Pronunciant sacrorum interpretes, cui hoc acciderit, durare ejus corpus in pœnam. Rogatur hic parens, condonet filio offensas. Pater diu facturum se negat: tandem exoratur, ac statim in pulverem cadaver convertitur.

Hanc historiam literis Primarii Præsidis et sermonibus D. de Vercoirau nobilis mihi probe noti aliorumque multorum e religione formulæ confirmatam credo veram. Etiam Capitaneus La Taille familiaris meus nostræ religionis homo vidissese illud corpus et tractasse affirmavit.

VIII. *Kal. Dec.* Parum promovimus, in cap. XI. lib. VIII. hærentes plus solito. *Θεῷ χάρις τῆς παρούσης σχολῆς.*

VII. *Kal. Dec.* Minus hodie, partim rei difficultatibus impediti, partim amicorum officiis inofficiosis. Ades anchora salutis et studiorum meorum.

VI. *Kal. Dec.* O Deus, quantum pelagus curarum aperit se mihi, nisi tua, tua illa dextra me sustineret? Ades ergo mihi, meæ, et meis. Etiam piissimam matrem tibi pio animo commendo. Ades, O Deus.

V. *Kal. Dec.* Mane districti, magis a prandio, parum promovimus, et id ipsum non sine valetudinis damno, quam tibi, Deus noster, commendamus et omnes meos. Amen.

IV. *Kal. Dec.* Mane instituimus novam parare editionem Suetonii nostri, quem tuo, O Deus, beneficio ante aliquot annos non infeliciter visi sumus edere. Nunc quidem in alia re occupatissimi sumus. Sed urget qua typographus Genevensis, qua affinis Paulus Stephanus, qui editionem curaturus est σύν γε τῷ Θεῷ, quem oro supplex lætum et huic incepto et Athenaico et omnibus nostris duit. Amen.

III. *Kal. Dec.* Mane, ut fere semper, parum utile studiis, nec multo plus pomeridianum tempus. Lucubravimus ad multam noctem, et aliquid promovimus Dei Opt. Max. beneficio.

Prid. Kal. Dec. Etsi multum impediti, octavum tamen Athenæi hodie Dei beneficio absolvimus. Gratias tibi, Deus mi. Da nunc, Pater ἐπουράνιε, ut et reliquos omnes ad nominis tui gloriam et publicam τῶν φιλομαθῶν utilitatem perficiam. Da illud ante omnia, ut in nostris omnium animis veræ pietatis amor crescat in dies, in horas. Amen.

Kal. Dec. Qui erat dies ut vocant Mercurii, serius surreximus ob pridianam lucubrationem. Ubi surreximus, Deum venerati librum nonum aggressisumus, quem brevi absolvamus necesse est, si volumus tempore librum nostrum ad Francfordienses nundinas venire proximas. Sed hoc Deus *κυβερνήσει*. Te supplex oro, Pater ingeniorum, præstes mihi otia perficiendo huic operi, si ad aliquam nominis tui gloriam ea res spectatura est. Da mihi, da matri, uxori et omnibus meis novum in dies fidei incrementum et sanctæ *ἀγάπης*. Eadem precor hospiti et Mæcenati nunc meo, ejusque conjugi ut largiaris. Amen.

IV. *Non. Dec.* Inter molestissimas curas diem transegimus, et aliquid tamen promovimus, licet animo anxii ob uxoris charissimæ angorem et languorem. Secundum caput noni hodie fecimus. Deo laus et honos. Amen.

III. *Non. Dec.* Mane nugæ nos occuparunt molestæ sed necessariæ: a prandio obviam ivimus cum nobilissimo D. de Vic fortissimo heroi D. d'Esdiguieres. Ita dies periit. O Deus mi, ades, et me serva.

Prid. Non. Dec. Mane pene totum periit; a prandio plane totum. Hoc die dux Sabaudiæ Lugdunum venit. Viam illius, Deus mi, dirige ad tui nominis gloriam et regni hujus commodum. Amen.

Non. Dec. De more literas Genevam scripsimus: a prandio paucula e sacris literis, et quædam

etiam ex Chrysostomo. Hoc solum tempus non periit mihi. Reliquum diei misere perditum. Sed omnium rerum levis jactura est, modo tua mihi salva restet gratia, mi Deus, mi *σῶτερ*.

VIII. *Eid. Dec.* Dies magna ex parte literis scribendis impensus; lucubratione tamen præstitimus aliquid. *Θεῷ χάρις.*

VII. *Eid. Dec.* Mane nescio quid nugarum. A prandio abeuntem Sabaudiæ ducem hodie vidimus. Cœnavimus inviti: sed aderat Archiepiscopus Aquarum Sextiarum vir doctissimus. Huic Hermogenem commodavimus, et Dionysium Longinum *Περὶ ὕψους.*

Livre presté a M. l'Arch. d'Aix.

VI. *Eid. Dec.* Mane et a prandio studia Deo dante, Deo faciente, cui honos et gloria.

V. *Eid. Dec.* Mane parum, sed a prandio plurimum Dei beneficio promovimus in opere instituto. Tibi grates gratissimæ, O Deus.

IV. *Eid. Dec.* Mane studia pene nulla; a prandio aliquid Dei beneficio. O Deus, *βοήθει.*

III. *Eid. Dec.* Mane totum literis datum; deinde totum tempus aut literis Augustam scribendis aut nescio quibus aliis nugis necessario impensum. Domine Deus, ades mihi, et me rege, ac mea meorumque peccata tege.

Prid. Eid. Dec. Mane literas de more Genevam. A prandio disputatio publica chirurgorum. Inde studiis impendimus quod potuimus. *Θεῷ τῷ πάντ' ἀρίστῳ χάρις καὶ δόξα. 'Αμήν.*

Eid. Dec. Ut potuimus, temporis rationem habuimus. Θεῷ χάρις.

XIX. *Kal. Jan.* Totum mane amissum infelicitate summa. Decima audita erat, et museum ingressi non eramus. Assueti istis immodicis et sæpe coactis vigiliis sero surgimus. Inde mali labes. O quando aliter vitam disponemus? Da, Deus æterne, et ante omnia tui timorem et amorem.

XVIII. *Kal. Jan.* Mane sero ad literas: a prandio aliquod, sed parum, languente animo nescio quomodo et defesso. A cœna non lucubravimus: sed lectum solito maturius adiimus, ut, si posset fieri, mane surgeremus. Sed hoc tu præsta mihi, Deus æterne, et languidum animum præsta firmum et valentem. O, supplex te oro, mihi meisque ades, æterne et sancte Deus. Amen.

XVII. *Kal. Jan.* Toto die nihil aliud nisi caput decimum tertium libri noni scripsimus. Multum enim temporis perit nobis quotidie. Usque dum, Domine? Sed magis metuo de sequentibus diebus: nisi tua, mi Deus, benignitas avertat molestias pecuniarias quæ videntur impendere. Sed, O Deus, ades, et erunt omnia læta. Amen.

XVI. *Kal. Jan.* Non fui vanus augur de perituro mihi tempore: dum negotium compono cum Rhodio, dies magna ex parte labitur. Uxor Harsii etiam pondus adjicit nostris incommodis sua insipientia. Uritur sane cor nobis variis curis: sed illas tibi, Deus mi, committo; tu me et meos, si placet, rege. Amen.

XV. *Kal. Jan.* Neque curis vacuus fuit animus, neque corpus bene affectum. In Athenæo parum jam per aliquot dies promovemus: et illum tamen diem tantopere expectamus, quo Deus dabit finem molestissimo labori. Deus mi, respice me, et mihi meisque ades. Amen.

XIV. *Kal. Jan.* Mane literæ Genevam, inde studia ut potuimus. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Jan.* Obstinata diligentia perfecimus hodie novum Commentarium libri instituti: Deo Opt. Max. laus et honos in sæcula sæculorum. Et profecto, mi Deus, tua hæc insignis benignitas est. Nam ecce novum illius argumentum: imponebam ei libro finem longa jam lucubratione fatigatus; venit in museolum meum illustris matrona D. de Vicq et ingenti officio me et meos sibi ac suis æternum divinxit. Quin illam et amplissimum Vicquium Deus benigne semper respiciat, et veris suis donis verisque bonis cumulet ὑπερεκπερισσοῦ. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Mille curis distractus ægre tempus habui ad librum decimum inchoandum; feci tamen: sed caput primum absolvere non potui: multum enim temporis impendimus colloquiis cum Alchymista quodam, sane quam ingenioso homine, qui de arcanis ejus artis multa non pœnitenda narrabat. Affirmabat, et volebat credi, argentum, sale immixto fusum, verum aurum fieri: sed cum tanta imminutione ut compendium sit nullum aut tenuissimum. Aiebat omnia

metalla ad speciem unam referenda, neque aliter distare invicem quam ut saniora hominum corpora a minus sanis. In hac propositione cardo totius quæstionis positus. Nam si concedimus speciem unicam esse omnium metallorum, non erit absurdum speciem a Natura inchoatam posse arte perfici. Nobis hæc petitio principii videtur. Aiebat ex omnibus metallis salem posse fusione elici, cujus ea sit natura, ut, cuicunque metallo imponatur, id in aurum convertat. Propterea (addebat) Alchymia nostra ars dicitur, quæ pro ultimo scopo finem propositum habet salis illius mirabilis confectionem. Hæc bonus ille vir, persuasus ἀλχυμείαν purum putum Græcum esse, inepte et falso: nam ἀλοχυμείαν dicendum; et semiarabicum esse hoc vocabulum liquet.

XI. *Kal. Jan.* Studia ut licebat, non ut lubebat; laus Deo.

X. *Kal. Jan.* Mane et a prandio præstitimus τὸ καδδύναμιν. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Jan.* Etiam hodie Dei beneficio aliquid promovimus: non nimium tamen. Sed Θεοῦ τελειούσθω ἡ βουλή.

VIII. *Kal. Jan.* Dies erat sacer natali Domini nostri Jesu Christi; et fuit religio, cum tota urbs streperet lætitia ejus diei, non censeri inter eos qui gauderent recordatione tanti beneficii. Eapropter, quia aberam a nostris, adii concionem illius Lusitani, qui solus hodie regnat in hac civitate, nec sane pœnitet. Tuli tamen iniquo animo

malitiam illius imperiti et sycophantæ qui Bezam maximum virum ineptulus ausus est bestiam et indoctum vocare. O asinum! neque celavi quid sentirem apud D. Vicquium.

VII. *Kal. Jan.* Mane ad affinem de more Genevam literas scripsimus, et quia abibat D. Vicquius ad Parisienses amicos literas multas dedimus. Ita mane totum periit. A prandio non segniter in libris fuimus. Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Jan.* Dei beneficio vixi hodie, etsi mœstus non parum, tamen non inutilis Musis, spero.

V. *Kal. Jan.* Et hodie vixi mihi et Musis. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Jan.* Post noctis meridiem hæc scribebam: multum amisimus temporis: plus tamen Dei beneficio bene collocavimus, si ullum tempus bene collocatur quod in te colendo non ponitur, Deus æterne, salus mea, salus mundi universi.

III. *Kal. Jan.* Mane sero omnino surreximus: a prandio abduxit nos ambulatum nobilissima D. de Vic. Reliquum datum est studiis.

Prid. Kal. Jan. Τὰ ἐγκύκλια quod ad studia: diem totum quod licuit Athenaicis hisce molestissimis curis impendimus: et jam gratia Numinis ad finem capitis XI. libri decimi pervenimus. Lucubrationum partem sibi sacra studia vindicarunt, et bono omine absolvimus Chrysostomi commentarium in illam divinam τοῦ τῆς οἰκουμένης διδασκάλου epistolam ad Rom. itemque Merceri in

Jobum commentarium. Atque hæc die isto: imo vero, hoc anno ista. Perveni enim, O Deus æterne, ad anni hujus ultimum diem, et fere jam horam ultimam. Quod vivam igitur, quod valeam, quod vivat uxor, quod valeat, quod non solum quatuor nati sint superstites, quos anno habebamus, sed et filiolo familiam auxeris: quod piam matrem salvam mihi (sic spero et opto) præstiteris, sorores item et affines, et τοὺς ἐν γένει σύμπαντας: quod etiam tot indicia tui favoris hoc anno mihi meisque dederis: pro istis tuis, æterne et immortalis Deus, tot tantisque in me beneficiis quid ego tibi rependere habeo? Ecce siquid est in rebus humanis quod meum dicere possim, id tuum est mancupio, meum non nisi usu et concessione tua, et illa infinita tua liberalitate. Deinde quid hæc caduca ad te, Deus æterne? An ergo ipsum me et meos offeram tibi? Sed, O ter sancte Deus, quid luci cum tenebris? quid puritati illi ἀφάτῳ cum impurissimis nobis? Quid tuæ ὑπεραρρήτῳ potentiæ cum hac ad omne bonum impotentia? Cum igitur, Deus Opt. Max., neque in me neque extra me quicquam inveniam, quod tibi offeram, supplex ad Majestatis tuæ genua accedam, et toto pectoris affectu gratias agam tibi, non quas debeo quidem (neque enim possum) sed quantas possum maximas agam pro tuis omnibus in me meosque beneficiis. Ego scio, mi Deus, et fateor indignum esse me, indignos meos, quorum te cura tangat. Sed benignitas tua hos potissimum sublevat, qui

nihil *οἰκόθεν* afferunt, quo possint emergere. Ego nihil affero præter peccata *ψαμμακοσιογάργαρα*, quæ me terrerent, nisi spem faceret fides in Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum unigenitum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo sine principio, sine fine vivit, regnat, vivet, regnabit in sæcula sæculorum. Amen.

CIↃ IↃC.

Kal. Jan. Ecce iterum me, Deus *ὑπεράρρητε*, supplicem tibi, iterum toto animo certe *καδδύναμιν* tibi *ὦ ὑπεραγία ἐν μονάδι τριὰς, καὶ ἐν τριάδι μονάς*, tibi, inquam, gratias agentem quod, exactis jam per bonitatem tuam tot annis, novum hunc annum feliciter dederis inchoare. Ecce valentem me: ecce valentes meam et meos, qui quidem hic mecum, spero et qui sunt alibi. Corporibus quidem, *ὦ τρισάγιε Θεὸς*, valemus singulari tuo beneficio. Sed da nobis, Opt. Max. Deus, da, quæso te et *γουνυπετὴς* oro, ut animis valeamus. Da mihi, da meæ et meis tui timorem: da voluntatem implendi legem tuam: da verum sensum nostræ *ἀδρανείας* ad bona opera: da veram agere pœnitentiam nostrorum omnium ante malorum. Postremo, da illud, clementissime Pater, ut per veram fidem coalescere æterno Deo Jesu Christo Filio tuo unigenito ceu membra capiti possimus. Et quoniam languet pietatis sensus, nisi assidua verbi tui auditione excitemur, hoc quoque, æterne Deus, largire nobis, ut posthac libertate Evangelii

fruamur, qua nunc caremus, ex quo hic degimus. Hoc unum ingratam nobis reddit hanc vitam non paucis alioquin beneficiis tuis cumulatam: quæ nobis quotidie impertis manu hujus clarissimi viri. Sed hoc unum deest nobis, absque quo nulla pio homini vita potest esse grata. Hoc adjice, Deus mi, prioribus beneficiis erga me meosque tuis. Simul, quia plane nescimus, quis nos status maneat post editum hunc librum qui nos hic tenet tot jam menses: obtestor Numen tuum, sancte Parens, regas nos in posterum ut fecisti hactenus, collocesque ibi locorum, ubi providentia tua ab æterno prævidit nos esse collocandos. Nam equidem consilii inops hæreo, unico huic solatio acquiescens, quod sperem, atque adeo confidam, te, cum fuerit tempus, prospecturum de domicilio et omnibus ad vitam hanc necessariis, mihique tuam voluntatem, cum libuerit, et quomodo libuerit, esse significaturum. Benedic, O Pater ingeniorum, et studiis nostris. En erit unquam ille dies, cum lectione sacrorum sanctorumque librorum animum pabuli hujus avidum pascere per alias curas licebit? Sed, O lux mundi, ingenii mei caliginem et densissimas tenebras vix tui luminis capaces, nisi *ἱκανώσῃς αὐτὸς σὺ*, probe novi. Benedic piæ matri, et novam illi in dies occasionem lætandi in te propter nos liberos suos præsta. Benedic uxori charissimæ, pietatem veram quotidie illi *ἐνστάζων*, et prudentiam regendæ domui huic necessariam. Benedic libe-

ris nostris, et largire illis ut timori nominis tui et omnium virtutum studiis innutriti insignes olim pietate evadant. Benedic etiam sororibus charissimis, et omnibus affinibus et natis illorum. Benedice, O Deus immortalis, Vicquio, et uxori liberisque eorum. Plurima tu quidem et maxima jam in hos contulisti: sed accedat his verus veræ pietatis sensus, et desiderium vitæ conformandæ ex lege tua divinis tuorum servorum libris comprehensa. Ante omnia illud, O Deus, supplex oro te, adsis Ecclesiæ tuæ prope jam omnibus terris exulanti. Compone, O μονώτατε Deus, has turbas, quæ unitatem Ecclesiæ tuæ lacerant. Te quidem unum esse etiam impii jam fatentur: Ecclesiam quoque tuam unicam esse in terris sacræ tuæ literæ nos docent. Sed illam, O Deus, ubi jam inveniemus? Video hinc quod me alliciat: illinc quod abblandiatur. Equidem persuasus sum et credo firmiter radiis purioribus veritatis tuæ illustratam esse hanc nostram Ecclesiam, credo etiam qui pro ecclesia illa altera pugnant hostes esse veritatis, mendaciorum propugnatores, meros tenebrarum filios: sed, O Deus, acceptam χθὲς καὶ πρώην cognitionem veritatis quandiu retinebimus? Sordes vitæ nostræ quid commune habent cum hac luce? Fateor, Deus mi, interdum ista cogitatio animum percellit mihi. Tu firma, qui firmitas ipsa es. Tibi honos, tibi gloria et Domino nostro Jesu Christo, qui una tecum et Spiritu

Sancto tuo πρὸ χρόνων αἰωνίων εἰς αἰῶνας αἰώνων regnantes, regnaturi cum universum mundum tum in primis Ecclesiam fovetis, regitis, tegitis. Amen. Amen. Amen. Hodie a studiis feriati sumus, ut die crastina, favente Numine, sacrosanctæ cœnæ fieremus participes: cujus beneficii cum nulla hic esset facultas, in pagum Chandæorum nobilium fratrum paullo postquam hæc scripsimus, sumus profecturi. Deus euntes, redeuntesque comitetur.

IV. *Non. Jan.* Reversus ab itinere pridie instituto hæc scribebam incredibiliter animo hilaris, quod beneficio Dei tanto bono frui licuisset. Tibi, Deus Opt. Max., gratias.

III. *Non. Jan.* Studuimus et penso vacavimus, non sine intermissione quidem, sed tamen non sine aliquo fructu, Dei æterni beneficio.

Prid. Non. Jan. Regalia hodie instituebantur. Itaque strepente urbe tota tumultu, καὶ ἡμεῖς ἀπελαύσαμεν τῆς τύρβης. Sed subduximus nos reliquo cœtui, et quantum fieri poterat in libris fuimus. Θεῷ χάρις.

Non. Jan. Molestissimum caput libri decimi XV. sumus aggressi: imo absolvimus, et magnam sequentis partem, Dei favore et beneficio.

VIII. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια: toti fuimus in libris, nec tamen promovimus quantum vellemus. O Deus, da exitum huic labori sane quam molesto.

VII. *Eid. Jan.* Literæ mane Genevam, et toto

die fere nihil. Itaque libro huic decimo, credo, immoriar: nisi tua ope liberer, mi Deus, mi σῶτερ.

VI. *Eid. Jan.* Mane totum et diem ὀλίγου δεῖν totum literis dedimus, et huic molestissimo operi, necdum tamen libri decimi finis. En erit unquam cum de absoluto opere tibi, æterne Deus, agam gratias? O ades, mi Deus.

V. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια πάσῃ σπουδῇ Θεοῦ συνεργοῦντος, ᾧ δόξα καὶ χάρις εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

IV. *Eid. Jan.* Non mediocri contentione librum decimum absolvimus Dei beneficio neque hoc solum; sed et librum undecimum inchoavimus, quem da, O Pater, absolvere et reliquos omnes. Γένοιτο, γένοιτο.

III. *Eid. Jan.* In principio libri undecimi occupati, non quantum optabamus promovimus sed quantum potuimus. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

Prid. Eid. Jan. Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

Eid. Jan. Multum temporis amisimus; aliquid fecimus. Deo laus et honos εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν. Hic prætermissi duo dies, pro quibus gratias tibi, Deus æterne, ago.

XVII. *Kal. Feb.* Mane totum studiis ἐγκυκλίοις datum; etsi erat dies Dominicus. Sed, O Deus, da mihi aliter posse vivere: auge etiam voluntatem meditandi legem tuam quæ me et meos σοφιεῖ. Amen.

XVI. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, etsi

languente uxore. Sed et illam et me sustenta, mi Deus. Cur dolerem avocari me totum penitus ab Hebraicis studiis caussa fuit. Sed Deus meliora.

XV. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, Deus æterne, alacri animo etsi certe curis obruto et magnis et justis. Sed in te spes mihi certa: tu mihi, cum erit tempus, quid sit opus facto aperies. O mi Pater benignissime, da sperare semper in te mihi meisque. Amen.

XIV. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια etiam hodie, et pensum legitimum absolutum in hoc molestissimo opere. Sed angunt nos literæ ab amicis acceptæ, qui in aula. Quanquam quid hoc curas θυμέ μου? Fata viam invenient: hoc est Dei providentia, cui me meosque committo.

XIII. *Kal. Feb.* Deus Opt. Max., ago tibi immortales gratias pro acto et prope jam transacto hoc die. Circumsistunt quidem nos hinc inde curæ multæ. Sed sustinet me tua, O Pater, benignitas. Sed O da veram fidem, et τῇ ἀπιστίᾳ τῇ ἐμῇ aut certe ὀλιγοπιστίᾳ succurre, per Dominum nostrum Jesum Christum supplex te oro, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo συμβασιλεύει σοι et nunc et semper εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

XII. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια. Deo laus et gloria.

XI. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια. Laus Domino qui hæc nobis præstat otia. Scripsi etiam ad M. Velserum Augustanum et illi hodie veterem ἀνώνυμον περιηγήτην misi quem e bibliotheca Scaligeri

nacti eramus beneficio Richardi Thomsonis. Misimus autem, ut, postquam amicus noster usus esset statim remitteret. Opus non est perfectum. Ita autem incipit.

Πάντων ἀναγκαιότατον ἡ κωμῳδία,
Θειότατε βασιλεῦ Νικομήδης, τοῦτ' ἔχει,
Τὸ καὶ βράχεως ἕκαστα καὶ φράζειν σαφῶς,
Καὶ ψυχαγωγεῖν πάντα τὸν ὑγιῆ κριτήν.
Διὸ δεῖ δοκίμασαι τὸ πιθανὸν τῆς λέξεως,
Σοί τε διὰ πάντων εὐτυχεῖν ἐσπούδασα
Καὶ διαλεγῆναι βραχέα, τό τε συνηγμένον
Ἐκ περιγράφων ὠφέλιμον ἀποδοῦναι· τὸ δὲ
Σύνταγμα κοινὴν πᾶσιν εὐχαριστίαν
Διά σε παρέξει τοῖς θέλουσι φιλομαθεῖν.
Βουλόμενος οὖν σοὶ πρῶτον ἐκθέσθαι σαφῶς
Τὸν ἀπολογισμὸν τῆς ὅλης συντάξεως,
Αἰτῶ δοθῆναι τῇ προεκθέσει λόγον
Μὴ πολύν· ἐμοὶ γὰρ κρίνεται Λακωνικῶς
Περὶ μεγάλων ἐλάχιστα πραγμάτων λέγειν.
Ἐπὶ δ' ἃ γράφω τοιαῦτα τοῖς ἐν Περγάμῳ
Βασιλεῦσιν, ὧν ἡ δόξα καὶ τεθνηκότων
Παρὰ πᾶσιν ἡμῖν ζῶσα διὰ παντὸς μένει.
Τῶν Ἀττικῶν τις γνησίων τε φιλολόγων
Γεγονὼς ἀκούστης Διογένους τοῦ στωικοῦ
Συνεσχολακὼς δὲ πολὺν Ἀριστάρχῳ χρόνον
Συνέταξε τὰ περὶ τῆς Τρωικῆς ἁλώσεως
Χρονογραφίαν στοιχοῦσαν ἄχρι τοῦ νῦν βίου.
Ἔτη δὲ τετταράκοντα πρὸς τοῖς χιλίοις
Ὡρισμένως ἐξέθετο καταριθμούμενος
Πόλεων ἁλώσεις, ἐκτοπίσμους στρατοπέδων,

Μετανάστάσεις ἐθνῶν, στρατείας βαρβάρων,
Ἐφόδους περαιώσεις τε ναυτικῶν στόλων,
Θέσεις ἀγώνων, συμμαχίας, σπονδὰς, μάχας,
Πράξεις βασίλεων, ἐπιφανῶν ἀνδρῶν βίους,
Φυγὰς, στρατείας, καταλύσεις τυραννίδων
Πάντων ἐπιτομὴν τῶν χύδην εἰρημένων.

Docet deinde utilitatem numeris astrictæ orationis πρὸς τὸ εὐμνημονευτόν. Et ait

Τὸ δ' ὅμοιον ἔλαβεν εἰκάσας ἐκ τοῦ βίου,
Ὥσπερ γὰρ εἴτις ἀναλαβὼν θέλοι φέρειν
Ξύλων λελυμένων πλῆθος, οὐκ ἂν εὐχερῶς
Τούτων κρατῆσαι, δεδεμένων δὲ ῥαδίως,
Οὕτω λελυμένων λέξιν ἀναλαβεῖν ταχὺ
Οὐκ ἐστὶ, τῷ μέτρῳ δὲ περιειλημμένην
Ἐστὶν κατασχεῖν εὐσκόπως καὶ πιστικῶς.

Non vacabat cætera describere: vellem sane: procemium saltem, quod elegantissimum est. Sed remittet, spero, Velserus, si Deus illum, si me vivere et valere volet.

x. *Kal. Feb.* Etsi dominicus erat dies, tamen unicam horulam piis meditationibus impendendam non reperi. O da mihi, Pater, aliter vivere. Amen.

ix. *Kal. Feb.* Totum mane eripuit nobis amicissimus et optimus Ranchinus vetus amicus meus, animæ meæ pars magna. O illum mihi serva, Deus, ad nominis tui gloriam. Amen.

viii. *Kal. Feb.* Libro undecimo hodie finem imposuimus; quo nomine agimus tibi, æterne Rector universi, gratias gratissimas et maximas. Da,

Pater, oro te per Jesum Christum Filium tuum et aliorum librorum lætum videre exitum.

VII. *Kal. Feb.* Librum duodecimum hodie sumus aggressi, bona cum spe daturum Deum, ut brevi pro ejus absolutione ipsi gratias agam. Utinam! Sed, O Deus, libera me imminente cura quam nosti, quæ sane molestissima mihi. Et, spero, facies.

VI. *Kal. Feb.* Parum hodie promovimus: aliquid tamen benignitate Dei: imo plurimum: si, ut speramus, molestissimo negotio prospectum est satis. Quod ut ita sit, supplex te oro, Deus æterne.

V. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις· ὁ μέντοι νοῦς πολλαῖς, πολλαῖς περισπᾶται φροντίσι· ἀλλ' ἡ ἐλπὶς ἡ εἰς τὸν Θεὸν ἡμετέρα οὐκ αἰσχυνθήσεται.

IV. *Kal. Feb.* Benignitate Dei et benevolentia Dæ de Vic negotium illud quod me male habebat est confectum. Sed aulicæ occupationes diem abstulerunt.

III. *Kal. Feb.* Die sacro, sacri nihil, ah miser, neque legi, neque audivi. O duram et miseram vitam! Da, Deus æterne, aliter posse vivere. Amen.

Prid. Kal. Feb. Etsi nonnihil avocatus a literis, plus tamen in illis ipsis quam in aliis negotiis. Tibi igitur, O Deus, gratias ago. Sed rei tristissimæ subit recordatio cum de hoc die cogito. Nam hic dies annum decimum quartum absolvit ex quo patrem, patrem illum meum optimum

ademisti mihi et sororibus meis, Deus immortalis. Illud da tu mihi, Pater æterne, ut pietatem illius et prudentiam imitari studeam dies noctesque. Piam vero matrem serva mihi, Deus mi, et, ut illi solatio sim, oro te supplex, effice. Uxorem denique et liberos in timore nominis tui fac vitæ quod superest exigere. Γένοιτο, γένοιτο.

Kal. Feb. Quod bene vertat, hunc diem non pessime collocavimus, nisi quod penso operis instituti intenti melioribus curis non vacavimus. En illud erit tempus cum melioribus illis studiis totus vacabo? O da, illum diem videam, Pater ἐπουράνιε. Amen.

IV. *Non. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Feb.* Et hodie in literis fuimus multi, Dei beneficio; sed avocavit nos a penso ἀκρόασις, cui interfuimus, medico amico oculum dissecante.

Prid. Non. Feb. Τὰ ἐγκύκλια quantum licuit: sed pars maxima temporis scribendis literis est impensa. Absolvimus tamen librum duodecimum. Θεῷ χάρις.

Non. Feb. Librum decimum tertium hodie inchoavimus. Da, Pater, illum absolvere et totum opus, ad nominis tui gloriam, publicam studiorum utilitatem et meorum aliquam.

VIII. *Eid. Feb.* Mane literas Genevam: inde studia non qualia optarem, sed qualia nos necessario nunc habent. O da, Deus æterne, alia tempora, aliam vitam.

VII. *Eid. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια beneficio supremi Numinis.

V. *Eid. Feb.* Hodie τὰ ἐγκύκλια intermissa toto die, ob datas Lutetiam literas ad D. V. de magna re. Deus ceptis benedicat. Lucubratione assecuti sumus, ne abiret sine linea dies. Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Feb.* Nisi Græcus quidam nostris studiis multas horas surripuisset, facile eramus hodie absoluturi τὸν decimum tertium. Cras faciemus, Deo dante.

III. *Eid. Feb.* Hodie ἀγαθῇ τύχῃ adiit ad nos alter Græcus, sane quam ut videtur eruditus. Libro decimo tertio finis impositus; etiam decimus quartus inchoatus Dei Opt. Max. beneficio, cui honos et gloria. Amen.

Prid. Eid. Feb. Et Græco adfui, multumque dedi illi temporis necessarii, et lucubratione pensum perfeci. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

Eid. Feb. Literæ de more Genevam. Studia sacra, ah nimis intermissa: sed, O Deus, da otium ad illa si placet. Pensum interea habet nos quantum per hanc publicam insaniam dierum horum licet. Manilium Scaligeri accepi hodie et literas a divino illo viro merito gratissimas. Serva illum, æterne Deus.

XVI. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια nocturna opera: nam dies fere totus Græcis duobus impensus. Καὶ τὸ παράδοξον alter horum, qui Lascaris ἀπόγονος ait esse, supplicem libellum oblaturus magistratibus hujus urbis, jussus eum Græce offerre, meam

operam desideravit ut scriptum, quod mihi Latinum obtulit, in Græcum sermonem verterem; quod equidem lubens feci raptim et currente calamo.

xv. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια, Deo gloria, gratia et honos.

xiv. *Kal. Mar.* Græcorum alter magnam diei partem nos habuit occupatos: tamen aliquid Dei beneficio præstitimus.

xiii. *Kal. Mar.* Viximus hodie nobis, imo, ut spero, Musis, quas colimus: fuimus enim in Athenaico penso assidui, beneficio Numinis. Atque utinam minus hodie in eo studiorum genere diligentibus esse nobis licuisset. Utinam facultas fuisset horas aliquot impendendi auditioni verbi divini. Æquissimum enim erat ut hunc illi diem consecrarem: qui est ultimus anni xli. vitæ meæ: æquissimum sane erat: nec voluntas defuit, si alibi fuissemus. Nunc autem cum ejus generis facultas sit mihi nulla, quid superest, O Deus æterne, quo animum tibi meum non penitus ingratum testari queam? Tu quidem, καρδιογνώστης ὢν, intima cordis mei nosti. Sed juvaret me in cœtu fidelium legem tuam meditantem, et publico simul et privato nomine gratias tibi pro tuis infinitis beneficiis erga pios mortalium, et privatim erga me amantem potius pietatis quam pium, meosque omnes animo, mente, lingua et toto pectoris affectu agere. Quod igitur publice non queo, Deus immortalis, quo possum modo, præsto ecce

tibi. En me, O sancte Parens, in conspectu tuo gratias clementiæ tuæ et habentem et agentem, non quantas debeo quidem, sed quantas possum maximas pro illis tot tantisque beneficiis, quibus ego meique sumus a te affecti cum alias toto vitæ curriculo, tum privatim anno hoc vitæ meæ, cujus anni dies hic est novissimus. Memini, Pater clementissime, cum ante annum pari die subiisset animum nostrum acrior cogitatio de futuro statu meo et meorum, consilii inopem *καὶ οἱονεὶ ἐγκαλυψάμενον* meque meosque tibi commisisse regendos, tegendos, fovendos. Rexisti, Pater clementissime, et me et meos texisti, fovisti. Tibi igitur honos, laus et gloria debetur a me meisque, tibi *σῶστρα* conservatæ hactenus familiæ hujus, quæ velut navis gubernaculo carens, nullo humano consilio, nulla industria mea, sed tua solius providentia et cura gubernatur. Hanc tu, Pater Opt. Max., auxilio et ductu tuo ne destitue: huic uni, ceu anchoræ sacræ, da ut semper incumbamus: averte ab animis nostris humanas spes omnes. Fac denique de regno cælorum solliciti, *τὰ γηΐνα ταῦτα καὶ χοϊκὰ* non pluris unquam faciamus quam pios et tui verentes par est. Hoc te, *Θεὸς ὑπεράρρητε*, supplex oro, veneror, obtestor per Dominum nostrum Jesum Christum Filium unicum tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo sine principio, sine fine summa, media, ima rexit, regit, reget. Amen. Amen. Amen.

ANNUS VITÆ XLII. 18 FEB.

Ecce iterum me, *τρισάγιε Θεὸς, ὑπεράρρητε*, immortalis, Opt. Max., supplicem ante majestatis illius *ἀφάτου* tuæ pedes humillime prostratum. Admonet enim me hic dies tuæ adversum me *ὑπερεκπερισσοῦ μεγάλης ἀγαθότητος* benignitatis et clementiæ. Nam ecce annum vitæ meæ XLII. incipientem: ecce patientiæ tuæ *περιπλόμενον μα' ἐνιαυτόν.* Confiteor tibi, Deus æterne, et confiteor penitus ex animo, indignissimum me qui tuis istis beneficiis, quibus dies noctesque oneras me tot jam annos, tamdiu fruar. Sed, O Deus *τρισάγιε*, non propter me, scio, tot donis a te sum cumulatus: tua bonitas illa infinita, quia benefacere amat, propter se ipsam benigne hactenus egit mecum. Hoc equidem scio, Deus immortalis, et vellem planius eloqui, si verba suppeterent, quibus animi mei hunc sensum possim exprimere. Illa vero, O Deus, nulla suppetunt, et defixum in cogitatione de tuis adversum me beneficiis *ἀφασία ἔχει.* Taceo igitur, et conscientiæ tacito sensu potius quam verbis ago tibi, habeoque quantas maximas possum gratias. Oro etiam te, *ὑπεράγαθε Θεὸς*, et supplex Numen tuum veneror, pergas porro benignitate et clementia uti erga hanc *ἄνοικον, ἀνέστιον* et prope dixerim *νομαδικὴν οἰκίαν.* Piam matrem ante omnes, ante omnia tibi, O Pater *ἐπουράνιε*, commendo. Da illi, per tuam bonitatem te oro, paria ex me gaudia iis ærumnis quas ante XLI. annum hac die

mea caussa toleravit: da illi mercedem eorum laborum quos exantlavit pia fœmina in mei educatione. Da mihi in timore Numinis tui quod superest vitæ posse exigere ad gloriam tui nominis, salutem meam, utilitatem meorum, et publicum literarum bonum. Da charissimæ conjugi te sic posse colere, ut piam et honestam matronam decet. Da liberis nostris ut pietatem veram doceantur, inque ea sic instituantur, ut toto deinceps vitæ suæ tempore fructus edant rectæ educationis. Hæc si dederis, æterne Parens, et cætera ad vitam hanc necessaria adjecta iri confido. Ades igitur, æterne Deus, et mihi meisque cor tibi gratum finge, et amorem timoremque tui in dies magis magisque nobis inde. Ναὶ Κύριε ὑπάκουσον, oro te supplex per Jesum Christum Filium tuum illum unicum, *τόν σοι ὁμοούσιον, τόν σοι ἀπὸ χρόνων προαιωνίων εἰς αἰῶνας αἰώνων καὶ συμβασιλεύοντα, καὶ συμβασιλεύσοντα σὺν τῷ* ἉΓΙΩΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙ. Amen. Amen. Amen.

XII. *Kal. Mar.* Τὰ *ἐγκύκλια* in Athenæi penso Dei beneficio: quinetiam rogatu affinis P. Stephani Demosthenem leniter recensere institui, quod quidem felix et faustum esse velit Deus Opt. Max.

XI. *Kal. Mar.* Mane Genevam literas: deinde pensum non minus jam molestum quam rota Ixioni, aut suum saxum Tantalo. Da Deus finem.

X. *Kal. Mar.* O Pater, et hic dies *τοῖς ἐγκυκλίοις* datus: etsi non sine cura, qua tu me, Pater

clementissime, liberabis. Sic spero et confido. Amen.

IX. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια Θεοῦ χάριτι ad profundam noctem.

VIII. *Kal. Mar.* Datum hodie curæ corporis aliquid. Sed tamen pensum non est neglectum Dei beneficio.

VII. *Kal. Mar.* Hodie nihil fere in Athenæo promotum. Variæ curæ impedierunt, aut officia: literæ ex aula spei plenæ. In te uno, mi Deus, spero.

VI. *Kal. Mar.* Eram in studiis ὅλος καὶ πᾶς, cum ecce literæ ab amico magno D. Vicquio qui in aulam nos vocat, et quidem ὅτι τάχιστα. O Deus, quid nobis futurum est? nam equidem non scio: nisi hoc scio, quod tua clementia me pascit, fovet, regit. O Pater, tibi me et meos committo.

V. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια Θεοῦ χάριτι etiam inter varias curas ob imminentem discessum. Decimum quartum magno conatu absolvimus, etiam decimum quintum aggressi sumus, quem, ut video, non hic, sed Lutetiæ sumus absoluturi. Ita velis tu, æterne Deus. Amen.

IV. *Kal. Mar.* Literæ Genevam, ut die Dominico semper: dein curæ molestiæque non paucæ: et inter hæc tamen studia non penitus omissa. Laus tibi, Deus æterne.

III. *Kal. Mar.* Totum diem amisi occupatus in parando discessu, quem tu, O Deus, fortuna.

Prid. Kal. Mar. Iter mane institui in aulam,

Deo duce et auspice. Perveneramus ad operis nostri finem ὀλίγου δεῖν. Librum enim ultimum eramus jam aggressi. Sed rebus relictis jubemur ab amicis Lutetiam proficisci. Urgent in primis magni Vicquii literæ, cujus viri consiliis naviculam nostram gubernari par est, nostraque plurimum interest. Nam secundum Deum Opt. Max. ille nostras fortunas promovendas suscepit. Quin illum Deus fortunet, et omnium bonorum genere cumulet. Igitur supplici prece Numen supremum venerati, itineri nos accinximus, quod felix et faustum esse mihi uxori et liberis velit ὁ πάντα κυβερνῶν Θεός. Quo autem citius Lutetiam pervenirem, equis dispositis uti constitui, semel expertus tanto labori et vexationi ferendæ non esse nos impares. Lugduno ter mutatis equis Tararam venimus.

Kal. Mar. Quater ante prandium mutatis equis Roanam venimus: ibi ad uxorem scripsi et amicos. Inde venimus la Pacaudiere bis mutatis equis. Ita dies confectus, quo ne librum quidem, hei mihi, vidi; dabit Deus melius collocare tempus. At tu, O Pater, incepto itineri benedic per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

VI. *Non. Mar.* Molinum urbem ob cultrorum fabricam nobilem, neque alioquin contemnendam ipsam propter se. Equos septies mutavimus, omnes itineris socii misere affecti ex itineris vexatione. Nos Dei Opt. Max. insigni beneficio pene integris viribus eramus, etsi pessimis semper usi

equis, cum meliores τῷ κάλλιον ἠμφιεσμένῳ δῆθεν darentur, neque ego recusarem. Nugæ. πάλιν Θεῷ χάρις.

v. *Non. Mar.* Octies mutatis equis Charitatem venimus multa jam nocte. Ego adhuc viribus eram satis integris. Quo nomine plurimas tibi, Deus æterne, καὶ ἔχω καὶ ὁμολογῶ χάριτας.

iv. *Non. Mar.* Et hodie mutatis octies equis Nojanum venimus beneficio tuo, Deus summe, qui si proposito faveris, cras Deo dante Lutetiam perveniemus, aut non multum aberit. Ita esto, mi Deus, mi Pater.

De ce jour est deu a M. S. Geoffroi le G. mon doit 3.

iii. *Non. Mar.* Magno conatu pervenimus Essonam ad tertium a Lutetia lapidem. Equos novies mutavimus: diligentia magna usi sumus; sed aquæ restagnantes et equorum defectus impediverunt iter consummare. Cras faciemus Deo dante, quem supplex oro, adsit mihi et meis. Amen.

De la journee d'aujourdui debuons le Gracet moi 7 esc. sur quoi j'ai paie en deduction de mon argent 3 esc. et 40 s.

Prid. Non. Mar. Lutetiam Dei beneficio pervenimus magnis defuncti molestiis; sed valentes tamen et corpore et animo. Atque ego tibi, Rector cæli terrarumque, pro hoc singulari beneficio gratias ago immortales. Nunc illud, æterne Parens, superest, ut consilia mea regas, ut nihil nisi voluntati tuæ conveniens aggrediar, nihil

cogitem: utque ad meos tandem fructus aliquis horum laborum perveniat. Γένοιτο, γένοιτο.

Non. Mar. Pars maxima diei, imo totus dies periit visendis amicis. Leniter pensum aggressi sumus. O ades, O serva, mi Pater, mi Domine.

VIII. *Eid. Mar.* Et hodie pars diei magna periit. Supplex tuum, æterne Deus, numen veneror, serva et rege matrem, uxorem, me, meosque. Amen.

VII. *Eid. Mar.* At hodie non linea ducta, non punctum, nisi quod ad uxorem charissimam et dilectissimam scripsi, quam tu, mi Deus, mi Pater, cum suavissimis liberis mihi serva. Amen.

VI. *Eid. Mar.* Mane totum amisimus. A prandio deducti sumus ad Regem, qui singulari humanitate nos excepit. Hoc a te beneficium hodie accepi: àdde illud, Pater, supplex te oro, ut in veræ pietatis professione et sincero tui timore firmiter insistens exemplo firmare rudiores queam. Amen.

V. *Eid. Mar.* Die Dominica carui divino bono, auditione verbi divini. Sed spero, Deus Opt. Max. tua ope consecuturum me brevi, ut posthac sim hac parte beatior. Næ haud paullo futurum id mihi gratius, quam quod audivi hodie Regem nostri ultro meminisse in concilio, et propensi erga nos animi demonstrationem dedisse. Si ita tibi placet, æterne Deus, fiat voluntas tua: sin minus, valete mundi τὰ μεγαλεῖα.

IV. *Eid. Mar.* Curæ βιωτικαὶ et officia amicorum

hunc quoque diem fere integrum sibi vindicarunt. O dolor!

III. *Eid. Mar.* At istum magna ex parte studia, vel literæ ad amicos, et quidem ad uxorem, quam, O Pater, serva mihi, et cum ipsa meos affectus cæteros. Amen.

Prid. Eid. Mar. Hodie studia et curæ diem diviserunt: mane studiis datum, pomeridianum tempus curis aliis. Angimur enim intimis medullis, quod nihil ab uxore literarum accepimus, quodque eam languere intelligimus. Tibi, Pater clementissime, et illam commendo, et matrem, ac liberos, meque ipsum. Serva nos, et junge invicem, Deus æterne. Ναὶ δέομαί σου Κύριε per Jesum Christum Filium tuum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat, regnabitque æternum. Amen.

Eid. Mar. Amici, curæ, sollicitudo de uxore, studia inter hæc. Ita vita truditur. Θεὸς εὐμενὴς εἴη.

XVIII. *Kal. Apr.* Mane bibliothecam invisimus: ubi tamen nihil profeci ob agreste Bibliothecarii ingenium: vix unum aut alterum librum inspexi. In his erat vetustissimus liber Ἁρποκρατίωνος Ἀλεξανδρέως περὶ φυσικῶν δυνάμεων, et huic adjunctus alter ejusdem argumenti Κυρήνου cujusdam. A prandio literas ab uxore accepi, Deus æterne, quanta cum voluptate. Tibi, O Pater, gratia, honos et gloria. Amen.

XV. *Kal. Apr.* Mane amici, pæne dixi inimici,

eripuerunt. A prandio ad Ronium sumus profecti. Inde studia Dei beneficio; cui honos, et gratia. Literæ hodie nullæ ab uxore, cum prælongæ a D. de Vic, sed uxorem facile excuso.

XIV. *Kal. Apr.* Hodie ad Ronium venimus, et regiam pecuniam tractare cepimus. Deo id acceptum ferimus et Regiæ bonitati. Deo honos, et gloria: Regi autem *ἀναπόδομα παρὰ Θεοῦ γένοιτο καλόν.*

XIII. *Kal. Apr.* Et dies hic actus sine literis ab uxore, quanquam accepi quidem sed *ἑώλους*: alias expecto, quas da brevi recipere gratas mihi, O Pater, et Deus æterne.

XII. *Kal. Apr.* Non periit hic dies penitus Dei beneficio, cui honos, gloria, et gratiarum actio in æternum. Amen.

XI. *Kal. Apr.* Neque hic pessime positus: si ulla temporis pars bene poni censenda est, quæ alibi quam in meditatione Legis divinæ ponitur. At nos tam beatos Deus nondum fecit; faciet, spero, et me ejus voti reum obligabit. O da illum diem, Pater.

X. *Kal. Apr.* Hoc die finem imposuimus Athenaicis Animadversionibus. Supersunt *τὰ προλεγόμενα*: quibus brevi nos accingemus, si faverit supremum Numen. Interea agimus tibi, æterne Deus, pro hoc beneficio grates gratissimas: teque supplices oramus, ut, quod superest vitæ, melioribus studiis impendere, et nos gloriæ nominis tui consecrare possimus. Da hoc mihi, sancte Deus,

et me meosque rege, ac tege; per Jesum Christum Filium tuum supplex te oro, et Spiritum Sanctum tuum. Amen.

IX. *Kal. Apr.* Mane totum literis scribendis impensum. A prandio amicos visimus. Deinde Photii bibliothecam cepimus percurrere. Θεῷ χάρις.

J'ai ostè des 200 escus un escu.

VIII. *Kal. Apr.* Mane literis et studiis impensum: reliquum periit. Deus studia adjuvet. Amen.

Ce jourdui j'ai baille a Monsieur de Vic 200 esc. pour faire recevoir a ma femme a Lyon.

VII. *Kal. Apr.* Hic dies studiis periit, sed O gratam temporis jacturam! Ivi enim Abelonem, et interfui confessionis nostræ synaxi, ubi Deo egi gratias pia mente pro tanto beneficio. Serva, Deus, hanc ecclesiam, et me, cum meis quoque. Amen.

Ai despendu a Abelon environ 3 testons.

VI. *Kal. Apr.* Mane studia omissa penitus propter negotia quædam levia, et emtos aliquos libros D. Abbati Beccensi. A prandio amicorum officia, et nescio quæ nugæ. O Deus, da melius tempus collocare. Nam interea senescimus. Dedimus tamen horas aliquot lectioni aurei libri Photii Bibliothecæ. Θεὸς εὐμενὴς εἴη.

Ce jourdui ai achephe a ma femme une petite chaine de dix escus, pesant 9 esc. moins dix s.

Fait contes avec le Gracet, lui ai paie 7 esc. ainsi ai oste jusques a point des 200 la somme des 118 esc.

	esc.	s.
Baille a Viniam pour fournitures faites pour moi	4	3
— de la bourse —		4

Sorti deux escus: dont de l'un ai paie les livres de Prior.

V. *Kal. Apr.* Mane totum periit, aut literis scribendis, aut domino Vicquio opellam aliquam navando, qui ea die discessit Lutetia et nos hic reliquit. A prandio migravimus ex ipsius ædibus in hospitium Viri *καλοῦ κἀγαθοῦ* Henrici Stephani affinis nostri cujus probitas nos illexit, ut ejus hospitio vellemus uti, quod et rogati sumus ab eo ut faceremus. Est enim summa hominis humanitas et benignitas. Deus ceptis benedicat, et me uxoremque et omnes meos suo favore prosequatur. Amen. Hic igitur manere constituimus mensem unum, si volet Deus, et aliquid amplius. Tria hic nobis agenda: finis *σὺν Θεῷ* operi instituto dudum est imponendus: expectandum quo evadent illæ *εὐχωλαὶ* Gilotianæ quarum non magna spes; et tamen sine illis cur huc vocem aut ducam uxorem caussæ non est. Tertio expectandus adventus *τοῦ πάνυ* D. de Fresnes: cum illo de summa rerum deliberabimus. Sed enim a te uno, Deus æterne, opem consiliumque expecto expetoque. Tu mihi ades. *Τῶν λοιπῶν οὔ μοι μέλει.*

IV. *Kal. Apr.* Totus dies Dei beneficio positus in lectione Bibliothecæ Photii.

III. *Kal. Apr.* Mane studiis impensum: a prandio amici, nugæ, et sumtus *ἄωρός τε καὶ δεινός.*

Deus benedicat mihi meisque et nos regat. Amen.

Prid. Kal. Apr. Mane totum studiis serio datum: pomeridianum tempus amici fere surripuerunt: dolet quidem; sed hæc incommoda vitari a nobis non queunt. Θεὸς εὐμενὴς εἴη.

Ce jourdui paie le Servius, et Caier $2\frac{1}{2}$ esc.

Kal. Apr. Quod bene Deus Opt. Max. vertat, mensem hunc auspicamur, non male. Totum mane studiis dedimus, et Photii bibliothecæ quod habemus editum pellegimus. A prandio ad pagum illum profecturi ubi habetur ἡ τῶν ὀρθοδόξων σύναξις hæc raptim scribebamus, Deum supplici prece venerantes, ut nobis favere in hoc itinere, et tota reliqua vita dignetur. Matrem piam serva, æterne Deus. Uxorem, ah uxorem, cujus de statu adeo sum sollicitus, serva, solare, rege. Liberis nostris ades, sororibus quoque et τοῖς πᾶσι τοῖς ἐν γένει. Amen.

IV. *Non. Apr.* Ago tibi, æterne Deus, gratias immortales, quod susceptum hesterna die iter dederis feliciter conficere. Multa quidem passi sumus ob tempestatem obscœnissimam, cum ventus nos verberaret assidue, imber nive et grandine mistus ἀδιαλείπτως persequeretur, altum lutum equis eundi facultatem adimeret: sed ista quam lenia, quam οὐκ ἄξια λόγου πρὸς τὸ εἰλικρινὲς ἀγαθὸν οὗ μετασχεῖν ἔδωκας. Iterum iterumque ago tibi, Deus æterne, quantas maximas possum gratias. Sum equidem, Pater sancte, hoc tanto beneficio

indignissimus. Sed tua benignitas ἱκανώσει ἡμᾶς, quod etiam ut magis magisque facias, in dies supplex te veneror per Dominum nostrum Filium tuum Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto vivit regnatque sine principio sine fine. Atque hoc, Pater, non solum mihi sed et piæ matri expeto, charissimæque uxori et suavissimis liberis: quos omnes cæterosque συγγενεῖς, Pater ἐπουράνιε, sartos tectos mihi serva καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα. Amen.

III. *Non. Apr.* Totum diem, paullo minus, studiis impendi, nisi quod amicorum nonnulli particulam temporis eripuerunt. At uxor plurimum. Quid enim hoc est? quod intervallo adeo longo nullas ab illa literas accipio. O Domine, ades, et serva illam, cumque ipsa liberos nostros meque cum illis ad nominis tui gloriam. Amen.

Prid. Non. Apr. Serius ob pristinam vigiliam surrexi, et multum hodie temporis amici nobis eripuerunt, plus tamen anxietas mira de statu uxoris et liberorum. Nam literas ab illa pridem nullas accipio. O rem acerbam! O dictum vere *Res est solliciti plena timoris amor.* Sed in te, Deus æterne, Pater clementissime, spes omnis mea. Tua benignitas illam mihi servabit et liberos simul, meque cum ipsis, et hac tanta sollicitudine cum erit tempus me liberabis, quod ut facias, et piam quoque matrem serves cum omnibus cognatis et amicis supplex te oro. Libera me, Pater benigne, his curis.

Non. Apr. Et vero liberasti, O Pater. Nam ecce binas hodie literas ab uxore charissima, unas etiam a Chabanæo sororis marito, quibus certior fio de valetudine bonæ matris, conjugis, liberorum et omnium. Ago tibi, sancte Pater, gratias quantas possum maximas.

VIII. *Eid. Apr.* Dies non male positus. Deo laus, Deo gloria, Deo honos; quem supplex oro, ut me et omnes meos ἀφθάρτους καὶ ἀπημάντους præstet καὶ τὸν νοῦν καὶ τὸ σῶμα.

VII. *Eid. Apr.* Mane studiis datum beneficio Numinis, cui magnæ grates. A prandio nihil nisi literas scripsimus, itemque a cœna usque ad noctis meridiem, ut posthac constituerim parcius Lugdunum literas dare, etiam ad charissimam uxorem brevius. Illam et omnes nos, O Deus, serva.

VI. *Eid. Apr.* Sero ob pristinam vigiliam. Mane studiis deditum, sed non sine impedimento ob molestas literas τῆς δεῖνα. A prandio fere amici nos habuerunt, quod nollem factum. O Deus, da aliter vivere, et meam omnesque meos serva.

Ce jour ai baille a Mad[lle] de Harsi la somme de 25 escus.

V. *Eid. Apr.* Die Dominica Domino Deo meo nihil temporis impendi. O miserum me! Quis me alio loco statuet, ubi erit major tui, Deus æterne, colendi facultas? Sed interea accende in me et mea omnibusque meis verum pietatis studium et ardorem. Amen.

IV. *Eid. Apr.* Mane partem temporis amor uxoris eripuit, partem amici, reliquum studiis

datum. A prandio cum rescissem literas Lugduno allatas, in queis nullæ fuerunt ab uxore, maximum ex eo dolorem cepi, prope ad morbum usque, cum præsertim aliæ accederent caussæ ex hac status mei et familiæ meæ inconstantia. Tu nos stabili, æterne Deus. Te appello in auxilium mihi. Tu ades, oro obtestorque. Nam equidem langueo.

Donne 20 escus a ma cousine pour des habits qu'elle me doit faire.

III. *Eid. Apr.* Per mille curas æstusque animi libri inspecti leniter et nauseabunde. Sed, O Deus, aspice me benignus: respice meam et meos. Nam statum mearum rerum vides.

Donne 12 escus a ma cousine.

Prid. Eid. Apr. Institutam pridie lectionem libri contra Missam a Plessiaci Domino compositi incredibili voluptate animi persequebar, Deum Opt. Max. dilaudans, et gratias illi agens immortales, quod me de eorum numero esse fecerit quibus oculos aperuit.

Donne a la servante 1 teston pour blanchir mes chemis.

Eid. Apr. Mane literæ abstulerunt, quas ad uxorem et amicos scripsi: a prandio amici. Ita dies fere periit. Ades, O Deus, et nostra studia et familiam totam fove.

XVIII. *Kal. Mai.* Mane totum et fere pomeridianum tempus nobis viximus et Musis, una tamen cura misere afflicti, sollicitudine de uxore et liberis. O Deus æterne, et piam matrem et illam

et omnes liberos, sorores atque adfines serva, et Spiritu rege tuo. Amen.

Baille 2 escus a ma cousine.

XVII. *Kal. Mai.* Quaternas hodie literas ab uxore accepi: tuque, summe Deus, bonitate tua vitia vincis mea. Tibi igitur dejectissimo animo gratias gratissimas. Tibi honos, gloria, decus, et in omne ævum καὶ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς regnum et imperium. Amen.

28 s. pour des soliers au laquais.

XVI. *Kal. Mai.* Die sacro, ah miser, sacræ synaxi non interfui. Magnam tamen diei partem lectioni gravissime de nostra pietate scripti libri a D. Du Plessi super Cœna et Missa impendi: quin et cum ipso magno illo viro magnam diei partem fui. Deus illum et similes nobis servet. Etiam hodie literas ab uxore accepi. Deo æterno et immortali gratiæ immortales. Hodie item a Loisello viro erudito novam audiebam interpretationem loci Johannis IV. 35. οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται; Vertunt, *Adhuc quadrimestre spatium superest, et messis aderit,* quod Loisellus putat absurdissimum. Nam hæc loqui Christum imminente pascha; atqui constat messis tempus incidere in Judæa in illud tempus, finem, inquam, Martium aut Aprilem. Quare ille ita vertit, *Jam agitur quartus mensis, et instat messis;* statim sequitur ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη. Hæc ille, tu cogita.

XV. *Kal. Mai.* Mane studia ad nonam serio.

Inde ad Ronium venimus, et Dei auxilium experti sumus. Vidi hodie primum adfinem charissimum Petrum Perillæum amore fraterno mihi conjunctissimum quem ab annis sedecim non videram. O pium pectus! Serva illum, Deus Opt. Max., et me simul, meam, et meos.

Despendu 2 escus en une chemise et 6 coules.

XIV. *Kal. Mai.* Mane studiis ereptum et literis impensum. O jacturam! Sed parcius posthac ei curæ vacandum. *Θεὸς εὐμενὴς εἴη.*

XIII. *Kal. Mai.* Mane studiis datum, totum a prandio tempus amicis et literis ereptum est, et male positum *εἰς τὰς βιωτικὰς χρείας. Θεοῦ ἐτελείετο βουλή.*

XII. *Kal. Mai.* Mane totum et totum diem funditus, proh dolor, amisi. Deus hanc jacturam det sarcire. Amen.

XI. *Kal. Mai.* Nicandri locum, qui restabat emendandus, conati sumus Dei opera illustrare. Non plane frustra fuimus, etsi non quod optabamus effecimus. Sed *ἀδύνατον* erat *ἀνθρώπῳ φύντι* omnia assequi: nedum potuissemus nos, qui et ingenio mediocri sumus, et nunc cum maxime anxii sumus, ignari quid sit opus facto, et quomodo nostras res tandem constituere debeamus. Opus nostrum Lugdunum nos revocat: multa hic nos detinent. Quid faciemus? Da, Pater, da, *σῶτερ*, consilium, et me ac meam meosque inservire gloriæ tuæ face. *Γένοιτο, γένοιτο.*

2 Escus 10 s. en bas de chauses.

x. *Kal. Mai.* Nicandri locum hodie absolvimus, et tandem quod Deus Opt. Max. consilium fortunet *κεκρίκαμεν* de vocanda uxore. O Deus, da consilii hujus et in præsens lætum exitum, et in posterum *τὸ μὴ μεταμελεῖσθαι.*

IX. *Kal. Mai.* Dies hic erat Domino sacer, et consecratus Domino a nobis. Sacræ enim synaxi interfuimus, et incredibilem *καὶ ἄφατον* quandam voluptatem ex ea re cepimus. O Deus, da hoc beneficio sæpius frui. Amen.

VIII. *Kal. Mai.* Et hic dies Athenæo impensus. Quis finis hujus curæ? quem tu nempe dabis, Deus æterne. Da illum brevi, Pater clementissime, da etiam liberari hac cura, quæ animum est meum ob charissimæ uxoris vexationem et liberorum morbos. En, O mi Deus, nisi succurrit nobis tua benignitas, deficimus, nec jam pares sumus.

VII. *Kal. Mai.* Hodie gratissimas ab uxore literas accepi. O Deus, quantas tibi grates agere debeo: atque adeo ago toto pectore. Da, Deus, illam videre post confecta hic negotia. Da lætum et prosperum exitum.

VI. *Kal. Mai.* Nec penitus amissus, nec optime positus dies. Obruimur enim curis istis molestissimis. Deus mi, tu spes nostra solus: tu nostra portio et meorum *κλῆρος.* Tibi uni confidimus.

V. *Kal. Mai.* Totus dies misere periit. O dolor! O ades, mi Deus.

IV. *Kal. Mai.* Mane totum literis scribendis

impensum. Imo diem totum officia et nugæ abstulerunt. O da meliora, Deus. Hodie quod supererat libri decimi quinti Athenæi Lugdunum misi non sine sollicitudine propter incerta casuum. Sed mea in Dei præsidio spes.

III. *Kal. Mai.* O vanas spes mortalium! Hodie post tot dierum jacturam constitueram abdere me in museum, et serio literis incumbere. Ecce literas a Rege quibus jubemur Fontem bellæ aquæ statim venire, et ei collationi interesse quæ habetur ob contentionem inter Plessiaci Dominum et Episcopum Ebroicensem. Ita periit dies totus dum hunc aut illum convenimus necessario. Periere igitur studia. Sed valeant studia et omnes Musæ, modo operam publico utilem navare aliqua in re possemus. Nunc quid nos possumus? et, O Deus, quis nos huc conjecit? Neque enim ea sunt mea studia. Quia tamen οὐκ ἀθεεί istud fieri certum habemus intrepide ibimus, et freti auxilio divino omnia insuper habebimus, modo inservire gloriæ Dei aliquid possimus. Da hoc, æterne Deus, da hoc, Domine Jesu Christe, qui cum Patre et Spiritu Sancto æternum regnas, regnabis. Amen.

In hoc itinere duo mihi proposita; ut, quicquid in me fuerit situm, conferam, si dabitur occasio, propagandæ Dei veritati: et ut privatim rebus domesticis consulam. Erit occasio per D. Ronium, cui uni nostra negotia hactenus credidimus. Hic nobis tria agenda. 1. Ut Diploma Regium con-

sequamur declarandæ Regis voluntati circa nos, et promissam nobis pensionem. 2. De viatico ad uxorem et liberos. 3. De triente anni hujus cujus cessit dies. His confectis facile erit de summa rerum nostrarum constituere. Ante ista confecta frustra hic aliquid sperem. Θεῷ δὲ ταῦτα μελήσει.

Prid. Kal. Mai. Regis jussu Fontem bellæ aquæ venimus, usi dispositis equis. Ad D. de Villeroi primo accessimus. Deinde ad Regem sumus deducti, qui magna benevolentiæ signa nobis exhibuit. De re, cujus gratia huc vocati sumus, pauca adhuc Rex nobis, plura alii. De modo progrediendi in hac collatione adhuc contenditur. Dominus Deus inspiret eos, penes quos est rerum summa ad τὸ ἀγαθοεργεῖν, et veritatem suam magis magisque splendere faciat. Ita esto, Deus æterne.

Kal. Mai. Mane totum officia amicorum eripuerunt. Quod utinam in contrarium omen vertat: et quam male periit studiis nostris principium hujus mensis, tam feliciter reliquum mensem et vitam totam bonis studiis impendamus. A prandio acciti a Rege ad ipsum venimus; et per horas fere tres de negotio Plessiaco nobiscum est locutus. Si nos respicimus, nihil gratius, nihil honestius nobis eo colloquio. Si caussam, qua de agitur, specto, nihil tristius, nihil magis contra spem et opinionem meam. Certum est omnem plane sensum reformationis nostræ positum esse. Jam exutus est ille prior animus, qui hactenus

piorum spem foverat. Nunc unum agitur, ut Romano Episcopo zelus, pietas et opera etiam Regis probetur. Et mirum! quod χθὲς καὶ πρώην ex infirmitate humana, prætextu boni publici fieri dicebatur, et excusabatur, nunc ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς, et prorsus ἐνδιαθέτως fieri palam est. Quid dicemus? quin tacebimus potius, et Deum supplici venerabimur prece, per Jesum Christum τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, ut Spiritu Sancto suo nos omnes atque imprimis illum οὗ μέγιστόν ἐστι κράτος regat æternum. Amen.

VI. *Non. Mai.* Mane fere amicorum officia surripuerunt. Nos quidem domo non exivimus, nullius rei æque avidi, atque τῆς ἐξουσίας τοῦ ἐπανέρχεσθαι πρὸς τὰ ἡμέτερα. Hæc scribebamus cum advenerunt amplissimus Thuanus, et clarissimus Pythœus. A prandio illi ad Regem, ego ad amicos. Ita periit dies hic totus.

V. *Non. Mai.* Summo mane a Rege evocati sumus in Regis consilium, ubi Rex libellum supplicem D. Plessiaci ostendit qui fuit ultimus ab illo oblatus in hac caussa. Rex vocato Episcopo Ebroicensi, cujus præcipuæ erant in hoc negotio partes, constituit Plessiaco significandum esse se non posse quod rogabatur, ipsi concedere. Deinde vocatur Plessiacus, et id ipsi a Cancellario renuntiatur. Negare ille se conditiones accepturum, quas iniquas adeo judicaret: et erant sane iniquæ, nisi ipse hostem lacessisset, et ad pugnam provocasset. Rex, audito quod responderat, qui

affuturum se negaverat, pergere nihilo secius statuit. Jubemur itaque hora tertia adesse, qui eapropter huc sumus vocati: ego nominatim. Paullo post rejicimur in crastinum mane. Hic mihi incredibili sollicitudine animus exæstuat, anceps quid facere debeat, ut neque Deum offendat, nec sine gravi caussa regi parere noluisse possimus videri. Quid enim? Ego igitur sedebo inter eos qui librum damnare parant, quo pia et sancta doctrina contineatur? Adde quod Parisiensis Ecclesia Molinæum ad me ad id unum misit, ut ne vellem eo venire, sed quosvis cruciatus potius paterer. Quid igitur faciam? Domine Deus libera me hoc æstu. Nam amici fere omnes vetant huic interdicto parere: neque enim hic agi *προηγουμένως* de doctrina, sed de libro Plessiaci: adversus illam nihil quicquam audendum; de hoc liberum esse cujusque judicium, nihilque pernitiosius esse posse, quam si hæc duo misceantur, quasi lædi is liber non queat, quin et pietas nostra damnum accipiat: hanc omnium mentem esse debere: meam vero caussam præcipuam esse: qui ministri Regis sumus, in eam rem acciti, ut illi non parere jussi non possimus, quin justam ejus indignationem referamus. Per has molestissimas curas dies est transactus. O æterne Deus, æstum hunc animi mei explica.

IV. *Non. Mai.* Summo mane in hortum concessimus, et ibi Deum Opt. Max. supplici prece venerati sumus, ut priusquam aliquid prudentes aut

imprudentes faciamus contra pii viri officium de numero viventium nos tollat, et cælo recipiat. Quod ut facias, Opt. Max. Deus, iterum iterumque supplex te oro atque obsecro. A te habemus hoc qualecunque nomen; tibi uni me et studia mea consecrari debere agnoscimus. In hoc consiliorum bivio deprehensi hæremus. Aperi nobis, O Deus, quid sit opus facto. Da constantiam ut, quod pie fuerit decrètum, sancte et constanter exequamur. Exaudi, æterne Deus, supplices preces meas. Amen. Hæc ubi scripsimus, vocamur a Rege. Venimus, et totum mane cum ipso transigimus in ambulacro quodam tecto. Aderant Cancellarius, Præses Thuanus, Pythœus, et e consistorianis aliquot alii. Mox etiam advenit Præses Canaius a Fraxinis. Ibi narrat Rex, quomodo Plessiacus mutata sententia, proditurum se in certamen cum Ebroicensi Episcopo promisisset. Acciderat pridie sub vesperam, ut consilio quorundam usus mutaret sententiam hac conditione, ut Ebroicensis Episcopus sibi locos controversos e quingentis, quos jactabat sibi esse ad manum, statim communicaret, et libros simul utendos concederet, quos ex urbe advehendos curaverat. Episcopus sub noctis meridiem mittit ad Plessiacum annotatos in sceda locos sexaginta duos de quibus esset tractaturus et cum ipso disceptaturus; simul libros mittit, quos tamen post quatuor aut ad summam quinque horas repetit. Hora collationis inchoandæ fuerat dicta octava

matutina, quæ caussa fuit cur Rex nos vocaret. Dum hæc nobis exponuntur a Rege, dum adhuc audiuntur Plessiacus et Ebroicensis, dum deliberatur de loco et modo futuræ collationis, hora adest decima: quæ Regem admonet, ut in pomeridianum tempus differatur hoc negotium. Ita ille abit ad Missarum solemnia; Cancellarius cum cæteris de loco adhuc deliberat, et cum placitum esset, ut in aula quæ dicitur concilii conventus haberetur, ipse pro sua prudentia et sedulitate parari aulam jubet, et omnia quam commodissime componi. Locus est non nimis amplus, ut vix ducentos capere queat. Tres ibi mensæ collocatæ. Media fere aula pro foco prima est posita, ad quam Rex sederet in summo, ad latera Episcopus, et Plessiaci Dominus, ille ad ignem, quæ pars honestior censetur; hic ab altero latere. Supra hanc mensam secunda fuit ad parietem, ad quam sederent, quibus judicium hujus controversiæ Rex permiserat Cancellarius, Præses Thuanus, Præses Canaius a Fraxinis, Pythœus, Martinus medicus et nos cum his. Tertia supra hanc mensam scribis parata. Ad Regis dextram in cathedris sedebant Principes, opinor, octo qui tum forte in aula reperti. Horum sedilia ordine posita sunt circa mensam pone Plessiaci Dominum. Primus sedebat Dux de Majene, deinde alii Lotaringicæ domus Proceres. Pone istos erant Regis consiliarii, et qui vocantur Officiers de la couronne, Ronius in his, Messæus, secretarii

Regis ambo, Villeroi, et De Fresnes, Præses Janinus, alii multi. Pone Regem sedebant Archiepiscopus Lugdunensis, Episcopus Nivernensis, Episcopus Bellovacensis, Episcopus de Castres, et Abbates a tergo horum itemque alii *ἀπὸ τοῦ κλήρου* non pauci. Omitto alios quibus opplebatur aula, quos fama obscura recondit. Ubi convenere, ante omnes Rex loquitur, et de suo in hac re consilio pauca præfatus cætera Cancellarium suum jubet proloqui. Pauca tum Cancellarius, quorum *τὸ κεφάλαιον* est: Regem, cum intellexisset editum a Plessiaco librum falsorum multorum argui ab Episcopo Ebroicensi, optasse vero an falso id jactaretur; putare enim et sua et omnium Christianorum multum interesse ut de eo constaret. Accessisse huic Regis desiderio provocationem a Plessiaco factam, cujus erant duo capita; priore vocabantur in certamen quicunque falsi librum editum arguerent, et nominatim Episcopus Ebroicensis: posteriore obnixe Rex orabatur, ut eruditos probosque viros nominaret, quibus hoc negotium committeret. Nunc igitur ea fine conventum hunc haberi auctore atque adeo præsente Rege, ut de contentione inter hos duos pacate et æquis animis dijudicaretur. Tum ad ipsos agonistas conversus, ut sine clamoribus sineque jurgio intèr se contenderent, paucis est hortatus; addidit postremo non hanc esse publicam contentionem pontificiorum cum reformatis, sed privatam Plessiaci Domini cum

Episcopo Ebroicensi: non esse hanc Regis mentem ut de religionis capitibus hic tractaretur, quod neque expediret nunc fieri, nec posset etiam inconsulto Romano Pontifice. Post Cancellarium surgit Episcopus, et paucis Regis animum hunc ac desiderium cognoscendæ veritatis laudat: præfert exempla ex veteri recentioreque historia aliquot Regum, quibus simile studium inquirendi veri gloriam magnam peperit; non tamen hic agi de dogmatis pietatis, quorum judicium sine piaculo Rex sibi vindicare non posset. Hujus orationem excipit Plessiaci Dominus. Se cum librum illum scriberet, nihil spectasse aliud, nisi Dei gloriam et communem omnium utilitatem: magna quidem se fide et diligentia esse usum: nec tamen nescire hominem se esse natum: facileque credere in longo adeo opere somnum sibi alicubi irrepsisse, quæ benigna Regis et omnium interpretatione opus haberent: cæterum quicquid eventurum esset de hoc certamine, prius se palam διαμαρτύρεσθαι nihil suam ἧτταν, siquid forte eveniret hujusmodi, publicæ reformatarum ecclesiarum caussæ nocituram. Hæc ille paucis ornate, modeste, et submissa admodum voce. Post ista certamen aggreditur Episcopus. Profert primo loco e libro Plessiaci testimonium Scoti, quo ille usus est lib. quarto, cap. 9. in hæc verba, *Jean Duns dit l'Escot pres de* 100 *ans apres le concile de Latran ose bien remettre en quæstion, Si le corps de Christ est reellement contenu sous les especes:*

et dispute que non. Et ses fondemens sont, Que la quantite ne le peut souffrir : aussi peu la localite et circonscription attachees a la nature d'un vrai corps, tel que celui du Seigneur. Que comme une chose temporelle ne peut estre ensemble en divers tems ; aussi peu une chose locale ensemble en divers lieux. Partant que l'opinion qui tient que le pain et le vin demeurent en leur substance lui semble plus soustenable et non moins venerable. Neant moins qu'il sentit a ce que l'eglise en ordonna au concile de Latran : par ce qu'il est dit, Que la foi de St. Pierre ne defaudra point. Encor, dit il, que les paroles de l'escriture se pourroit sauver par une interpretation plus facile et en apparence plus vraie. Ubi hæc de libro Plessiaci recitavit Episcopus, Ego, inquit, falsum aio, Scotum istud unquam scripsisse. Mos est, ait, omnium Scholasticorum etiam certissima quæque problematice tractare, non quod de illis parum ipsis liqueret, sed quia adversariorum argumenta expediat fide bona proponi, et statim solvi, quod et semper fit ab illis. Ita videas quæri a Thoma, a Durando, a Scoto multa, de quibus vel levissime dubitasse ingens sit nefas, puta, an sit Deus, an humana Deus curet, et id genus. Magnum vero, ait, crimen admiserit, qui proposita ad solvendum argumenta pro sententia ipsa auctoris habuerit. Id factum a Mornaio isto lòco Episcopus contendebat. Scotum enim, quod ex illo recitaverat Mornaius, paullo mox aperte refutare et refellere, ut ab hæretico profectum, nedum quod ipse pro-

baret. Respondet Plessiacus, Duns Scotum sic superiora argumenta sub alterius persona proponere, ut non obscurum sit, ipsum, nisi obstaret Lateranense concilium, non aliter sensurum. Ad hæc Episcopus, Duæ, inquit, eo loci quæstiones a Scoto tractantur; altera est de veritate corporis Christi in mysterio eucharistiæ: altera est de modo illius præsentiæ: hæ quæstiones et proponuntur separatim et solvuntur. Tu, quod de posteriore scripsit Scotus, ad priorem perperam retulisti. Nego enim Scotum de veritate corporis Christi ea scripsisse; quam ille credidit probavitque inibi non auctoritate alicujus Concilii, sed Matthæi Evangelistæ, et locis aliquot Augustini. At de modo quo adest ei mysterio Christus, scribit Scotus, videri sibi potuisse veræ sententiæ etiam aliter consuli: in eo tamen acquiescere quod a concilio esset decretum. Nihil hæc responsio ad quæstionem priorem de veritate corporis Christi de qua nec dubitavit Scotus, nec potuit dubitanter loqui. Quare falso id scriptum a Plessiaco. His dictis disputatum ultro citroque est de mente Scoti: donec jussi sunt ambo a Rege hic accusationis, ille excusationis suæ summam paucis verbis comprehensa dictare. Præsto erant scribæ quatuor, duo Pontificii, duo reformati ex eorum numero qui Regi sunt a secretis. Sed cum a contendentibus longius abessent, neque vox Mornai ab iis posset audiri, propius ad ipsos accesserunt, et quia erat locus angustior quam ut quatuor caperet, tres

fuere solum qui verba ipsorum exciperent; duo Pontificii de quibus dictum: a nostris solus fuit Josias Mercerus magni Merceri doctissimus filius. His primo criminationem suam dictavit Episcopus, deinde Mornaius suam responsionem. Hanc quoque refellit Ebroicensis; Mornaius item suam sententiam iterum tuetur. Dum hæc disputantur, dictantur, scribuntur, integra prope hora labitur. Demum orat Regem Episcopus, jubeat quibus hoc fuerat commissum negotium, pronuntiare quid sibi videatur. Cancellarius sententiis omnium expositis, Amplius deliberandum pronuntiat, nondum enim nobis liquere. De loco Durandi qui superiori Scoti est conjunctus an aliquid fuerit pronuntiatum haud temere dixerim, nisi Actis inspectis. Sicut neque de ordine tractatorum locorum constat nobis. In his fuit locus quidam Chrysostomi libro Plessiaci 3. cap. 13. citatus contra sanctorum invocationem.

Paginæ fere duæ in MS. albæ hic sunt relictæ. In affixa chartula reperiuntur hominum qui aderant nomina, locique de quibus agebatur.

1. M. de Vaudemo Valdemontis Comes. 2. Emanuel Philippus Lotaringus Dux Mercurii. 3. Le Prince Jonvillæ. 4. Carolus Lotaringus Meduanæ Dux. 5. Le Duc d'Esguillon. 6. Carolus Lusitanus Ellebovii dux, d'Elbeuf. 7. C. Sabaudus Nemorosi Dux. 8. Gonzaga dux Nivernensium quæ est Noviodunum Æduorum. 9. Officiers de la cour. 1. Carolus Gasseus Buysaci comes. 2. Carolus Monmoronius tribunus Equitum. 3. Ronius Couronetorum Præses. 4. Rogerus de Bellegardi.

Actum est de locis

1. Scoti.	1. Scotus. 869.
2. Durandi.	2. Durand. 870.
3. Chrysostomi.	3. Chrysostom. 1. ὁμ. α Thess. 1. ιγ. p. 587.
4. { Criniti. Cyrilli.	4. Chrysostom. 5. ὁμ. Serm. 5 Matth. 574.
5. Bernardi.	5. Hieronym. in Ezechiel. 583.
	6. Cyrilli Alexandr. contra Julian. lib. 6. 223.
	7. Petrus Crinitus. lib. 9. c. 7. γ. 223.
	8. Theodoret. in Psalm. 113. p. 218.
	9. S. Bernard. Ep. 174. p. 609.

III. *Non. Mai.* Eramus inibi ut ad inchoatam collationem veniremus imminente hora octava. Ecce ad nos Sadeelem et Mercerum qui Plessiaci Dominum gravi morbo laborare narrant. Adimus ad Regem nihilominus et quid facto sit opus illum consulimus. Princeps cum de morbo Plessiaci factus esset certior, expectare nos jussit si forte post prandium melius se haberet Mornaius, et certamen instaurare posset. Expectamus igitur jussi: frustra. Invaluit enim illius valetudo, nedum minuit. Sub vesperam iterum ad Regem, veniam redeundi postulantes. Negavit ille se prius abeundi potestatem facturum quam constaret planius propter Mornaii morbum necessario interrumpendam esse institutam pridie collationem. Expectaremus igitur, et sequenti die ad se rediremus bene mane. Ita dies hic est actus.

Prid. Non. Mai. Ad Regem omnes summo mane adiimus. Ille ad Mornaium miserat jam, qui certa omnia de valetudine ipsius referrent. Relatum erat nihilo melius eum valere, et omnino spem nullam esse redintegrandi certaminis neque

hoc loco neque hoc tempore, quo audito redire in urbem permisit Rex omnibus. Rediimus igitur. Atque hæc scribebamus reversi inde, magnas quidem Deo Opt. Max. gratias agentes quod fecisset nos et reverti illo ex loco sanos ac salvos: quodque dedisset nobis gratiam apud Regem invenire, qui de sua erga nos benevolentia jussit nos esse securos; sed mœsti nihilominus atque ex animo dolentes gementesque quod tam infeliciter hoc negotium amico viro et pio cessisset. Hoc vero quis non miretur, virum optimum in defensione pietatis jure merito a piis probisque hominibus potuisse damnari? Stupeo, cum cogito. Sed quia *οὐκ ἀθεεὶ ἐγένετο ὁπεροῦν ἐγένετο*, tacebo, æterne Deus, et supplex tuum nomen obsecrabo, des mihi, des omnibus meis humilia de nobis sentire et *ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθαι ὡς οἷόντε γνησιώτατα.* Amen.

In hoc itinere aureos circiter sex impendimus.

Non. Mai. Dies sacer erat Domino, nec tamen proficisci ad sacram synaxin potuimus. Deus ignosce et vias nostras dirige. Amen.

VIII. *Eid. Mai.* Mane ad Ronium frustra profecti nihil inde nisi desiderium temporis amissi retulimus. O Deus, da his ærumnis finem, et ut serio incumbere in studia pietatis possimus da nobis, per Jesum Christum Filium tuum supplices te oramus et Spiritum Sanctum tuum. Amen. Nunc id agendum nobis, ut confectis cum Ronio negotiis statim, aut itineri nos accingamus, aut missis

literis uxorem jubeamus venire. Quod, O Pater misericordiarum, concede nobis benignus. Speramus in te non prius exactam iri hanc hebdomadam quam omnia fuerint cum Ronio confecta. Binas hodie ad uxorem scripsi, quieturus per hanc curam tota hebdomade donec negotia perfecero, quæ da, Deus, expedire.

VII. *Eid. Mai.* Mane totum et a prandio qua amicis, qua studiis deditum. At negotia nostra plane in longum ducuntur tempus. Quid faciam? Quid autem? nisi ut Deo me, meos meaque committam omnia? At tu respice me, Pater.

VI. *Eid. Mai.* O Deus, quamdiu alienus ero a studiis? Da aliter vivere. Hodie Μελέτας Libanii perlegere institui σὺν Θεῷ, quem supplex oro, me meæ conjungat et meis.

V. *Eid. Mai.* In Libanio hodie multi et assidui fuimus. Deo gratia et honos εἰς αἰῶνα, quem supplex veneror, det mihi crastino die exitum videre negotii quod me tamdiu occupatum tenet. Γένοιτο.

IV. *Eid. Mai.* Totum mane quantum per amicos licuit Libanio dedimus, scriptori haud sane pœnitendo. A prandio Ronium adiimus et 300 aureos ab eo accepimus ad viaticum τῆς τριποθήτου conjugis et familiæ totius. Itaque quando res gesta est, non verba solum, κεκρίκαμεν σήμερον, γονυπετήσαντες οὐχ ἅπαξ. Tu, Deus Opt. Max., consilium hoc de migratione fortuna: te unum sequi est animus. Da noscere voluntatem tuam. Amen. Graves hodie cum Episcopo Ebroicensi de pietate

sermones habuimus. Sed tu, O Deus, Spiritu tuo Sancto rege, illustra, dirige tenebricosum animum meum. Amen. Amen.

III. *Eid. Mai.* Diei magnam partem literis scribendis impendimus. Uxorem enim hodie demum vocavimus, et huc venire jussimus. Equidem, æterne et immortalis Deus, periculum quantum hic sit, non sum nescius. Aut animo enim aut corpori noxa præsto est, si præsentem rerum statum intuemur. Sed me tui nominis præsidio fretum terret nihil. Persuasus sum te volente et sanciente evenisse, ut nos huc vocaremur. Scis certe, Deus καρδιογνῶστα, quam non optaverim, non quæsiverim, nedum ambierim regiam hanc conditionem. Tu voluisti, Deus æterne, tu fecisti. Tibi me, meam, et meos meaque omnia supplex committo ac permitto. Veniet igitur, te quidem propitio, mi Deus, veniet exoptata adeo conjux charissima. Hanc tu, obsecro te quæsoque, in hoc itinere cum pignoribus meis serva, rege, ac dirige per Jesum Christum Filium tuum τὸν μονογενῆ, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnatque sine principio, sine fine. Mensem huic expectationi tribuam æquo animo; quod supra mensem fuerit, ægre feremus; si quidem divinum adfuerit auxilium, et omnis vis mali afuerit. His literis scriptis ad Præsides amplissimos Thuanum et Canaium venimus. Ita dies traductus, nec dies solum, sed nox etiam. Nam ab ædibus Thuani ad suas abduxit me Canaius ut secum

cubarem. O delicias! O voluptatem! O viri virtutem et pietatem! Sed tu, Deus, consilia dirige.

Prid. Eid. Mai. Cum Præside Canaio ad sacram synaxin sumus profecti, tuo, Deus Opt. Max., beneficio, tibi honos et gloria. Amen.

Eid. Mai. A precibus et hebdomadem et diem auspicati e Libanio quædam excerpsimus. Sed animus curis multifariam distrahebatur. Nam hac hebdomade necessario hæc sunt agenda σὺν γε τῷ Θεῷ. 1. Providendum ut diploma necessarium ad pensionem nostram nactis, de 400 in reliquum annum aureis certa spes nobis aut res potius exhibeatur. 2. Amici visendi quos necdum vidimus.

XVII. *Kal. Jun.* Mane studia, a prandio nugæ primo, deinde iterum studia. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Jun.* Constitueram diem totum studiis impendere sedulo et naviter. Constitueram: sed Deo aliter visum. Nocturna enim febri correpti totum mane in lecto egimus, capite, stomacho dolentes cum magno omnium membrorum languore. Ibi tum accepimus ab uxore literas, ἑώλους illas quidem, sed gratissimas nihilominus ob mirificum erga nos studium, cujus illæ mihi testes. Mox e stratis surreximus, hæc scripsimus, atque ad conjugem literas. Dein lectum coacti repetere Deo Opt. Max. nos, nostram, nostros et omnia nostra commisimus, id unum ægre ferentes si per valetudinem non liceret nobis sacras synaxes proximis diebus adire. Quod tu, Pater, da nobis posse.

XV. *Kal. Jun.* Mane sumsimus casiæ δόσιν ad purgationem corporis. Tu, Deus, da mentem sanam in corpore sano. Sed illam potissimum mihi munda, O æterne Parens, et ab omni labe puram redde mihi, uxori charissimæ, et omnibus meis. Amen.

XIV. *Kal. Jun.* Laudetur nomen Domini Dei mei τοῦ πανελεήμονος in secula seculorum. Amen. Hodie satis mane surreximus, spei pleni febrim, quæ metuebatur, non superventuram, et studia nostra diutius non iri interrupta. Illud satis grave, mi Deus, quod pietatis officio cum cæteris hujus ecclesiæ viris piis hodie non fungemur. Est enim indictum extra ordinem jejunium. Caussam novit Deus, cui utinam visum fuisset illuc eundi facultatem mihi concedere. Nunc cum domi manere cogimur, quod solum possumus, votis pio cœtui intererimus, et supplicibus precibus nostris publicas ecclesiæ preces adjuvabimus. Da, ter sancte Deus, pio animo jejunium celebrare, pœnitentiam agere seriam, ad teque convertere. Da sic postea nos gerere, sic gloriam nominis tui procurare, sic publicæ paci consulere, ut pietatis et probitatis confessionem omnibus extorqueamus. Da postremo, æterne atque immortalis Deus, sic vitam instituere, ut hostibus reformationis omnis auferatur nocendi nobis caussa, occasio, et facultas. Hoc te publice oramus, Pater ἐπουράνιε: privatim id a te pio devotoque animo petimus ut serves nos ab improbis

consiliis; tollas nos de numero viventium prius quam aliquid a nobis proficiscatur, quod pietatem erga te lædat, aut aliquem τῶν πλησίον jure offendat. Matrem quoque meam serva, O salutis dator et largitor. Salva etiam uxorem, ubi illa cunque nunc sit, mi Deus, et valetudinem ei bonam præsta, necnon liberis omnibus, quos dedisti nobis; quosque in eam spem educamus, fore ut aliquando gloriæ tui nominis inserviant. Sorores etiam et πάντας τοὺς ἐν γένει suppliciter pro eo ac debeo, tibi commendo. O ades benignus et propitius, et votis meis annue. Amen. Amen. Iterum, iterumque supplex tuum adoro Numen, teque obsecro per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo æternum regnat, regnabit. Amen.

Amico egeno 3 test. dedi, daturus plura si potuissem.

XIII. *Kal. Jun.* Mane pæne totum valetudinis curæ dedimus: pomeridianum tempus negotiis. Ita jacent studia, quæ tu, mi Deus, erige, et me, si placet, his curis de uxore et liberis eripe. Exaudi, Deus immortalis. Amen.

XII. *Kal. Jun.* Mane totum totumque a meridie tempus infelix amisi: quatuor ipsas horas μαψιλάκας ἀνὴρ patientia nostra abusus est. Deus immortalis, quæ hæc mea tanta infelicitas?

XI. *Kal. Jun.* Magno hodie beneficio affectus a te, Deus æterne, ago tibi supplex gratias quantas possum maximas. Quam multi sunt, Deus Opt. Max., quibus, cupidis licet, non datum hodie est

posse celebrare memoriam passionis Jesu Christi Filii tui unigeniti benedicti in secula seculorum. Amen. Mihi tu hoc dedisti, sancte Deus. Hodie enim in proximo pago Pentecosten celebravimus, et ex concursu ingentis turbæ gaudium ingens percepimus. Navi ivimus nullo nostro incommodo, sumtu pene nullo: rediimus cum Suffrido Calignone Navariæ Cancellario pietate, probitate et eruditione præstanti viro. O bene positum tempus, quod cum tanto viro fuerit actum. Te supplex oro, Domine Deus, des mihi et *συζῆν* talibus viris, et eorum zelum ac piam prudentiam posse imitari. *Ναὶ Κύριε, δέομαί σου πνευματικὴν ἡμῖν τηνδὲ συγχώρησον χάριν.*

X. *Kal. Jun.* Per summos cruciatus hic dies est actus, cum de uxore et liberis nihil intelligam. Nam ex iis quas heri accepi ab amicissimo Sarraceno vapide uxorem habere cognovi: ex illo tempore nihil intelligo. Sunt autem literæ veteres ante viginti duos dies scriptæ. Quamobrem eo feror conjectura, ut caussam silentii hujus tam diuturni putem esse morbum uxoris. Crucior igitur animi, et te in auxilium appello, mi Deus, mi Pater. Tu solus liberare hoc mœrore me potes, te solum appello; te solo sum fretus. O Pater, serva illam mihi, et da posse una tuum Numen revereri, tibique toto animo servire. Iterum, iterumque, Deus mi, serva charissimam uxorem, et pignora nostra simul per Jesum Christum

Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit regnatque æternum. Amen.

IX. *Kal. Jun.* Mane totum studiis daturi fuimus, si per amicos licuisset. Illi partem eripuerunt temporis, partem reliquerunt, sed studio adjectum est officium. Amico enim viro Friderico Lindenbrug decem aureos mutuo dedimus. Reliquum tempus aut literis impensum, aut suspiritibus propter incertitudinem de statu uxoris et liberorum. En erit, Deus æterne, cum tu me hac cura liberabis? Erit, spero, et dabis mihi brevi caussam τοῦ εὐχαριστεῖν σοι. Γένοιτο, γένοιτο, ὦ Πάτερ.

10 escus prestes a M. Lindenbrug.

IX. *Kal. Jun.* Et hic dies per suspiritus est actus. Quid enim? mensem integrum silere uxorem? ἀδικεῖς, ὦ φιλτάτη. Atque utinam ita sit. Nam equidem aliud suspicor, et valetudini tuæ metuo. Dominus Deus ὁ παντοκράτωρ te servet, meum delicium, nos brevi conjungat, et ad gloriam sui nominis sacrosancti dirigat. In Gregorio Nazianzeno hodie plusculas horas posuimus. Inter cætera legebamus epitaphium λόγον Cæsario fratri scriptum. Erat Cæsarius medicus, vir doctissimus et maxima in fama. Temporibus Juliani tentata est ejus in fide constantia miris Imperatoris impii artibus. Servavit eum Deus. Quo nomine miris laudibus a fratre affectus est. Locus ille insignis, et dignus quem pietatis amantes viri habeant hisce præsertim temporibus ante oculos.

Ait de Juliano ἐλύσσα καθ' ἡμῶν βασιλεὺς ὁ δυσώνυμος, καὶ καθ' ἑαυτοῦ πρῶτον μανεὶς ἐκ τῆς εἰς Χριστὸν ἀθετήσεως ἀφόρητος ἤδη καὶ τοῖς ἄλλοις ἦν: οὐδ' ἐν ἴσῳ τοῖς ἄλλοις Χριστομάχοις μεγαλοψύχως ἀπογραφόμενος, ἀλλὰ κλέπτων τὸν διωγμὸν ἐν ἐπιεικείας πλάσματι, καὶ κατὰ τὸν σκολιὸν ὄφιν, ὃς τὴν ἐκείνου κάτεσχε ψυχὴν παντοίαις μηχάναις ὑποσπῶν τοὺς ἀθλίους εἰς τὸ ἑαυτοῦ βάραθρον. Mox, Hoc, inquit, commentus est πειθοῦς ὄνομα προσεῖναι τῷ γινομένῳ, μὴ τυραννίδος· ὡς ἂν μεῖζον ᾖ τοῦ κινδύνου τὸ τῆς αἰσχύνης αὐθαιρέτως χωροῦσι πρὸς τὴν ἀσέβειαν, καὶ τοὺς μὲν χρήμασι, τοὺς δὲ ἀξιώμασι, τοὺς δὲ ὑποσχέσεσι, τοὺς δὲ παντοίαις τιμαῖς ἐφελκόμενος. Lege cætera: est enim pars illa ejus orationis præclara. Imo vero tota oratio plane divina et quam sine fructu pii homines non legant.

VIII. *Kal. Jun.* Mane totum male perditum apud Ronium. Atque hoc primum die cepi præfectos Regiæ pecuniæ experiri, non quales hactenus sese mihi ostenderant, sed quales re vera sunt. Itaque consilio recto opus nobis: quod non aliunde quam a te, Deus æterne, sumere est animus. Tu illud, obsecro te supplex, rectum da nobis: et simul uxorem et liberos nobis serva ὦ τρισαγία τριάς. Amen.

VII. *Kal. Jun.* Mane σὺν γε τῷ Θεῷ pene totum studiis: sed nobis et molestiæ fuit et damno amici cujusdam περιεργία, qui famulum usque inde e Turonum finibus arcessivit nobis, re haud communicata, plane inutilem. Dolui honestum juvenem tot dierum iter confecisse, ut ἄψ ἀπονοστήσῃ

κενεός. Sed quid agerem? Inhabilis plane ad hoc ministerium fuit. Deinde nos Petrum Chabanæum in dies, imo jam in horas expectamus; si modo adhuc stant res nostræ, neque et uxor, quod Deus omen avertat, et quicquid meum est, abierit. Nam quid hoc? Mensem jam ipsum nihil ad nos literarum uxorem dedisse? O dolor, O vexatio animi! Libera me, Deus, his ærumnis. Amen.

Dedi huic 2 testons.

VI. *Kal. Jun.* Mane ad Præsidem Canaium officii caussa profecti partem magnam temporis perdidimus. Atque utinam hoc solum incommodum esset consecutum. Αὐτὰρ τὸ βουλόμενον καὶ τὸ βουλευόμενον ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς οἶσθα, ὦ Θεός· δοίης δὴ αὐτῷ βούλησίν τε ὀρθὴν καὶ βουλήν. Ἀμήν. Huic sollicitudini adjuncta est molestissima de uxore et liberis cura. Eunt dies, literæ veniunt nullæ. Quid dicemus? Uxorem nostri esse oblitam? μὴ γένοιτο, Χριστὲ ἀλεξίκακε. Novi ipsius erga me animum sincerum et pium. An illa parum valet? Fieri potest: licet ex quorundam sermonibus valere ipsam intelligam. An ita est potius? uxorem, cum immineret festum Pentecostes, Geneva ante celebrationem cœnæ sacrosanctæ discedere noluisse?

Exitus docuit ita esse. Itaque Θεῷ χάρις.

Si ita, laudo consilium, etsi mihi nunc incommodissimum plurimis de caussis, maxime autem propter animi anxietatem quæ miris modis cru-

ciat me, cum cogito divisam misere familiam; et aliquorum caussa jure merito angor animi, maxime propter istum infelicissimum librum nostrum, qui tot jam menses sub prelo, et non solum non absolvitur, sed ne spem quidem satis certam habet, ut nunc res sunt. O conatus meos infelices et tardos. Spero tamen in te, Deus æterne *καὶ ἀπειροδύναμε.* Tu medicinam facies meis malis, et dabis lætum exitum earum rerum quæ nunc equidem, quo loco sint, non scio. Ades, O Deus, oro supplex per Jesum Christum Dominum nostrum *ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ ἀνάρχῳ Πατρὶ, καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.* His scriptis ad lectionem Gregorii sum reversus. Legi aliquot ejus epistolas in quibus certat cum pietate elegantia. Utinam sit nobis utilis ejus magni scriptoris lectio. Nunc quidem voluptatem quandam mirabilem ex ea re percipiebamus. Eximie placent nobis Epistolæ quas ad Euagrium scribit. Erat Euagrius vir doctus, magnus, sed gravi morbo oppressus, et, ut videtur, extra spem recuperandæ sanitatis. Omnibus Epistolis eum qua consolatur, qua laudat Gregorius, *καρτερίαν* ejus deprædicans. Sed non possum quin describam unam ex illis epistolis, Deum orans ut animum meum hoc genere meditationum et instituere ad recte vivendum et solari in his ærumnis meis gravissimis queam. Sic igitur Gregorius. *Μέμνημαι τῆς σῆς συνουσίας, ἣν ἀλλήλοις συνεγενόμεθα πρωὴν ἐν Ματάξῃ τῇ ἐμῇ (ἐμὰ*

γὰρ καλῶ καὶ ὑπολαμβάνω τὰ σὰ) καὶ τῆς φιλοσοφίας, ἣν τηνικαῦτα ἐφιλοσόφησας ἧς φρίττω καὶ νῦν μεμνημένος. Ἐγὼ μὲν ἐξηγούμην σοι τὸν οβ′ ψαλμὸν, σὺ γὰρ ἐκέλευες, καὶ ἀντιλέγειν οὐκ ἦν, ἐν ᾧ Δαβὶδ ἰλιγγιᾷ καὶ ἀσχάλλει πρὸς τοὺς κακῶς (f. κακοὺς) εὐθηνοῦντας, εἶτα πέμπων τοὺς λογισμοὺς πρὸς τὰ ἐκεῖθεν δικαιωτήρια καὶ τὴν ἀποκειμένην τοῖς βίοις ἀντίδοσιν, οὕτω τῆς ταραχῆς ἵσταται καὶ τὸ λυποῦν θεραπεύεται· καὶ ὡς οἷόν τε ἦν εἷλκον τὴν ἐξήγησιν πρὸς τὸ πάθος, ἐκ τῶν ἡμετέρων, ἐκ τῶν ἔξωθεν ταῦτα φιλοσοφῶν ὡς ἀνδρὶ πεπαιδευμένῳ καὶ τοσούτῳ διαλεγόμενος καὶ ἅμα τοῦ Πνεύματος οὕτω φέροντος καὶ τοῦ ἀλγεῖν παραθήγοντος· οὐδὲν γὰρ τοῦ πάσχειν εὑρετικώτερον, ἔτρεχέ πως ὁ λόγος· σὺ δὲ μεταξὺ τοῦ λόγου διαναστὰς ὥσπερ ἐξ ὕσπληγγος καὶ τὰς χεῖρας ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀνατείνας πρός γε ἀνατολὰς οἷον βλέπων· καὶ γὰρ τὸ βλέπειν εἶχες· εὐχαριστῶ σοι, Πάτερ, ἐβόας, ὦ ποιητὰ τῶν σῶν ἀνθρώπων καὶ ποιητὰ (suspecta hæc) ὅτι ἄκοντας ἡμᾶς εὖ ποιεῖς, καὶ τῷ ἐκτὸς καθαίρεις τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον, καὶ διὰ τῶν ἐναντίων διεξάγεις ἡμᾶς πρὸς τὸ μακάρων τέλος, οἷς αὐτὸς ἐπίστασαι λόγοις· καὶ τί ἂν λέγοιμι πάντα οἷς προεφιλοσόφεις ἡμῶν καὶ συνεφιλοσόφεις ὥσπερ τῇ νόσῳ χαίρων. Καὶ εἶχες μαθητὴν τὸν διδάσκαλον. Ἀλλὰ πρὸς τί τούτων ἐμνήσθην; ἐκεῖνο πᾶσι διὰ σοῦ βοῶν καὶ κηρύσσων, ὅτι θρητητέοι μᾶλλον ἡμῖν οἱ κακοὶ τῆς ἔνδον νόσου, ἤπερ ἐκείνοις ἡμεῖς τῆς ἐκτὸς ἂν οὕτως ἔχωμεν, καὶ ὅτι κρείττων εὐημερίας ἀχαλινώτου νόσος φιλόσοφος. Hæc ille vir sanctissimus: cujus et alias epistolas pii zeli plenissimas equidem mira cum voluptate lectito, atque illam inprimis ad Procopium qua ait parum sibi συλλόγους ἐπι-

σκόπων placere; neque adhuc ullius fructum aliquem vidisse, propter ipsorum φιλονεικίας et φιλαρχίας, proinde debere quemque piorum εἰς ἑαυτὸν συλλέγεσθαι, quod et sæpius apud ipsum legas. In his eram cum ab uxore literæ advenerunt, O Deus, quam gratæ, quam jucundæ. Tibi, mi Deus, tibi gratias εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen. Porro acceptis ab uxore literis, dubitavi diu irem necne Lugdunum ad librum perficiendum. Et jam videbar equum conscensurus, cum, mutata sententia, Dei utique ope implorata, constitui uxoris adventum hic præstolari, et nonnisi ex communi sententia tantum iter instituere. Nos quidem illuc vocat liber noster, et negotia quædam non parvæ rei. Sed terrent ab eo instituto multa, difficultas itineris propter anni tempus et vehemens καῦμα, difficultas operis perficiendi ea in urbe ob angustias necessarii hospitii, etc. Expectabimus igitur uxorem, quam det nobis Deus quam primum videre. Amen.

v. *Kal. Jun.* Mane quod dies erat Domino sacer, erat animus ad sacram synaxin proficisci: sed qua tempestas pluvia, qua negotia quædam satis molesta impediverunt, meque ἐπέδησαν κελεύθου. Paucas tamen horas meditationibus pietatis impendimus, et sermonem cum amicis habuimus viris religioni Romanæ deditissimis, quorum erat summa: Esse hoc clarum, manifestum, et certum hodie in Ecclesia Romana (sic illi narrabant de

suis) multa quidem vitia sed Venerem maxime dominari. Jam enim eo ventum, ut non solum probro desierit esse ἡ μοιχεία, sed etiam vitio sit palam et laudi. Hoc vident Episcopi et clerus totus, vident et ferunt. Quid ferunt? imo imitantur, imo suo exemplo aliis præeunt. Exempla proferebantur et multa et certa. Horret animus meminisse. Te appello, Deus sancte; medere Ecclesiæ tuæ malis, medere et meis, Pater clementissime, mihique, matri, uxori, et liberis sinceræ pietatis amorem infunde per Jesum Christum et Sanctum Spiritum tuum. Amen.

IV. *Kal. Jun.* Cepimus σὺν τῷ Θεῷ Spicilegium colligere in Athenæum. Da nobis, Deus æterne, ut paucis diebus ea cura liberati nunquam posthac de eo scriptore cogitemus: adeo nos illius tædet. Ecce vero instabilitatem conditionis meæ. Accepi enim ab uxore literas cætera quidem lætas Dei beneficio, sed eo molestas quod necessitatem nobis imponi videmus illuc eundi, nisi jacere volumus nostrum illum librum æternum. Ibimus igitur ἀγαθὴν ἐλπίδα προβαλλόμενοι, freti Dei misericordia. Cui ut nostræ reculæ sint curæ supplex oro per Jesum Christum Filium ipsius unicum, qui una cum Patre et Spiritu Sancto ab omni ævo et ante ævum, in omne ævum regnat regnabitque. Amen. Hac nocte aureos ducentos dedi mercatori cuidam Lugdunensi D. Gautier Fratri D. de Vieux. Ille quidem nullum chiro-

graphum dedit. Sed inter bonos bene agitur. Et spero cras daturum.

200 escus a Mons. Gautier. Incr. 50 despuis.

III. *Kal. Jun.* Quod secundet Deus Opt. Max. Lugdunum hodie iter instituimus. Sic erat necesse propter libri inchoati Editionem. Ades igitur, Pater sancte, et me ab omni periculo tutum præsta, *ναὶ, Κύριε, δέομαί σου πρὸς τοῦ Χριστοῦ τοῦ μονογενοῦς σοῦ υἱοῦ, ὃς σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι καὶ νῦν καὶ εἰσαεὶ βασιλεύει τε καὶ βασιλεύσει.* Hoc die sub discessum meum affini meo Henrico Stephano ducentos aureos servandos depositi loco dedi: et præterea sacculum ubi erant aurei 35 circiter: nam exacte numerum non scimus. Ille igitur hanc pecuniam mihi in reditum servabit. Ego autem ab ipso accepi ad iter aureos viginti ex auro, et totidem in argentea moneta. Fac, mi Deus, ut brevi redux cum uxore charissima et pecuniam illam recipiam, et cæteris præsidiis necessariis ad vitam tranquille agendam instructus te colam pura mente, tibique ego, uxor, et liberi serviamus rite, sancte, pie. Amen. Equis mutatoriis usi Essonam venimus, Gallice *chevaux de relais.*

200 escus a Mons. Estiene et un sac de 35 esc.

Prid. Kal. Jun. Essona profecti Milium venimus: ibi recentes equos sumsimus, et ad pagum pertendimus cui nomen Maison rouge. Ibi pransi venimus Montargis. Oppidum est satis elegans, sed parvum. Volunt dictum Montargis, quasi Mons Regis. Inest sane oppido collis non ina-

mœnus, ubi arx est priorum Regum, quæ nunc pertinet ad D. de Nemours. Atque hoc iter hactenus, etsi per continuum fere imbrem atque aliquando ῥαγδαῖον, satis tamen commode perfecimus. Tibi laus, honos, et gratia, Pater ἐπουράνιε, qui me custodisti μεχρὶ τοῦ νῦν tam benigne, tam clementer, tam paterne. Iterum, iterumque ago tibi gratias, Deus sancte, et Domino Jesu Christo qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat sine principio, sine fine.

Kal. Jun. Quod bene vertat Deus Opt. Max. primo hujus mensis die strenui fuimus in hoc itinere, nam equis quater mutatis viginti quatuor leucas confecimus magno sane labore; Deo gratia, quem oramus, ut quod superest fortunet.

IV. *Non. Jun.* Equis ter mutatis Molinum venimus Dei Opt. Max. beneficio.

III. *Non. Jun.* Equis quater mutatis Roanam venimus Dei Opt. Max. singulari beneficio.

Prid. Non. Jun. Lugdunum pervenimus superatis, benignitate supremi Numinis, omnibus itineris difficultatibus. Illi honos, gloria, et gratiæ magnæ εἰς αἰῶνας αἰώνων. Lugduni neque uxorem offendimus, neque amplissimum D. de Vicq qui una cum uxore rus secessit ad dies aliquot. Et illos igitur et uxorem quæ matrem meam invisit, Deus mi, serva, sospita, et reduc. Amen.

Non. Jun. Ad studia hodie redituri eramus si per amicos licuisset. Cras faciemus, faciente te, mi Deus.

VIII. *Eid. Jun.* Studuimus aliquid Deo faciente, sed non quantum optabamus. Da, Deus, id posse.

VII. *Eid. Jun.* Uxoris expectatio molestior in horas. Misi itaque illuc ad matrem et ipsam. Venit hodie D. Vicquius cum uxore et liberis. Ego, quod potui, studiis inter ista dedi. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Jun.* Studia ut potuimus. Da, Deus, meliora.

V. *Eid. Jun.* Et hunc diem inter otium et negotium divisimus. Nam amici dies prope integros nobis eripiunt. Molestum hoc. Molestiores literæ quas a vetere amico Pinaldo accepimus, queis ille et de nostra in vera religione constantia addubitare se indicat, et palam de injuria facta Plessiaci Domino conqueritur. Respondebimus optimo sed temerario viro. Teque, Rector mundi, Deus, da nobis veræ pietatis majorem in dies cognitionem: da vivere secundum legem tuam; da immori legi tuæ, et mundum posse calcare, nihil meditantem, nihil spirantem, nisi timorem nominis tui per Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat ἀπεριορίστως. Amen.

IV. *Eid. Jun.* Partem studuimus, partem amici eripuerunt, sed inter hos Brederodus fuit, cujus zelus et pietas mirabilis. Deus et illum et nos ad portam salutis perducat. Amen. Eidem supplex matrem, uxorem, liberos meque commendo.

III. *Eid. Jun.* Dies est Domino sacer. Domino igitur impendatur saltem ex parte. Respondi

hodie amicissimo viro Johanni Pinaldo qui nuperis literis suis duo mihi ingentia crimina impingebat, inconstantiam in re pietatis, et malam fidem in negotio Plessæi. Paucis ad utrumque caput respondi. Atque illi quidem meæ fortasse satisfacient literæ. Sed non mea multum refert, quid alii de nobis judicent, si conscientia nostra nos absolvat. Equidem, Deus æterne atque immortalis, siquid aut dixi, aut feci, cur homines de nobis rem adeo tetram suspicentur, appello supplex te, et toto pectoris affectu sanctum Numen tuum veneror, ut mihi peccatum hoc condones. Nosti tamen, Deus καρδιογνῶστα, intimos animi mei recessus, quo nunquam, beneficio tuo, pestis illa penetravit. Equidem fateor, quoties schisma hoc, quod ecclesiam tuam tot jam annos lacerat, ob oculos mihi pono, ingenti desiderio corripi me pacis et concordiæ. Sed nunquam tamen eo venimus amentiæ, ut pacem iniquam et irreligiosam vel præsenti rerum statui putaremus anteponendam. Neque tu, Deus mi, Deus mi, siris ut sententiam mutem unquam. Libera me, Pater, ab hoc ingenti periculo, in quo necessario mihi versandum propter assiduam ὁμιλίαν καὶ συνουσίαν certorum hominum, quorum jam consilia abominor; horreo exitum. Nam quid agitis, O amici? Id nimirum, ut patrocinium vestrum accedat ψευδωνύμῳ illi Ecclesiæ, quæ Christum Dominum et suum, si saperet demens, maritum quotidianis contumeliis afficit; suum illi jus tollit in domo

sua, beneficium mortis ipsius elevat; servatores præter ipsum alios quærit; viam salutis aliam quam per ipsius mortem novit et docet. Quo enim istæ indulgentiæ, quo ista benedicta grana, rosaria etc. nisi ut a spe in Christo alio transferamus nos et nostra vota? Tu mihi, Perroni, peccatorum meorum remissionem promittes, si granis tuis fuerim usus? tu centum annorum pœnam remittes (sic enim ais) si tibi fidem habuero? Et hoc non per Christi nomen polliceris mihi: sed per Romani Papæ et nomen et auctoritatem. Horreo ad tantam blasphemiam. Vix crederem in hac luce temporum rem adeo impiam, adeo ridiculam in cujusquam animum venire potuisse: nisi tuum, Perroni infelix, scriptum vidissem, tuam vocem audissem. Tu vicissim animi mei sensum audisti: horrorem meum, cum illa audirem, ipse vidisti. Nam quod aiebas cogi neminem ista credere quanto foret satius cogi neminem ista audire; quanto optabilius esse neminem, qui hæc loqui auderet? Omitto alia similia his, quæ narrantes audio quotidie istos qui Roma nunc veniunt. Omnino enim siquid intelligo, summa pietatis Romæ est pium videri, et ea facere, per quæ laudem pietatis tollas, utut de religione vera, deque fiducia in Christum collocanda, et custodiendo atque audiendo ejus verbo parum sis sollicitus. Erit, erit ille dies, O Domine, cum tu Ecclesiam tuam respicies, et medicinam illi facies? O beatos, qui

illa videbunt tempora. Interea da, Pater clementissime, pietatis verum sensum: da spem in misericordia tua et merito Christi collocare. Da constantiam adversus omnes cujuscunque generis tentationes. Da etiam, benignissime Pater, quod superest vitæ transigere inservientem gloriæ tui nominis cum uxore, cum liberis, lætante matre et sororibus, cognatis, et amicis omnibus. Iterum iterumque supplex te hæc oro per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum unicum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo *εἰς αἰῶνας αἰώνων* regnaturus est æternum. Amen.

Prid. Eid. Jun. Uxor hodie advenit læta et omnia de matre pia, de sorore, fratre, et eorum liberis, aliisque amicis meis nuncians; nisi quod Petrus Chabaneus morbo impeditus cum ipsa venire non potuit. Gratias tibi, Domine Deus, qui hoc beneficio novo me tibi devinxisti. O utinam vitæ quod superest, una degamus, pietatem ex animo colentes non inutiles gloriæ tuæ pro virili promovendæ. Da hoc nobis, sancte Parens, per Jesum Christum Dominum nostrum supplices te oramus, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat nullo principio, nullo fine. Amen.

Eid. Jun. O Domine, librum hodie aspexi nullum. Scripsi enim ad matrem et alios. Da meliora, Deus. Amen.

XVIII. *Kal. Jul.* Mane dimisimus, qui adduxerant uxorem: munuscula ad matrem misimus, sane supra facultatem, sed intra voluntatem.

Sanci, mi Deus, hæc rei familiaris damna. Tristia enim animus ominatur, nisi tua liberalis benignitas nos sublevarit. In te confidimus. Sed de rebus seculi non nimis, O Deus, sumus solliciti; modo *τὰ πνευματικὰ* digneris nobis *χαρίζεσθαι.* Firma, O Pater, fidem nostram, et da intelligere nostra bona, quod reformatæ ecclesiæ nos innutriri volueris. O bonum vere bonum! Nam quas fabulas hodie audiebam de istis ineptissimis sermocinatoribus? quid magis anile, quam quæ ipsi popello quotidie propinant? Sed de Minimis quæ modo narrabantur sine scelere referri non queunt. Eant igitur et suam ecclesiam emendent, tum nos habebunt suos.

XVII. *Kal. Jul.* Ut inter turbas non male positus hic dies. Gratias tibi, magne Deus.

XVI. *Kal. Jul.* Et hic dies non pessime positus. *Θεῷ χάρις.*

XV. *Kal. Jul.* Quod licuit studiis impensum est, sed non quibus liberet, si liceret. Da exitum, Pater, hujus molestissimi laboris.

XIV. *Kal. Jul.* Literis scribendis totum mane; amicorum colloquiis totum fere reliquum impendimus. O Deus, da meliora. Amen.

XIII. *Kal. Jul.* Inter serias et inanes curas partiti sumus hunc diem. Deo laus et gloria, siquid positum bene.

XII. *Kal. Jul.* Τὰ *ἐγκύκλια* quod potuimus. *Θεῷ χάρις.*

XI. *Kal. Jul.* Diem hunc amicissimus vir, amplissimus Calignon eripuit nobis magna ex parte:

pauca dedimus studiis, quibus tu, O Deus, benedice. Amen.

x. *Kal. Jul.* Cum otii plus paullo quam sim solitus hodie nactus essem, post impensas horas satis atque adeo nimis multas poliendo operi huic molestissimo ad sacrarum literarum lectionem lubentes nos transtulimus. Percurrimus inceptum proxime Jesaiam prophetam, divinum plane vatem, et facundissimum, quem non sine fructu da nobis legere, Pater æterne. Ut igitur constaret nobis ratio diei hujus sententiam hanc ex capite secundo hic adnotabamus, quo facilius etiam memoriæ atque imo cordi inscriberemus. Ait propheta Hebræus כִּי יוֹם לַיהוָה צְבָאוֹת עַל כָּל־גֵּאֶה וָרָם וְעַל כָּל־נִשָּׂא וְשָׁפֵל *Adveniet,* inquit, *dies Jehovæ super omnem excelsum et altum, et super omnem elatum, et humiliabitur.* Næ tu, Deus æterne, quem fecisti hominem probe nosti: proni sumus omnes ad inflandos attollendosque animos. Tua benignitas frequentibus monitis cogit nos in ordinem. Veneror supplex tuum Numen, veram ταπεινοφροσύνην me ac meos omnes doceas, eamque virtutem cum perfecta pietate nostris omnium indas animis. Amen.

ix. *Kal. Jul.* Dies hic periit misere nobis cum respondemus calumniis putidis, quas in nos congerunt malevoli homines, ob liberum de libro Plessæi judicium. Tres amici insurgunt in nos, Gigordus, Chalassus, Chamiel quorum literis acerbis et iniquis hodie respondimus. Ita dies actus.

O Domine, miserere mei, miserere meorum, miserere illorum atque in universum Ecclesiæ sanctæ tuæ. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Percurrebam per occasionem Gregorium Naz. Atque in ejus Apologetico hanc in usum meum sententiam sublegebam, *τὸ οἴεσθαι τοῦ εἶναι τὸ πλεῖστον ἀφαιρεῖται, καὶ μέγα τοῖς ἀνθρώποις ἡ κενοδοξία πρὸς ἀρετὴν ἐμπόδιον.*

οἴησις προκοπῶν ἐγκοπή.

VII. *Kal. Jul.* Mane literas Genevam. Utinam ipsi potius Genevæ has horas pietati impendissemus. Sed nobis non licet esse tam beatis. A prandio ambulavimus, et sero ad studia nos recepimus. *Θεῷ χάρις.*

VI. *Kal. Jul.* Magna deliberatio hodie nobis proposita super Helvetica legatione D. de Vicq. Vocamur in partes, et est non nemo, cujus consiliis si utimur, virum de nobis adeo bene meritum sequemur eo, et fortunas nostras cum fortunis ipsius conjungemus. Difficilis deliberatio, ad cujus decisionem Deum oro supplex, adsit nobis. Possunt in utramque partem multa afferri. Suadent hæ rationes: amor insignis et D. de Vicq et lectissimæ ejus conjugis. Non dubium optare nobis summum virum læta omnia et incrementum rei familiaris. Summa hujus fides, et benevolentia erga nos, quid in posterum ab ipso sperandum habeamus faciunt palam omnibus. Neque dubium est fore illi multas commoditates adjuvandi rem nostram familiarem, si hoc sibi vir magnus pro-

posuerit. Adde quod Lutetiæ quid simus acturi, necdum scimus. A professione arcemur ob religionem. A cura bibliothecæ multa: præsertim quod vir optimus, qui tot annos eo functus est munere tam fideliter, tamque laboriose, sine scelere amoveri vivens non potest. Superest vita privata exposita mille incommodis, mille difficultatibus, mille periculis. Nam quod omnium est maximum, odio sumus ob religionem factiosis omnibus, et hostibus purioris religionis, ut metuendum sit nobis ne irruatur in nos, siquid turbatum fuerit. Ab hac parte sunt hæc et similia his. Suadent contrarium hæ rationes. Prima est omnium respectus pietatis. Quid? Semper libera religionis, quam profiteor, exercitatione erit mihi carendum? Octodecim prope jam menses sunt, cum ego, uxor, liberi Monpelio sumus profecti. Quoties ex eo tempore gemuimus ob amissam facultatem cœtus Christianos frequentandi? Quoties optavimus ruere propemodum rem familiarem nostram, et tanto bono diutius non carere? Quoties Deum supplices optavimus, liberaret nos incommodo et daret παρρησίαν τοῦ λόγου? Ecce dat Deus quod petiimus, cur oblato beneficio non utemur? Deinde videndum nobis quid de hoc consilio nostro Rex, quid Ecclesiæ Galliarum, quid amici Parisienses sint dicturi. Rex datam dicet a se pecuniam ut familiam Parisios deducerem. Cur alio abis? Ecclesiæ nostræ, quæ sinistram de nobis opinionem tam facile concepisse

videntur, longiorem cum hominibus diversæ religionis moram quomodo interpretabuntur? Quid amici Parisienses? quos certum est clamaturos facinus esse indignum. Omitto studiorum incommoda, ob caussas multas, librorum inopiam, doctorum penuriam, qui Soloduri nulli sunt, alia quæ σιγᾷν præstat ἢ ἐκφέρειν. Sunto igitur, ut revera sunt, potiores hæ rationes. Θεὸς διὰ πάντα κυβερνᾶν θέλοι.

v. *Kal. Jul.* Adhuc hærebat animo illa quæstio et σκέψις. Ac rebus omnibus expensis constituimus Θεοῦ διδόντος manere ἐν πείσει, et prosperare. Multa movent. In his non postremum, cura bibliothecæ, quæ nobis imminet, siquid humanitus ei eveniat, qui illi nunc præfectus; est vero in extrema ætatis tegula. Atqui si aberimus, eo abeunte, nihil facilius quam ut ad alium ea cura transferatur.

iv. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, hoc est, molestus hic labor adhuc nos exercet, dum finem ultimum apparamus. Quid vexet, scit ὁ κρείττων, a quo opem et auxilium speramus. Amen.

iii. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, qui utinam liberet nos tandem hoc molestissimo labore. Et faciet spero brevi. Hoc te, mi Deus, supplex oro.

Prid. Kal. Jul. Τὰ ἐγκύκλια, id est, molestus hic adhuc labor continuatus, quo utinam videat me liberatum proximi mensis dies postremus. O da,

Pater. Spero quidem in bonitate tua, quæ spes ne confundatur, oro te supplex. Amen.

Kal. Jul. Quem mensem da transigere, summe Pater, sine offensione tuæ majestatis, quantum per humanam imbecillitatem licet, et ut liberatus hac molestissima cura aliud possim agere, aliud curare ad tui nominis gloriam, Ecclesiæ tuæ ædificationem, et meam meorumque salutem. Amen.

VI. *Non. Jul.* Diei meliorem partem literis Genevam scribendis impensam; reliqua cura data libris fuisset, nisi obstitissent iniquissimi amici. O Deus, respice me, et ceptis fave.

V. IV. III. *Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio.

Prid. Non. Jul. Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio. Sed amor uxoris quæ dies totos abest in opere faciendo occupata, impulit me ut ad ipsam proficiscerer, et partem diei illi impenderem. Dominus hos animos nobis servet. Amen.

Nov. Jul. Mane toto officia aulica; a prandio officia domestica studiis pene omissis. O ades, Deus æterne. Amen.

VIII. *Eid. Jul.* Sic surreximus, ut si Deus daret totum literis hunc impenderemus diem. Et fecimus dante Domino, cui honos et gloria εἰς αἰῶνας. Amen.

VII. *Eid. Jul.* Sicut heri beneficio Dei fuimus in literis non negligenter, ita hodie alia omnia egimus. Mane literis scribendis Genevam vacavimus. A prandio Regi profecti sumus εἰς ἀπάντησιν, quem quidem, O Deus æterne, serva, rege, et

ad gloriam tuam promovendam dirige. Amen. Amen. Raptim in Jesaiam prophetam facundissimum oculos conjecimus. Beatos illos ter et amplius, qui ei curæ se totos applicuerunt. Sed nobis non licet esse tam beatis. Hic propheta perspicue usurpat multa ornamenta orationis, quæ in aliis scriptoribus sacris temere non reperias. Ut capite quinto, versu septimo cum induxisset propheta Dominum de suo querentem populo sicut vinitorem de infelici vite, quod labruscas pro racemis tulerit. Ex versu explicans sese, inter cætera ait וַיְקַו לְמִשְׁפָּט וְהִנֵּה מִשְׂפָּח לִצְדָקָה וְהִנֵּה צְעָקָה *Et expectavit* (*Deus*) *judicium, et ecce plagam lepræ, justitiam, et ecce clamorem.*

Paronomasiæ in Jesaia.

VI. *Eid. Jul.* Mane officia aulica, et Regis magni supra quam ausim dicere honoris plena salutatio. Deus Opt. Max. illum servet, et dirigat consilia ejus ad gloriam nominis sui. Amen.

V. *Eid. Jul.* Studia non omissa, sed quam molesta, O Deus? Jam enim imminent sollicitudines variæ ad quas minime apti sumus. Sed facies tu, Deus Opt. Max.

IV. *Eid. Jul.* Domine Deus, languet animus opis tuæ inopia. O ades, et juva. Amen.

III. *Eid. Jul.* Sensi, Domine, in summa imbecillitate et ἀδυναμίᾳ mea auxilium hodie tuum. Sed, O Deus, siquid nec male ceptum, perfice. Amen.

Prid. Eid. Jul. Pessime transactus dies: omnes spes in posterum sublatæ, nisi tu, Deus æterne,

misericors, et clementissime, me adjuveris. Sane in lubrico loco res stant nostræ. Sed habemus in tua, Deus, clementia certam fiduciam.

Eid. Jul. Ergo erit actum de nobis? Ergo tuum nobis, O Deus, O Pater, auxilium in æternum denegabitur? Ah, fateor, Pater, sic meritum esse meum. Itaque taceo et infecilitatem meam defleo. Hoc solum possum.

XVII. *Kal. Aug.* Die Dei cultui sacro cum ejus opem atque auxilium precibus expetiissemus, paululum tandem otii nacti perfecimus trihorio, quod superioribus quatuor diebus frustra tentaveramus inter tot molestissima negotia, tot interpellatores, tot curas. Quid fecerimus, posteri judicabunt. Utinam ad Dei gloriam omnia nostra facta dicta referantur. Amen.

XVI. *Kal. Aug.* Aulica officia nos hodie habuerunt. Da, Deus, ad novam vitæ rationem ineundam novum consilium. Amen.

XV. *Kal. Aug.* Nugæ magna diei parte. O Pater, ades.

XIV. *Kal. Aug.* Etiamne hic dies male positus? Imo pessime. Totum enim amicissimo Lectio impendimus, lætantes quidem, sed jacturam tamen temporis iniquo ferentes animo. Deus aderit, si lubet. Amen.

XIII. *Kal. Aug.* Totus fere dies periit officiis aulicis. Deus miserere. Amen.

XII. XI. *Kal. Aug.* Biduo hoc mutando hospitio totum periit tempus. Deus, ades.

X. *Kal. Aug.* Et hic Deo sacer dies misere nobis periit. Proh dolor! Da meliora, Deus.

IX. *Kal. Aug.* Nugæ toto die, nisi quod hodie demum ædibus D. de Vicq exiimus, et propriis sumptibus rem nostram curare cepimus. Nam ille ad Helvetios legatus ibat. Nos hic adhuc invitos detinebat Animadversionum Editio. Nunc ego te, Pater clementissime, supplex oro, ut et illi benedicas omnibus modis, et nos tua benignitate foveas, ac sustineas. Amen.

VIII. *Kal. Aug.* Horam unam aut alteram hodie studiis impendi ereptam molestissimis quorundam interpellationibus. O ades, sancte Parens, et familiam rege meam. Amen.

VII. *Kal. Aug.* Ecce iterum me, Deus Opt. Max., supplicem tibi pro parili beneficio ei quo me nuper adfecisti. Languet animus. Tempus omne diei hujus consumtum frustra. Te specto, Deus, et opem a te expecto. O ades salus mea. Amen.

VI. *Kal. Aug.* En κακὰ ἐπὶ κακοῖς. Diei totius hora non bene posita. Regis animus tandem patefactus est. Tu, Deus, non deeris, scio certo. Quid dicam de uxore Harsii quæ insigniter impudens et ἀναίσχυντος hodie apparuit? O quanta malorum nos manet Ilias, nisi tu, Pater cælestis, adfueris? Ecce in te spes omnis mea, quæ ne confundatur, vide. Da, Pater, da veniam confidenter te appellanti per Jesum Christum Filium tuum unigenitum Dominum nostrum. Amen.

V. *Kal. Aug.* Dies periit totus. Actum est de

studiis. Fiat, O Deus, voluntas tua. Sed improbitatem istius Harsiæ, O justissime Deus, inultam sines? quin da potius ex istis malis emergere. Amen.

IV. *Kal. Aug.* Deo Opt. Max. gratias, quod non penitus totum tempus periit. Sed quomodo accipiam, quod D. de Vicq abiit in Helvetiam legatus, nobis insciis? Mitto cætera, ex quibus constat mihi jam satis superque de immutata τοῦ βασιλέως et aliorum procerum voluntate διὰ τὴν τῆς ἡμετέρας πίστεως βεβαιότητα. Iterum gratias tibi, Deus Opt. Max.

III. *Kal. Aug.* Die Dominico partim literas Genevam de more scripsimus; partim studia procuravimus. Sed nos, Deus æterne, publica ista populi Lugdunensis in nostros insania terret, et, ut nobis caveamus, admonet. Tibi, Pater ἐπουράνιε, me, meam et meos committo, tuæque curæ credo. Accedit difficultas non una ob privatorum consiliorum remoram. Sed nos Deus Opt. Max. expediet. Amen.

Prid. Kal. Aug. Studia non penitus neglecta. Deo laus et gloria. Sed animus mire sollicitus infinitis de caussis, et in his est ἡ φυσικὴ ἀσθένεια, cui Deus Opt. Max. medere. Amen.

Kal. Aug. O diem mihi molestum! Quem quidem inclusi egimus in museo nescio quid, si Deo esset visum, parturientes. Nam omne tempus frustra consumtum. Spes etiam in posterum præcisæ. Angimur, O Deus, intimis animi me-

dullis. Sed æquum est, tua, non nostra, fiat voluntas. Amen.

IV. *Non. Aug.* Hominibus semel ἐψυγμένοις nullum esse postea doloris sensum ait philosophus. Ego ille sum, mi Deus, quem tua benignitas hodie primum destituit. Fateor sic meritum esse meum. Itaque taceo et Numen tuum tacitus adoro. An hic futurus sit postremus lætitiarum mearum dies, tua, O Deus, novit sapientia. Ego hoc unum te supplex peto ut nostri per Jesum Christum Filium tuum miserearis. Amen.

III. *Non. Aug.* Quando ita lubet Numini tuo, Deus æterne, acquiesco voluntati tuæ, et opus institutum differo in tempus aliud, aut penitus etiam, si ita placet, omitto. Sed miserare, O Deus, nostram sortem. Amen.

Prid. Non. Aug. In eodem hæsimus hodie quoque luto, variis et aliis districti occupationibus. Νῦν δὴ ἡμῖν ἐπὶ ξύρου ἵσταται ἀκμῆ. Sed vel in Orco in te sperabit animus noster. Amen.

Non. Aug. Mane totum cum Ranchino meo veteri amico transegi, magna quidem studiorum jactura, sed magna utilitate mea si sapientissimi viri admonitionem non neglexero. Quod ne fiat, supplex te Deus mi oro. Amen.

Περὶ τῆς ἄγαν παρρησίας.

VIII. *Eid. Aug.* Mane ad fortissimum heroem Desdiguerium adiimus: dein scribendis Genevam literis vacavimus: post ista ad versandum molestissimum dolium animum convertimus. Sed

assiduæ amicorum ἐπισκέψεις nos assidue impediunt. En erit ille dies, cum pro absoluto opere gratias Numini tuo agemus? O exaudi, Pater noster. Amen.

VII. *Eid. Aug.* Sperabam molestissimis curis finem a nobis impositum iri hodie. Frustra fuimus. Tua nempe nondum favet plene, Deus benigne, dextera. Fiat voluntas tua. Amen.

VI. *Eid. Aug.* O Pater, ὦ σῶτερ, eritne ut extremam manum operi molestissimo imposuerim? Sic videtur. Sed crastinum expectabo, et tuam interea bonitatem prædicabo. Tibi honos, tibi gloria et Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, et Spiritu Sancto. Amen.

V. *Eid. Aug.* Sic est: heri absolvimus quæ hac editione sunt edenda. Nos quidem alia moliebamur; sed vix illis ipsis edendis fuit otium quæ sunt exarata. Itaque hesternus dies ultimus est laboris inchoati ante annos tres et quod excurrit. Quantum hoc, O Deus, beneficium. Tibi, mi Deus, gratiæ, gloria, laus, honor in æternum per Jesum Christum Dominum nostrum Filium unicum tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto sine principio, sine fine vivit, regnat εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.* Nunc igitur, O Pater, nunc ille venit dies, cum, molestissima cura liberi, animum alio transferemus. Sed quo, mi Deus? Id igitur ostende tu, et rei familiari afflictissimæ consule. Amen.

* Postrema opera in editione prima Animadversionum mearum in Athenæum.

IV. *Eid. Aug.* Non est hodie liber inspectus. Sed amicis hunc diem impendimus. Utinam studio potius pietatis. Fac, O Deus, aliquando tandem possim; et hærentem nunc dirige. Amen.

III. *Eid. Aug.* O Domine, quæ hæc vita? sine librorum inspectione dies integros agitamus. Hodie Regi de discessu nostro significavimus. Deus Opt. Max. serva illum, rege illum, tege illum, et omnia illius consilia dirige. Amen.

Prid. Eid. Aug. Nugæ; tempus amissum totum. O Deus, meliora. Amen. Amen.

Eid. Aug. Mane adhuc literas Genevam scripsimus, etsi non deerat suspicio tabellarium non transiturum. Nam hodie rumor allatus de belli incendio inter Regem et Ducem. O Deus, ades, et serva nos. Amen.

XVIII. *Kal. Sept.* Curis anxii ista scribebamus. Da, Deus, lætum his molestiis finem. Vides, Domine, iniquitatem quorundam erga me. Expedi me istis laqueis, obsecro, et integritatem meam adversus eos tutare, qui facultatulis nostris inhiant. Amen.

XVII. *Kal. Sept.* Partem diei aliquam studia sibi vindicarunt: partem et majorem quidem negotia. Serva nos, O Deus.

XVI. *Kal. Sept.* Hieronymi lectio fere nos hodie habuit. Et jam abiturimus, si per tuam, O Domine, benignitatem licet. O Deus, cras ades cum ista Harsia negotia confecturo.

XV. *Kal. Sept.* Curis anxius bene mane propter

improbitatem istius Harsiæ quæ miris modis me vexat per somnum, scelus, dum edito libro inhiat, et pecuniis quas ibi posuimus, ad te, Deus, confugio, te oro, te in præsidium voco. Scis, O Deus, quam aliena moribus meis ista sint negotia. Te appello *εἰς βοηθόν μοι*. Urgemur enim necessitate proficiscendi, quod non nescit ista dolis consuta. Hæc mane scribebamus, priusquam experti essemus quid animi hodie esset huic perfidæ et scelestæ. Illa vero *ὀλοαῖς μανίαις* insanit. Itaque negat se remissuram de iniquitate sua vel tantillum. Habemus æquum et faventem caussæ nostræ judicem: sed egone ut propter istius sceleratæ mores discedam a meis? Non possum adduci. Expectamus igitur. O Deus, ades mihi in istis ærumnis, et peccata mea mihi ignosce. Amen. En vero non lene tuæ erga me benignitatis testimonium, Deus mi. Nam cum ista maxime scriberem, advenit Petrus Chabaneus ex sorore nepos. Ille me cura et sollicitudine liberabit. Gratias igitur tibi, Deus mi, Pater mi, et meorum patrone.

XIV. *Kal. Sept.* Studiis aliquid datum temporis, et curæ valetudinis: languemus enim corpore ego uxorque. Reliquum diei negotia occuparunt et amici. *Θεῷ χάρις.*

XIII. *Kal. Sept.* Studia, negotia, amici, nugæ. *Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή.*

XII. *Kal. Sept.* Mane literæ Genevam de more: dein lectio commentariorum Hieronymi in Esaiam: tum amici. Ita dies actus. *Θεῷ χάρις.*

XI. *Kal. Sept.* O Deus, da hodie exitum negotii molestissimi, supplex te veneror. O exaudi, mi Deus.

X. *Kal. Sept.* Quid dicam de tua, mi Deus, patientia? Istamne fœminam aut fœminæ monstrum tot modis me cruciare? Ah Domine, nullus sum propter scelus scelestæ istius. Sed taceo, et te æquissimum, optimum, justissimum specto. Itaque judicia tua expecto.

IX. *Kal. Sept.* Librum hodie non vidi. Negotia plane confeci. Deinde omnia facta irrita. Ades, mi Deus, et hac me cura libera. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Hodie quia erat ἡμέρα ἑορτάσιμος, negotiorum nihil confeci, etsi tentatum aliquid, sed frustra. Totum fere tempus lectioni Hieronymi aut Rufini contra Hieronymum impensum. Quid nostra miramur adversa? Tantis viris quid evenerit, videmus. Sed confugio ad te, Deus æterne, et ut tandem ærumnis me liberes, quas propter infelicem librum istum tot jam annos sustineo, supplex te oro. Amen.

VII. *Kal. Sept.* Totum tempus pauculis horis exceptis misere periit, perfidia cujusdam falso crediti amici. O ærumnas! Sed ades, O Pater.

VI. *Kal. Sept.* Non hora, non momentum temporis studiis impensum. Sed nihilominus multum hoc die perfeci, si quod actum est memoriæ mandare atque infigere Deus dederit. Atque utinam ita sit, et vitam meam emendare animo obstinato contendam. Quam pæne factum est ut indignatio justa quidem sed vehementior in ærumnas gra-

vissimas me conjiceret? Sed, O Deus, Pater meus, tu benignissimus voluisti hoc argumento magis magisque mihi innotescere impotentiam animi ac linguæ in ira meam. Agnosco, Deus, et te supplex oro, ut prospicias posthac mihi. Serves me et frenos injicias meis affectibus. Nempe ita ingenium nostrum est: contumeliam cuiquam facere aut injuriam ultro velimus nunquam; et hujus integritatis conscii, Dei beneficio, nobis sumus. Sed non hoc satis: illud desideratur amplius, ut animum in omnibus vitæ hujus negotiis ad patientiam consuefaciamus; ut cum æquis, cum iniquis, cum bonis, cum minus bonis aut etiam malis æquo semper animo agamus; ut denique ad accipiendas injurias sine morsu animi aut certe sine magno motu parati semper simus. Hunc animum, O Deus, inde nobis, inde cupiditatem exigendæ vitæ totius ad Legis tuæ amussim. Exaudi, sancte Parens.

Vetus dictum in nos competit, si in quenquam, *Bonus animus læsus gravius multo irascitur.* Publii est opinor.

v. *Kal. Sept.* Dies erat Domino dicatus, et aliis curis impendendus. Sed quid agerem? Pietatis nulla hic ἄσκησις, nulla publice παρρησία. Quam tu, O Deus, dabis, cum erit libitum tibi. En erit ille dies, cum palam, quod diu multi hic pii optant, tibi servire, te, quo jussisti, modo colere poterimus? Imo alii poterunt. Nam nos quidem alio tendimus, et Deum ducem secuti Lutetiam cogitamus. Cæterum hic dies fraudes, scelera,

impiamque mentem Harsii illius perfidi hypocritæ mihi aperuit. Quid dicam? Languet animus, imo deficit, cum cogito, quomodo ille impurus sceleratusque mecum egit. Atque utinam hic tandem ærumnarum mearum sit ultimus dies, earum dico, quas propter Athenæum sustinemus tot jam annos. Ades, mi Deus, ades.

IV. *Kal. Sept.* Optime Maxime Deus, da saltem hodie ut pervenire ad meum possim, superatis tandem fraudibus impii hominis. Quanquam superare equidem non possum. Ille enim impius simplicitatem meam quæstui imo prædæ habuit. Atque hic demum exitus laboris Athenaici.

III. *Kal. Sept.* Lugduno proficiscens hæc raptim exaravi, subsidium et auxilium a te, Deus æterne, petens. Ecce enim diem illum, quo Lutetiam iter instituimus. Sed ades, Pater cælestis, et mihi meisque favorem tuum impertiri perge. Illud maxime te oro, obsecro, ut, quod superest vitæ, impendere Legis tuæ meditationi possim. Amen. Amen.

Prid. Kal. Sept. Cum pridie Tararam pervenissemus, hodie Roanam salvi atque incolumes pervenimus Dei virtute ac benignitate.

Kal. Sept. Diem Roanæ transegimus occupati literis scribendis, quibus exarandis otium et tempus nancisci Lugduni non eramus quiti. ἦν δέ μοι θυμὸς μελεδήμασι πολλοῖς καὶ βαρέσι βεβολημένος. Et tamen curas auxit D. Colladonius amicus noster qui legatus Ecclesiarum nomine ad Regem proficiscebatur. Enimvero vel ex Orco sperabit

anima mea in Domino. Cujus auxilium παρὰ προσδοκίαν nunc cum maxime nobis necessarium et est, et futurum est, simul Lutetiam pervenero. O ades, Pater clementissime, ades.

IV. *Non. Sept.* Conscenso navigio serius ob culpam naucleri vix multa jam nocte per magnas molestias et imbres multos confectis sex septem leucis ad summum appulimus ad villam quandam ubi necessario fuit pernoctandum. Ibi omnia adversa: hospites maligni, et natura, et quia diversæ religionis eramus. Itaque impransi, coacti sumus, incœnati, lectum quærere: sed ille nusquam erat. Etiam ligna deerant ad ignem, etiam candelæ, oleum et omnia ad lucem faciendam apta; itaque per domum accensis paleæ manipulis eundum erat: nihil denique humanitatis aut commoditatis inventum. Deo gratia, quod uxor charissima, adeo vicina partui, generoso animo has molestias pertulit. Salva illa: salvi omnes.

III. *Non. Sept.* Decem plus minus leucas confecimus, et duabus fere horis prius quam sol occideret venimus ad pagum cui nomen Farnaci. Quid multa? par fere fortuna diei hujus τῇ τῆς προτέρας ἡμέρας. Adhuc valet uxor; valent liberi. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Sept. Septem sex leucas emensi Desiram venimus, oppidum Ducis de Nevers, inde cum Nevers tenderemus, coacti sumus reflantibus ventis post unum miliare aut alterum Bourtintre

subsistere, qui viculus est non inamœnus. Deo laus et gloria.

Non. Sept. Oram solvimus post noctis meridiem, et licet vento adverso usi, Nevers appulimus circa undecimam. Inde Charitatem porreximus, ubi cum latronibus publicanis res nobis fuit, qui per immanem atrocitatem quatuor fere aureis nos emunxerunt, etsi caussa apud judicem disceptata. Ægre tandem inde profecti beneficio Dei.

VIII. *Eid. Sept.* Conam appulimus languente uxore propter dentium et auris dolorem. Sed Deus, spero, aderit. Amen.

VII. *Eid. Sept.* Confectis navigatione leucis duodecim Gienam venimus, ubi veteres amicos D. Fontanum et Pinettum ambos *τοῦ θείου λόγου κήρυκας* viso *ὁδοῦ πάρεργον*. Dein cum Solium tenderemus, imbre et adverso vento impediti, in villis quas vocant Ronses subsistere sumus coacti.

VI. *Eid. Sept.* Inde profecti, *παραπλεύσαντες* Solium Castellodunorum, et Gerianium, tandem Aureliam Dei Opt. Max. beneficio appulimus, bene sero. Sed magna Deo gratia, quod portum tandem attigimus. Illi gloria, illi honos. Amen. Amen.

V. *Eid. Sept.* Urbem amœnissimam et pulcherrimam hodie spectavimus, et apud D. Turquois divertimus. *Θεῷ χάρις.*

IV. *Eid. Sept.* Ad sacram adiimus concionem, non procul urbe celebratam. Molinæum ibi vidimus pium Dei *λειτουργὸν*, et virum nobilem D. de

Lumeau, cui animum nostrum aperuimus super rebus gravissimis. Deus ceptis benedicat.

III. *Eid. Sept.* Parabamus discessum, cum ista scriberem mille curis anxius. Sed, O Deus, te specto, tibi uni fido. Scis caussas meæ sollicitudinis. Fac meum morbum melius in dies cognoscam, atque illi medicinam face.

Prid. Eid. Sept. Cum pridie Aurelia profecti Artené venissemus, et noctem ibi egissemus, summo mane discessimus, et confectis ante prandium octo Francicis leucis prandium sumsimus in pago cui nomen Engervillier. Inde venimus ad oppidum prælongum Estampes, emensi leucas sex. Hæc scribebamus, tibi, Deus æterne, gratias agentes, quod et valemus, uxor quoque et liberi quoque; nam Philippæ infirmitas nondum nos habet admodum sollicitos. Quicquid sit, tibi, O Deus, honos et gloria. Amen.

Eid. Sept. Si placet supremo Numini hic dies itineri huic finem imponet. Et ita evenit. Nam die hoc Lutetiam appulimus, valentes omnes. Quo nomine summas tibi, Deus summe, gratias ago toto pectoris affectu. Quantum hoc, mi Deus, beneficium tuum, quod uxorem partui vicinam, (jam enim octavum mensem ingressa est) et alias parum bene habentem, salvam atque incolumem huc perducere mihi dederis. Atqui solita erat λειποθυμίαις tentari pene quotidianis quoties fere ante uterum gessit. Tibi igitur, O Deus, tibi honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν. Quod superest illud

nunc te supplex oro, obsecro, obtestor, serves me hic ac meam et meos ab omnibus quæ imminere video periculis qua animi, qua corporis. O ades, *πανέλεε Θεὸς*, per Jesum Christum, Christum tuum, Dominum nostrum, unigenitum Filium tuum, te oro, et Spiritum Sanctum tuum, qui una tecum et Filio tuo vivit, regnat, æternum victurus ac regnaturus. Amen.

XVIII. *Kal. Oct.* Magna pars diei occupata visendis amicis: imo omne tempus ita periit. Atque ita libri et studia *φροῦδα· Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλὴ*, cui honos et gloria.

XVII. *Kal. Oct.* Amici adhuc, libris silentibus. Ita vita perit. Sed respice me, Deus mi. Amen.

XVI. *Kal. Oct.* Literas scripsimus: amicos invisimus: de re familiari solliciti fuimus, cui, Deus, fer opem. Amen.

XV. *Kal. Oct.* Bene mane navem conscensuri ut ad sacram *σύναξιν* iremus, postquam ad portum accessimus, navium nullam hodie profecturam comperimus. Dolet nobis quod tanto bono carere cogimur. Sed, O Deus, da veram pietatem in animo et *φρενῶν μυχῷ*. Amen.

XIV. *Kal. Oct.* Pauculæ horæ libris inspiciendis, reliquum tempus curandis negotiis datum, quibus da, Deus, *εὔροιαν*. Amen.

XIII. *Kal. Oct.* Legimus historiam Frisicarum rerum ab Ubbone Emmio scriptam. Operæ non pœnitet: est enim vir pius, probus, atque eruditus, vel vide, quæ scribit in Emdæ encomio.

Literis deinde scribendis vacavimus. Ita dies consumtus, nisi quod in quærenda domo multum frustra temporis posuimus. Nam illa promissa *φροῦδα*. Deus aderit.

XII. *Kal. Oct.* Et hic dies negotiis datus: studia omissa. Domine, fer opem.

XI. *Kal. Oct.* Studia leniter pauculis horis. Hodie cepi magna cum animi voluptate Evangelium *κατὰ Ματθαῖον* conferre cum Hebræa versione a Tilio edita, cujus opellæ finem paucis diebus visuros nos speramus, volente Domino. Sed, O Deus, libera nos curis, et rei familiari succurre. Amen.

X. *Kal. Oct.* Literas Lugduno accepimus, et non nihil ex illis molestiæ. Itaque totum fere diem cogitationes de negotiis domesticis abstulerunt. Duo tamen Matthæi capita cum Hebræo contulimus non sine animi voluptate. Deus mi, Deus mi, da veram mihi meisque pietatem. Amen.

IX. *Kal. Oct.* Literas ad Præsidem primarium, non inutiles Dei gratia, scripsimus: deinde ad Scaligerum, Lipsiumque. Amici dein totum diem nos habuerunt. Studiis parum aut nihil tributum. Da meliora, Deus. Amen.

VIII. *Kal. Oct.* Ita surreximus, ut Hablonem *σὺν Θεῷ*, ad sacram *σύναξιν* ituri. Et ivimus, Deo beneficium hoc præstante, cui honos et gloria. Amen.

VII. *Kal. Oct.* Cum male haberemus ex pridiano itinere, negotiis tamen vacare sumus coacti. Adiimus ad D. Despres cui primarius Præses de nobis

nuper scripsit: deinde alia ex aliis nos habuerunt. Vix septimum Matthæi caput legimus. Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Oct.* Hodie leniter negotia quædam curata. Sed totum fere tempus datum ἐπισκέψει D. Desportes Abbati Θυρινῷ. Θεῷ τὰ ἐμὰ μέλοι. Amen.

V. *Kal. Oct.* Quotidie magis agnosco quam egregie simplicitati nostræ impositum sit a magnis. Illæ bellæ literæ quid pepererunt? Nihil utique, nisi risum. Promissa omnia φροῦδα. Cæteros mitto. Etiamne G. in his censeri? Sursum ergo corda. Itaque te appello, mi Deus, εἰς βοήθειάν μοι. O ades, O Pater. Perreximus in Matthæo Hebraico. Τῷ Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Oct.* Mane amici: a prandio negotia et receptio ducentarum literarum quas per Præsidem primarium Deus en largitus. Illi honos, et gloria. Amen.

III. *Kal. Oct.* Amici τὸ πλεῖστον τῆς ἡμέρας furati sunt nobis. Vigilavimus diu multumque. Quid refert? Literas nempe scripsimus. Quanquam non male opera posita est. Ad Bongarsium enim ea scripsimus, quæ constantiam nostram in puriore religione sint testatura. Hanc mihi da, O Deus, hanc uxori, hanc liberis. Oro etiam te, ut in eadem piam matrem et πάντας τοὺς ἐν γένει confirmes. Amen.

Prid. Kal. Oct. Mane negotia. A prandio amici rapuerunt me ad alios amicos. D. Rapinus ad

Præsidem Thuanum me abduxit in Angervillianam arcem. Deus studiis nostris melius consulet.

Kal. Oct. Cum pridie venissemus Bonellam ad D. Bullionum Senatorem Parisiensem, die ista ad prandium adfuimus Præsidi Thuano. Ibi saltem dies non pessime a nobis posita. Θεῷ χάρις.

VI. *Non. Oct.* Diem egimus non penitus ἄνευ μουσῶν. Horas enim non paucas Evangelio Matthæi Hebraico impendimus. Θεῷ χάρις.

V. *Non. Oct.* Lutetiam rediimus, nec uxorem invenimus, quæ cum affine H. Stephano St. Germanum animi caussa erat profecta. Deus illam et illos servet.

IV. *Non. Oct.* Etiam hic dies studiis, proh dolor, peribit. Sed quid agerem? Uxor palatium Regis invisit, et ad se me vocat, qui et ipse non minori ejus spectaculi desiderio teneor. Ibo igitur, vel ut palatium, vel ut uxorem videam. O Deus, da nobis, ut quantum ὑστεροῦμεν τὰ πρὸς παιδείαν tantum eruditione vera proficiamus, pietatem dico et zelum gloriæ tuæ. Amen.

III. *Non. Oct.* Cum pridie Nanterram (N . . . . todorum vocat Aimoinus) venissemus et inde S. Germanum, ibique ad vesperam usque regia palatia, vetus et novum spectassemus, inque isto mirabiles cryptas duas, hoc die Possiacum venimus. Ibi moniales Virgines invisimus duce cognato Stephano a Thesauris Regi. Mirus loci, mirus personarum ibi ornatus, et prope dixerim τρυφή. Aulam illam eo loci spectavimus libentis-

sime, ubi ante annos multos coram Rege Carolo et Regina matre aliisque principibus viris de reformatione Ecclesiarum disputatum est cum doctoribus Catholicis a Vireto, Martyre et Beza, qui etiam librum de eo colloquio (nam ita vocatum est) edidit.

Prid. Non. Oct. Post consumtum mane in amœnissimo pago St. Germanum repetiimus, atque ibi in crypta regia hydraulica organa quæ opere machinoso resonant spectavimus, audivimus. Inde Nanterram rediimus. Θεῷ χάρις.

Non. Oct. Nanterra Lutetiam redituri ὁδοῦ πάρεργον venimus ad pagum cui nomen S. Clou funestum Henrico tertio, qui ibi a monacho est occisus in ædibus Gordiacis. Extat monumentum ejus cædis in sacra æde, privata pecunia dedicatum a probo viro. Omnia ibi spectata nobis non sine horrore tam horrendi sceleris. Sed quid mirum fecit monachus? Et altiora Dei consilia quam ut penetrari ad illa possit. Illi honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

VIII. *Eid. Oct.* Pridie reversi ad sacram σύναξιν eramus hodie profecturi; nisi nos hic Præses primarius detinuisset. Ignosce nobis, O Deus, et vitam, consilia, verba, mentemque meam ac meorum dirige ad suum, id est, tibi gratum finem. O serva, mi Deus, et matrem, et uxorem, et liberos et omnes nostros ab omni periculorum genere. Amen.

VII. *Eid. Oct.* Libri hodie et studia non paucas

horas, tamen amici plurimam diei partem eripuerunt. Hoc die Matthæi Evangelium cum Hebræo conferre absolvimus non sine aliquo fortasse fructu. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Oct.* Legimus Æneam Gazæum et Cydonium, et excerpsimus. Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Oct.* Mane ereptum ex parte variis occasionibus, pars tamen libris est impensa. At pomeridianum tempus omne misere ereptum, aut non abest multum. Miserere, O Deus, nostrorum studiorum. Amen.

IV. *Eid. Oct.* Mane totum cura rei domesticæ; sed Dei beneficio non inanis. Accepimus enim quod supererat residui pensionis annuæ. A prandio literæ D. Calignonis de oblato libro nostro non mediocriter nos recrearunt. Ipsus fuit, qui obtulit. Quid plura? Deo juvante χάρις ὠπήδησε levidensi muneri, quod Regi fuisse gratissimum intelleximus. Iterum, iterumque Deo gratiæ.

III. *Eid. Oct.* Domo hodie non exivimus. Librum quo Synodi aliquot Græcæ continebantur percurrimus, et ex Ignatii Epistolis excerpta leniter confecimus. Gratias tibi, Deus æterne, maxime. Da, Pater, hoc otio recte uti: da mentem sanam in corpore sano et mihi, et meis, hoc est, piæ matri, charissimæ uxori, et liberis, quibus, O Pater, inde pietatem in animis. Amen.

Prid. Eid. Oct. Eramus in Excerptis e Synodorum Græcarum volumine: sed operam interrumpere cogit profectio ad pagum ubi cras Deo dante

Verbum Dei sumus audituri. Accedit et invitatio affinis Capellani ad pagum Gryni qui ab altero non procul distat. Sed ea re futurum ut non ante diem Lunæ simus redituri. O Domine, fac uxorem et liberos ἀπημάντους ipse ἀπήμαντος reperiam. Serva et τοὺς πόρρω. Amen.

Eid. Oct. Diem Domino sacrum Dominici verbi ἀκροάσει impendimus. Nam etsi obscœnissima erat tempestas, Hablonem tamen venimus, et ibi bis concionantem Montignium audivimus. Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Nov.* Lutetiam, Dei beneficio, hodie rediimus. Atque hoc iter ego pedibus confeci. Inde uxore salutata libros invisi. O Domine, ades, et me rege. Amen.

XVI. *Kal. Nov.* Diem in libris et negotiis non æquis partibus divisimus. Siquid est quod promovi Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Nov.* Mane ista scribebamus tanquam aliquid hodie promoturi, quod Dominus velit, faxitque. Amen. Sed, O Deus, aliter visum Numini tuo; nam die toto amici nos tenuerunt. O dolor!

XIV. *Kal. Nov.* Et hic dies periit visendo primario Præside. Ergo actum est funditus de studiis: sane actum est. Sed taceo, et tuæ, O Deus, voluntati acquiesco. Veruntamen, O Pater, mei ac meorum miserere. Amen.

XIII. *Kal. Nov.* Paucæ hodie quoque studiis concessæ horæ. Sic Deo visum, cui honos, et gloria. Amen.

XII. *Kal. Nov.* Mane unam aut alteram horam studiis dedimus. Reliquum fere diei datum curæ rei familiaris et quærendo hospitio. En respice me, et languentia, O Pater, aut potius nulla studia mea. Amen.

XI. *Kal. Nov.* Die Dominica cum non esset facultas eundi Hablonem, domi quod potuimus temporis studiis dedimus; quibus tu, Deus æterne, Pater clementissime, benedic. Amen.

X. *Kal. Nov.* Studia et negotia diem fere ex æquo diviserunt. Sed leve aliquod dissidium inter uxorem et cognatum, quod nollem accidisse. Et da, te supplex oro, Pater, ne latius serpant hæc principia provocationis, sed terminetur rixa inter ipsos. Da dies transigere me meosque omnes tibi servientes, teque pura colentes mente. Amen.

IX. *Kal. Nov.* Studia, Dei beneficio, per horas aliquot: dein negotia. Sed, O Deus, et hic dies molestiam suam habuit. En ades, et miserere.

VIII. *Kal. Nov.* Studia mane per horam unam aut alteram: deinde literas ad amicos scripsimus. Ita perit tempus. Sic vita perit. Sed hoc die demum, conducto hospitio, exiimus a cœna e cognati Stephani ædibus. Ille vir optimus advenientem me excepit incredibili humanitate, et me meamque omnem familiam hactenus domi apud se detinuit, et omnibus rebus necessariis fovit. Illi igitur Deus, et honestissimæ ipsius uxori, pro hoc officio omnia læta καὶ ἐν τῷ πάροντι,

καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι duit. Idem vero Deus Opt. Max. in novis ædibus me, meam et meos servet ἀπημάντους. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Mane vix libris inspectis ad præsidem Thuanum, et inde ad primarium Præsidem ivimus. Ita dies en lapsus. O damna studiorum! Ὁ δὲ Θεὸς ἐλεαίρῃ. Amen.

VI. *Kal. Nov.* Mane ad bibliopolas, et amicos visi. A prandio cum libris vixi, Dei Opt. Max. beneficio.

V. *Kal. Nov.* Mane totum Dei beneficio literis impensum: a prandio amici: donec sub vesperam libros repetiimus. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Nov.* Mane totum et diem etiam reliquum Hablonensi ἀποδημίᾳ constitueramus impendere. Sed jam domo egressos et aliquantum progressos revocarunt caussæ necessariæ. Itaque aliud tempus necessario expectamus. Atque utinam det olim nobis Deus, ut crebrius ad sacras συνάξεις ventitare et omnes mei queamus. Amen.

III. *Kal. Nov.* Mane totum dedimus studiis, etiam a prandio in libris fuimus non unam horam Dei gratia, cui honos et laus εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

Prid. Kal. Nov. Etsi sæpius interrupta opera, non periit tamen hic dies nobis, horas enim novem aut decem inter libros fuimus. Atque ita mensem istum absolvimus per Dei benignitatem, cui honos et gloria. Amen.

Kal. Nov. Diem hunc a precibus legitimis auspicati matutinas multas horas studiis dedimus. Etiam a prandio aliquantum temporis non male positum. Sed rapuit nos extra ædes tinnitus omnium Parisiensium nolarum quæ diem hunc celebrant defunctis sacrum, ut eorum animæ ignis purgatorii supplicio ad horas viginti quatuor liberentur. O Deus, Pater veritatis, hæc vides, et pateris?

IV. *Non. Nov.* Cum partem diei studia, partem amici sibi vindicassent, sub horam diei sextam, venit ad me uxor charissima, et certa adesse signa significavit imminentis partus. Instabat hora cœnæ, et forte invitaveramus veterem uxoris amicam D. d'Aubone. Sed alio quam ad epulas nos vocavit uxor, quæ per horas fere duas aut paullo amplius ὠδῖνας parturientium solennes ὑπομείνασα feliciter postmodum enisa puellam admodum bene habitam et grandem peperit. Itaque, mi Domine, mi Deus, mi Pater clementissime, pro isto novo beneficio novas tibi gratias ago supplex toto pectoris affectu, quantas possum maximas. Quid ego nunc κατὰ λεπτὸν τὰς σὰς, ὦ Πάτερ, ἐπικουρίας et auxiliationes enumerem? Quoquo me vertam, plena omnia video τῆς σῆς χρηστότητος καὶ ἀγαθοποιίας εἰς ἐμέ τε καὶ τοὺς ἐμούς. Cum infirma natura esset uxor, et mille morbis obnoxia, quoties uterum gerit, tua benignitas sic eam fovit, ut plurimas easque longissimas pere-

grinationes gravida susceperit, confecerit. Lugduno Genevam, Geneva Lugdunum, inde Burdigalam ad piam matrem, et rursus Lugdunum ad me: nec multo post Lugduno Aureliam et tandem Lutetiam pervenimus. Quoties factum ut nos de hoc itinere illius solliciti mirum in modum æstuaremus, nihil enim fœmina uterum gerente fragilius aut *ἐπικινδυνότερον*. At tu, mi Deus, illam malo, me luctu, liberos nostros infortunio tristissimo hactenus servasti. Itaque, Pater *ἐπουράνιε*, supplex tuum adoro Numen, iterum iterumque gratias tuæ *χρηστότητι* agens, teque orans, ut quod natum est tui favoris aura afflare digneris per et propter Dominum nostrum Jesum Christum *τὸν μονογενῆ* Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sanctu tuo vivit, regnat, tuamque ecclesiam *ἀνεξιχνιάστῳ* quadam providentia regit, cujus in sinu, ceu piæ matris, (Ecclesiam dico,) da nobis conquiescere, mihi, uxori, liberis, omnibusque *τοῖς ἡμῖν ἐν γένει*, donec ærumnis hujus vitæ perfectis in Abrahami sinum colligamur universi beatitudine illa, quam electis tuis præparasti, æternum fruituri. Amen. Amen. Amen.

III. *Non. Nov.* Uxori imputamus hunc diem: adfuimus enim illi, et libris fere abstinuimus. Officium, ait ille, præstat studio. Deus matri, uxori, mihi, liberis, sororibus et affinibus atque amicis benedicat per *τὸν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους σωτῆρα*. Amen.

Prid. Non. Nov. Diem inter libros egi, nec fui

tamen in libris. Composui enim museum, cui ἐνδιατρίβειν feliciter det Dominus. Amen.

Non. Nov. Hablonem pedibus profecti, pedibus reversi magnam lassitudinem contraximus. Illud vero deterius, quod domi caussam doloris sumus nacti. Sed hoc lene. Deus εἰς ἀγαθὸν κρίνοι καὶ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα. Quinetiam serva, O Pater, ἀπημάντους matrem, me, uxorem, liberos et omnes mihi conjunctos. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* Libros composui, ac leniter saltem inspexi: Θεῷ χάρις. Budæi libros de philologia hodie cum admiratione magna percurri.

VII. *Eid. Nov.* Et hodie libris componendis fui occupatus, sed non sine aliqua προκοπῇ. Deo laus et gloria. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Studuimus, Deo otia faciente, non nimis segniter. Illi honos et gratia לְעוֹלָם.

V. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, etsi amici nocuerunt.

IV. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, atque hodie Suetonium recensere instituimus, sed leniter et molli brachio; fave, O Deus, incepto.

III. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια Θεοῦ διδόντος: cui honos et gloria לָעַד עַד.

Prid. Eid. Nov. Vocabat me hic dies Hablonem. Sed, O Deus, ignosce, et pietatem animo inde mihi ac meis. Etiam serva nos, ὦ σῶτερ, matrem, inquam, me, uxorem, liberos, et omnem domum per Jesum Christum Dominum nostrum et Spiritum Sanctum tuum. Amen.

Eid. Nov. Mane Curiæ Parisiensis spectaculum nos tenuit die solenni. A prandio amici, literæ, studia. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Molesta nimirum sic satis recensio Suetonii, eo molestior quo minus operosa. Graves enim caussas habeo, cur leniter ea cura velim defungi. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

XVII. *Kal. Dec.* Mane amicorum περιεργία diei optimam partem abstulit, paucülæ horæ bene positæ, Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια Dei immortali beneficio: cui honos et laus. Amen.

XV. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, nisi quod nostri non fuimus per horas aliquot. Sed Deo magno gratiæ magnæ ἀντὶ τῶν διδομένων.

XIV. *Kal. Dec.* Plures horas Dei beneficio occupavi bene quam amisi. O Deus, ades, et meam mihi matrem, uxorem, liberos, sorores, et fratres, etc. serva. Amen.

XIII. *Kal. Dec.* Etiamne hanc diem, tibi Domine sacram, sine auditione Dominici verbi esse transigendam? O vitam non vitam! Sed Hablonem ire multis de caussis non poteramus. At tu, O Domine, da facultatem nobis et illuc sæpius eundi et tibi pura mente serviendi, dum terras hasce colemus. Da etiam in veræ pietatis professione constantiam matri, mihi, uxori, liberis, et omnibus cognatis, atque affinibus. Hunc igitur diem domi quidem et in museo, sed parum hilarem egimus, nugas nostras pridem editas neces-

sario relegentes, et, si possemus, polientes. Sed, O vanitatem studiorum, cum a meditatione verbi tui, O Deus æterne, discedimus.

XII. *Kal. Dec.* Horæ aliquot periere nobis; reliquum tempus datum literis. Sed studiorum piget, cum cogito vires ingenii, cum mea ipse relego. Blandiantur alii, quantum volent. Ego agnosco, O Deus, quotidie magis magisque virium imbecillitatem. Cæterum, O Pater, gratia tua dignare me, obsecro, et hæc mihi sufficit. Quin si clementiæ tuæ videatur ἀναμαχέσασθαι τὴν ἧτταν, et aliquid memorabile in ea parte præstare poterimus. Ades, O Deus, et languentem erige. Amen.

XI. *Kal. Dec.* Mane amissum totum: a prandio studia. Τῷ Θεῷ χάρις, et Deo gratia, quod amicorum literis ad studia sum incitatus, Lipsii, M. Velseri, Hœschelii, aliorumque quas hodie simul accepi. Atqui ego meam novi tenuitatem.

X. *Kal. Dec.* Horæ sex septem non male positæ fortasse: reliquum amicis datum. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Dec.* Morbus uxoris e museo nos abduxit, sed non tamen totum periit tempus: vel quod Thuani historiæ datum, quæ utinam publicæ utilitati inserviat. Deus mi, serva illum, matrem, me, meam, ac meos, supplex te oro. Amen.

VIII. *Kal. Dec.* Meliuscule uxor, meliuscule studia habuerunt Dei beneficio.

VII. *Kal. Dec.* Quod potuimus præstitimus, etsi

non multum promovimus. Θεῷ δὲ τῷ παναρίστῳ πλείστη χάρις.

VI. *Kal. Dec.* En tertiam Domino sacram diem cum auditione verbi divini caremus. O rem molestam! Utique hoc die, cum esset animus, votum, et certa, si fieri potuisset, deliberatio filiolam illuc deferre salutis lavacro abluendam. Qui factum sit ut sententiam mutare sim coactus, tu scis, O Deus. Sed jam tua ope meliuscule uxor habet. Itaque in proximam Κυριακὴν res dilata, nullam, ut spero, majorem dilationem habebit. Ita sit, O Pater sancte, quem supplex veneror, ut puellam adhuc ἀφώτιστον servet incolumem, et matrem meam, uxorem, me, liberos, et omnes τοὺς ἐγγόνους. Ναὶ Πάτερ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματός σου δέομαι. Ἀμήν.

V. IV. *Kal. Dec.* Studia et officia amicorum. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Dec.* Mane studia, et a prandio quantum per negotia licuit; quod datum est a Dei benignitate accipio. O ades, Pater.

Prid. Kal. Dec. Mane studia: a prandio amici, negotia, studia: Θεῷ χάρις τῷ πανελεήμονι.

Kal. Dec. Ecce iterum ærumnas molestissimas: atque adeo per summum dolorem dies actus: ipsi non valentes: uxor graviter laborat dolore cruris: mitto alia quæ me cruciant. At, O Deus, ades mihi, uxori, ac meis omnibus, oro te supplex per Jesum Christum et Spiritum tuum Sanctum. Amen.

IV. *Non. Dec.* Ah miseram mortalium vitam! Lætabar cum uxorem viderem post partum surrexisse, et jam domo egredi. Itaque Hablonem dilatam toties profectionem cum ipsa me hodie vel cras suscepturum putabam, et insanum magnum ex eo gaudium capiebam. Tibi, Pater ἐπουράνιε, visum aliter, qui illam gravi morbo affligere nunc bonum et æquum judicasti. En, Pater, et me, et illam, et pignora. Fiat voluntas tua, O Pater. Amen. Uxori diem hunc impendimus: amici etiam partem rapuerunt; quod superfuit residuum, studia. Sed, O Deus, languorem animi vides. Te igitur appello in auxilium mihi ac meis. Amen.

III. *Non. Dec.* En ille tandem advenit dies, cum filiolam nuper natam salutis lavacro tingendam Hablonem deferimus. Imus igitur, mi Deus, tua ope freti. Te veneror supplex, et nos euntes ducas, reducas, et jacentem e gravi morbo uxorem serves, atque pristinæ valetudini restituas. Discedens ista scribebam, reversus hæc adjiciebam. Quod dederis nobis, alme Parens, ut in ecclesiam tuam filiola nostra reciperetur, et Annæ nomine donaretur, ago tibi quantas maximas gratias. Sed illud da nunc, sancte Parens, ut vis hujus sacramenti illi per misericordiam Filii tui Domini nostri τοῦ μονογενοῦς σοῦ υἱοῦ מֶלֶךְ הַמָּשִׁיחַ, et vim ἐνεργητικὴν Sancti Spiritus tui illi non verbo tenus sed reapse communicetur. Etiam quod uxorem meliuscule habentem invenerim, O Pater ὑπερά-

γαθε, quantum hoc beneficium tuum est? Ac spero, Deus æterne, brevi et illam, et me, et liberos eodem ituros, tibique speciatim pro restituta ipsi valetudine gratias acturos. Ita esto, mi Deus, et nos una cum matre et omnibus τοῖς ἐν γένει serva ac tuere. Amen.

Prid. Non. Dec. Cum sub primam a nocte media febris nos invasisset, totum diem languentes inter amicos egimus potius quam inter libros, quod equidem vellem aliter. Sed, O Deus, et meam et meorum voluntatem tuæ submitti æquissimum est.

Non. Dec. Studia male curata: valetudo parum firma: uxor vapide se habet: res domestica non uno nomine impedita. Hic rerum mearum est status, O Deus. Tu respice, et adjuva. Amen.

VIII. *Eid. Dec.* Studia Dei beneficio. At res familiaris neglecta. Tu ades, sancte Parens, et aderis, scio atque confido, necessario tempore.

VII. *Eid. Dec.* Studia mane: a prandio negotia sine effectu. Θεῷ δόξα.

VI. *Eid. Dec.* Studia mane: a prandio amici, et officia. Θεῷ δόξα.

V. *Eid. Dec.* Studia etsi parum firma valetudine. Literæ Genevam; ubi benedic, O sancte Parens, liberis meis per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

IV. *Eid. Dec.* Dies Dominica, et eundi Hablonem egregia voluntas: sed ah, voluntas solum! Studia, amici, τὸ μηδέν. O ades, Pater cælestis.

III. *Eid. Dec.* Studia ἐγκύκλια Θεοῦ χάριτι.

Prid. Eid. Dec. Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

Eid. Dec. Τὰ ἐγκύκλια, ut potuimus, Dei beneficio, cui honos et gloria. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, si per amicos licuisset. Sed tamen bene est: et Deo gratiæ.

XVIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, nisi quod amici partem eripuerunt temporis, verumtamen Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια ad multam noctem, quia pars diei perierat. Deus mi, gratiæ tibi.

XVI. *Kal. Jan.* Dies erat Dominica; sed quam Domino, ut par erat, dicare non potuimus. Ignosce, Domine, et da facultatem magis tibi serviendi et fidelius. Amen.

XV. *Kal. Jan.* Literas hodie scripsimus Genevam et alio. Studia languerunt. Deus mi, ades.

XIV. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια quantum licuit. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια quod potuimus: et gravis deliberationis datum principium. Tu ades, O Deus æterne. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Fere totus periit dies inter amicos. Sed quid agam? Quod potui, surripui. Deo laus et honos.

XI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια per multa impedimenta. Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Jan.* Studia amici, vel negotia domestica occuparunt. Hoc igitur triste, sed lætum illud quod a Scaligero et Lipsio ἀθρόους literas de opere edito accepi. Deo laus et gloria.

FINIS FASCICULI SECUNDI.

FASCICULUS III.

IX. *Kal. Jan.* Cum hodie iturum me Hablonem constituissem, si modo vellet Dominus, ut et verbum Dei audirem, et cœnæ Domini communicarem, expertus etiam hic sum hominis esse τὸ προαιρεῖσθαι, sed τὸ ἐπικρίνειν Dei Opt. Max. Itaque domi manere sumus coacti, tum ob spurcissimam tempestatem, tum ob uxoris morbum. Da vero, Deus æterne, ut die proxima Dominica voti hujus compotes ego uxorque fiamus per Filium tuum supplex te oro. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Domo non exiimus; nec male tempus posuimus. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

VII. *Kal. Jan.* Et hic dies studiis fere datus. Gratiæ tibi, sancte Pater, qui mihi hæc otia pro tua infinita benignitate facis.

VI. *Kal. Jan.* Studia ἐγκύκλια non segniter Dei immortalis immortali beneficio, cui gloria et honos in æternum. Amen.

V. *Kal. Jan.* Mane serius ad libros: deinde amici partem diei abstulerunt, quod superfuit datum studiis aut literis scribendis. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Jan.* Amici totum fere diem nos occuparunt, nisi quod literas scripsimus, nec tamen ad matrem, ut optabamus, quam quidem, O Deus, cum uxore, liberis, sororibus et ἐγγόνοις serva benignus. Amen.

III. *Kal. Jan.* Dies erat Sabbati: et crastina

sequebatur dicata commemorationi nativitatis passionis Christi Servatoris. Itaque Hablonem hodie proficisci cogito cum uxore et parte familiæ. Deus Opt. Max. præstet hoc nobis pro sua bonitate, ut et pio animo hoc divino illius beneficio fruamur, et salvi Hablonem atque illæsa valetudine mea atque uxoris redeamus. Terret quidem nec sine caussa me frigus hoc intentissimum. Sed Θεοῦ βοηθοῦντος ἅπαν ἄπορον πόριμον. Ades igitur, mi Deus. Amen.

Prid. Kal. Jan. O Domine Deus, O Pater dulcissime, here mitissime, quas ego tibi gratias agam die hac? Ecce clauditur annus hic novo beneficio, quod in nos benignitas tua contulit. Sic heri discesseram, ut de valetudine uxoris valde essem sollicitus. Sed neque pietas sinebat, neque illa potuisset adduci, ut ad sacrosanctorum μυστηρίων τῶν σῶν communionem non accederet. Venimus ergo Hablonem sæviente anni tempestate supra modum. Sed et rediimus salvi atque incolumes ego uxorque favente facienteque misericordia, Deus æterne, tua, quæ nos servavit ἀπημάντους. Quo nomine, et maxime quidem propter charissimam et εὐσεβεστάτην conjugem iterum iterumque, πανέλεε Θεὸς, ago tibi supplex quantas maximas possum gratias. Quanquam quid ego immoror in diei unius consideratione? Vita omnis mea, quam longa est, tota si spectetur accurate, diem nullum inveniam non aliquo tuo, O Deus mi, tuo beneficio insignem. Ne abeam

longius, hic annus quam multa, quam clara tuæ benignitatis testimonia mihi exhibuit? Ecce venit in mentem, quis meus esset ante annum status, cum Lugduni Segusiorum, in amicissimi quidem viri, sed tamen alienis ædibus, molestissimi operis editionem curarem. Quæ tum fuerunt, bone Deus, anxietates animi mei? Caussas *μεριμνῶν* mearum nosti tu, qui omnia nosti. Quid ego nunc referam, quæ hoc anno per tuam voluntatem mihi evenerunt? Opus primum ut absolverem dudum inchoatum dedisti. Ut magnis viris id non esset ingratum fecisti. Etiam quod Regi per illud scriptum maxime innotuimus totum hoc, O Pater, muneris est tui. Taceo alia tua in me et meos beneficia; quæ sigillatim recensere *οὐδ' ἐμοῦ ἐστι νόου, οὐδ' ἑτέρων στομάτων.* Quæ omnia, quantum meminisse datur, animo reputans, te supplex veneror, *τρισάγιε Θεὸς*, fingas mihi, meæque ac meis cor gratum, cor acceptorum tot beneficiorum memor, quodque te unum, te totum spiret, tibi se dedat non *ἀφοσιώσεως ἕνεκα*, sed ex vero et simplici pietatis sensu. Postremo illud te quoque, benignissime Parens, oro, peccata mea et meorum a tuo conspectu removeas, nos laves, nos denuo *καθ' ἡμέραν* recrees, et ad capessenda implendaque Legis tuæ mandata velis *ἱκανῶσαι*. Matrem, O sancte Parens, serva mihi, serva uxorem, serva ipsum me, ac liberos, cum sororibus et omnibus *τοῖς ἐν γένει*. Exaudi, Pater *ἐπουράνιε*, per Jesum Christum *τὸν*

μονογενῆ Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat, vincit, vivet, regnabit, vincet εἰς αἰῶνας αἰώνων ἀπειράκις ἀπειρεσίους. Amen. Amen. Amen.

ANNUS CIↃ IↃCI.

Kal. Jan. O magne, æterne, immortalis, καὶ ἀπειροδύναμε Deus, cupientem me anni novi initio Majestatem tuam affari, meque illi ceu devotam victimam consecrare, verba destituunt. Quoquo enim mentis oculos conferam tot illustrissima tuæ παντοδυναμίας, καὶ προνοίας τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων monumenta occurrunt, ut cum omnia vel mente complecti, nedum eloqui mortalium queat nemo, ne angelorum quidem immortalium. Tum quid potissimum arripiam εἰς ὑπόθεσιν αἰνέσεως non scio. Rem specto publicam? Veniunt subito in mentem, præter illum admirabilem Naturæ ordinem cujus admirationem usus ipse minuit, insignia plurima tuæ ἀπεριλήπτου δυνάμεως testimonia quæ hoc anno sunt edita. Ut taceam repressas τοῦ πονηροῦ artes, quas ejus satellites magno nisu et conatu ante menses decem ad puram religionem evertendam exeruerunt, ut alia ad tui gregis utilitatem per tuam Majestatem procurata: quid? Bellum hoc a Rege nostro contra Allobrogum dynastam susceptum ac prope jam confectum, nonne καὶ Τυρρηνικῆς σάλπιγγος τρανότερον βοᾷ et esse Deum et mortalium res eum curare? Immanis princeps in perfidia, dolis ac vehementia odii contra tuam

ecclesiam (et omnem quidem in universum, sed speciatim Genevensem) spes suas universas collocaverat. Sensit vero, et nunc cum maxime sentit, perfidissimus Allobrox οὐκ ἀρετᾷν κακὰ ἔργα, neque valere dolos adversus tuam, O Deus, omnipotentiam. Regem enim nostrum, licet invitum (quod scimus nos probe) et jam studiis deditum pacis, excitasti qui quasi per ludum et jocum maximis ditionibus illum nequicquam ferocientem Allobrogem spoliaret. Longe illi auxilia quibus fretus tantum audebat, fuerunt longe et doli, astutiæ, vaframenta, et perfidiæ, ex quibus illud τέρας quantum quantum est, totum est conflatum. Quis putasset superioris principio anni, cum hic Lutetiæ opes suas infelix Dux ostentaret, et mala mente divideret in vulgus, ante περιπλόμενον ἐνιαυτὸν hæc quæ nunc videmus esse eventura? Sed nihil me æque in admirationem rapit, atque una hæc cogitatio; quod ad liberandos Genevenses videatur Rex in Sabaudiam immissus, et ad illam extrema passam sæpius civitatem manu tua deductus. Quis Genevensium hoc ausus esset sperare? Quis vel animo φαντάζεσθαι? Sed neque Rex tale quid esset ausus suscipere; nisi aliud cogitantem, et, ut dixi, invitum hostis perfidia τοῦ ταῦτα οἰκονομοῦντος ad hoc bellum necessario suscipiendum compulisset. Hæc igitur cogitantem me et similia his multa, ἀφασία τελέως κατέχει. Quid si oculos ad res privatas meas transferam? Non minor et hic ἀφασία. Videbantur anni superioris initio

spes omnes aulicæ nobis periisse; et ita literis non unis ex aula magnates nuntiarunt. Repente spes affulsit clarior quam unquam antea; nec spes solum; sed mox res est exhibita. Neque adhuc habeo cur hujus regiæ conditionis me pœniteat. Sed lene hoc præ aliis χαρίσμασιν infinitis, quibus me, meam, ac meos anni prioris curriculo continuo fere affecisti. Ac tu quidem ita, æterne Deus. Nos autem quid? Primum, si quid minus male nobis cogitatum, dictum, actum, a te id omne et beneficii tui totum id est. Sed eheu, quanto intervallo recte facta, ab iis quæ secus, superantur? Sive meam, aut meos, aut ipsum me specto, O Deus, confiteor toto corde πάσης γέμομεν ἁμαρτίας. Itaque, O Pater clementissime, ad lacrymas et humiles preces confugio, teque supplex oro, obsecro, obtestor novi anni initio nova nobis corda fingas, ut innovata mente vi Spiritus Sancti tui ego, uxor, liberi, te omni obsequio adoremus, colamus, et summa animi puritate pietateque tibi assidue serviamus. In his constanter immorantem, O Deus, O Pater clementissime, tua benedictione dignare. Rerum mearum et studiorum conditionem ac statum, quis sit, vides. Non ego a te peto, des hoc mihi, aut illud: quin potius et me, et meam, et meos, studiaque adeo mea tuæ curæ, clementissime Domine, ecce committo, hoc unum te poscens, ut ope tua fulti ego, uxor, liberi ad tui nominis gloriam, ad ecclesiæ tuæ ædificationem, ad sa-

lutem nostram, nostra omnia cogitata, dicta, facta referamus. Et quoniam tua semper mihi memoranda benignitas matrem mihi servat adhuc (sic spero et opto) superstitem, per ego te illam *ἄφατον* bonitatem tuam oro, venerorque supplex, des illi, des sororibus et omnibus *τοῖς ἐν γένει* annum hunc et item alios multos feliciter inchoare, felicius agere, felicissime exigere. O votis annue, magne cæli terrarumque Arbiter, per Dominum nostrum te oro Jesum Christum, *τὸν μονογενῆ* Filium tuum, *τὸν μονώτατον Σωτῆρα τοῦ κόσμου*, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo sine principio sine fine fuit, est, erit. Amen. Amen. Amen.

IV. *Non. Jan.* Orsi et hunc diem a pietatis studiis, horas aliquot non male collocavimus, Dei Opt. Max. beneficio.

III. *Non. Jan.* Paucas horas studiis dedimus ob frigus, ob amicos, et alia negotia *Θεῷ δή, ᾧ ταῦτα δοκεῖ, δόξα καὶ χάρις.*

Prid. Non. Jan. Studia, amici, curæ. Sic vita truditur. Ades, mi Deus.

Non. Jan. *Τὰ ἐγκύκλια* serio, quantum per curas domesticas licuit. *Θεῷ χάρις.*

VIII. *Eid. Jan.* Hem curarum pelagus ingens: quod equidem quomodo *διαπερῶ* non scio. Sed tu, mi Pater, dabis præstare quod nunc videtur *ἀδύνατον.* Hac spe sola fretus sum. Ades igitur, O Pater, per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

VII. *Eid. Jan.* Diem Domino sacrum Domini cultui impendere par et æquum fuit. Sed nos multa sunt morata: quo nomine dolorem magnum capimus: an vero erit unquam, O Deus, cum verbi tui uberior nobis erit copia? O da nobis, Pater, hoc beneficium, et matrem simul, uxorem, me, liberos, sorores, ac affines mihi serva ἀπημάντους, per infinitam illam tuam misericordiam οὗ ἐν μονάδι τριὰς ἁγιωτάτη. Amen.

VI. *Eid. Jan.* Studia quantum per curas domesticas super hospitio inveniendo, quod da, O Pater; et simul alia μᾶλλον ἐπείγοντα. Γένοιτο.

V. *Eid. Jan.* Studia mane et vespera seria. Deo laus et honos.

IV. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια majore diei parte. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Jan.* Et hunc et duos superiores in lectione beati Chrysostomi posui: utinam non sine fructu: certe quidem non sine voluptate. Θεῷ χάρις.

Prid. Eid. Jan. Cum et ipse non bene, et uxor male haberet, studia fere omissa quod permolestum accidit, etsi benignitatem Numinis et primi Præsidis benevolentiam sumus hodie experti. Deo Opt. Max. gratiæ maximæ.

Eid. Jan. In Servio hodie fuimus, nec pœnitet operæ, etsi tempus inviti in grammaticalibus terimus. Sed hæc studiorum nostrorum ratio. Deo laus et grates maximæ, quod hæc otia nobis præstet. Utinam ad nominis sui gloriam.

XIX. *Kal. Feb.* Diem sacram in studiis sacris collocavimus. Sed Hablonem libentius ivissemus. Amici etiam multum nocuerunt studiis. Tibi, Deus mi, honos et gloria.

XVIII. *Kal. Feb.* Studia ἐγκύκλια Dei beneficio; partem tamen diei magnam literis scribendis impendimus.

XVII. *Kal. Feb.* Serius ad libros, sed diligentia tempus amissum sarcire conati sumus. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις, cui me, piam matrem, uxorem, liberos affectusque meos omnes supplex commendo διηνεκῶς.

XVI. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Scribebam ista post lucubrationem ad multam noctem, imo ad auroram fere, cum ego in museo, uxor in gynæconitide, sua uterque pensa alacri animo curasset; ego in lectione beati Chrysostomi fui occupatus; illa operibus Minervæ mire dedita strenuæ matris familias partes implet. Tibi quidem, O Deus, honos et gloria. Amen. Amen.

XV. *Kal. Feb.* Mane sero ad studia propter incommodissime transactam noctem, cum nos vexaret fœtor horrendus e vicinia ortus, ut lectum relinquere sim coactus. Quod potuimus, præstitimus, sed ita, ut horam daremus spectaculo illius equi Scotici mirabilis, hoc est θαυμαστά τινα δεδιδαγμένου, qui in urbe est. Deo Opt. Max. grates gratissimæ.

XIV. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Feb.* Et hodie per tuam, O Deus, benignitatem, diem inter libros egimus.

XII. *Kal. Feb.* En et hoc die infelicitatem meam. Κυριακὴ enim erat, et ad Domini cultum sacramque σύναξιν me meosque vocabat. Non ivimus tamen neque ego, neque uxor, neque quisquam meorum præter sororis filium. Tempestas erat pluviis obscœna: valetudo nostra labans. Sed hæc desiderium meum uxorisque non leniunt. Da, Pater, hujus rei facultatem, et matrem mihi serva incolumem, meque cum illa, uxorem, liberos et omnes meos. Amen.

XI. *Kal. Feb.* Feliciter inceptum diem non pari felicitate exegimus ob amicos. Sed laudetur Dominus Deus εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

X. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, sed multæ remoræ. Τῷ Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Feb.* Quod Deus vertat bene, relictis prioribus ædibus hodie migravimus in domum viri honesti D. Georgii. Da, Opt. Max. Deus, ut migratio hæc adferat aliquid commodi mihi, meis, et studiis meis, quæ hactenus incommodi non parum ex habitatione priore ceperunt. Hodie ad piam matrem et fratres, sororesque, qua Burdigalam, qua Genevam, literas dedi. Studia plane jacuerunt, quæ erige, ὦ σῶτερ. Amen.

VIII. *Kal. Feb.* Studia curavimus haud segniter, quoad licuit, tuo, ὦ σῶτερ, beneficio.

VII. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio non seg-

niter, etsi non sine interpellatione varia. O da, Pater, hoc otio bene uti. Amen.

VI. *Kal. Feb.* Chrysostomi Commentarium in Paulum hodie legere absolvimus: etsi multum a literis afuimus. Τῷ δὲ πολυελέῳ Θεῷ πλείστη ὅση δόξα καὶ χάρις καὶ νῦν καὶ εἰσαεί. Ἀμήν.

V. *Kal. Feb.* Hablonem hodie ivi satis incommodo tempore. Sed adfuit Deus, cui honos et gloria.

IV. *Kal. Feb.* Totus, eheu, dies aut paullo minus periit visendis proceribus. Δόξα τῷ Θεῷ.

III. *Kal. Feb.* O diem actum infeliciter, et quidem inter libros, cum tamen studiis nostris nullum fere hodie tempus impenderimus: ita vexant nos magnatum amicitiæ. O Deus mi, ades. Amen.

Prid. Kal. Feb. Mensi huic finem imposui, die inter libros acta, sed non iis studiis quæ cupiebam. Nam et hunc diem præstita opera P. P. mihi eripuit. Sequuntur jam alia impedimenta. Sed, O Deus, ades. Amen.

Kal. Feb. Quod Deus bene vertat, Februarium hodie inchoavimus, mensem mihi natalem, quem, O sancte Deus, da pie exigere, matri, mihi, uxori, liberis, et omnibus meis. Amen.

IV. *Non. Feb.* Mane ad Ronium, frustra: inde ad Præsidem principem non sine voluptate, ob illius amorem in literas. Tempus reliquum studiis, quantum licuit, tribuimus. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Jan.* Mane ad Ronium, frustra. O

tristem studiorum jacturam! Sed hæc pendit animus noster ἐνοίκια corpori huic. Tu, Pater, ades, et me meosque serva.

Prid. Non. Feb. Diem Deo τρισαγίῳ sanctam studiis linguæ sanctæ impendimus, quantum quidem per negotia licuit, nam, eheu, totum pene amissum tempus. Deo laus et honos.

Non. Feb. Diem inter libros egimus, sed non sine impedimento vel propter summum istud frigus. Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Feb.* Etsi domo hodie exiimus, non parum tamen in institutis studiis promovimus Dei beneficio, cui honos et laus εἰς αἰῶνας αἰώνων.

VII. *Eid. Feb.* Mane per aliquot horas studia: deinde toto die officia amicorum: tum iterum ad pensum rediimus non ingratum. Instituimus enim ante dies quinque paullo diligentius Græcarum dictionum origines in lingua Hebræa quærere. Et jam promovimus aliquantum non sine voluptate magna, utinam cum aliqua utilitate publica. Quod da tu, O Pater, et me meosque serva.

VI. *Eid. Feb.* Multum conati sumus bene diem collocare, etsi amici nos habuerunt. Τῷ δὲ πανελέῳ Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Feb.* O studiorum meorum infelicitatem! Ecce partim ignavia et indiligentia mea, partim occupationibus nihili perit mihi, proh dolor, perit pars optima et maxima diei hujus, imo omnium fere dierum. O ades, mi Deus, et onus, quo premi-

mur, subleva; meis porro studiis καὶ πᾶσι τοῖς ἐμοῖς benedice. Amen.

IV. *Eid. Feb.* Studia ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Feb.* Diem Dominicum pene totum nobis surripuit Suetonii recognitio, cum urgeret tabellarius Genevensis. Συγγίνωσκε, ὦ πολυέλεε Θεός. Amen.

Prid. Eid. Feb. Suetonius et literæ Genevam. Θεῷ χάρις.

Eid. Feb. Literæ, officia amicorum, studia leniter. Atque hoc die Suetonium Genevam misimus, quod opus Deus fortunet. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Mar.* Hunc diem non studia aut Musæ, sed partim amici, partim officia aulica sibi vindicarunt. Studiis vix paucæ horæ datæ. Sic vita perit. Sed ades, O Deus. Regem hodie sumus allocuti, et benevolentiæ signa ab eo nobis exhibita non lenia. Tibi, O Deus, πᾶσα χάρις.

XV. *Kal. Mar.* Studia varia: inprimis lectio historiarum Thuani viri maximi. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Mar.* Studia per horas aliquot; turbella dein nescio quæ. O ades, sancte Parens, et me meosque rege.

XIII. *Kal. Mar.* Mane sero ob pristinam vigiliam et ingratam et inutilem. Quod potuit mane institutæ collationi duarum literarum datum est, forte non inutiliter. A prandio aulica officia et amplissimi Cancellarii visitatio; deinde amici, tandem libri, mox cœna, inde cantus duorum psalmorum. Ita dies actus, ita etiam exactus

vitæ nostræ annus quadragesimus secundus. Itaque admonet me hic dies ut tua, Pater clementissime, Deus immortalis, in me in meos beneficia recolam, atque ob oculos mihi proponam. Sed tentantem me numerum eorum inire, lingua animusque deficiunt. Quæ enim lingua possit eloqui? quæ mens complecti, aut quæ servare memoria? Nam ex quo in hanc lucem tua nos jussit voluntas prodire, nulla dies, nulla hora, ῥοπὴ temporis fluxit nulla, quæ tuæ, O benignissime Domine, erga me indulgentiæ non aliquod mihi testimonium exhiberet. Ne vetera repetens propositum excedam, quid dicam de hoc anno? Incumbebat humeris nostris onus Ætna gravius, institutum dico opus in Athenæum, cujus editio ita diu me habuit sollicitum, ut fore nunquam crediderim sæpe, cum voti mei damnarer. Ecce liber absolutus est, editio volitat per studiosorum manus, nos molestissimo labore defuncti jucundioribus studiis animum applicamus. Immensum animo quidem meo istud, O Deus, est beneficium tuum: nam etsi parum est quod in eo opere præstitimus, illud tamen non parvum sed longe maximum est, quod cura molestissima sumus liberati. Erat ante annum sic incertus status noster, ut quid futurum nobis esset, conjectura assequi non possemus. Hunc quoque scrupulum, Deus æterne, tua bonitas exemit nobis. Fruimur enim Regis beneficio futuro ut videtur firmo, nisi per pietatis hostes ejus animus immutetur. Quod quidem si

eveniat, tum erit profecto cur gloriemur ἐν τῷ Κυρίῳ pro cujus nomine passuri fortasse ego meique aliquid simus. Ergo hoc quidem Divina providentia videbit et curabit: nos interea securi τὰς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εὐεργεσίας recensere pergamus. Cum cogitabam anno quantum itineris quam molesti conficiendum uxor haberet, cruciabar animi et mire sollicitus eram, nam et uterum gerebat conjux, et frequentibus λειποθυμίαις erat obnoxia, adde aliam curam de liberis, adde alia sexcenta, quæ me modis miris habebant exercitum. Tua, mi Deus, tua dextera auxilium mihi meisque præstans, et malo liberavit nos, et τοῦ εὐχαριστεῖν σοι infinitam materiam suggessit. Ac spero equidem valere piam matrem; certe quidem valemus hic omnes ἐπιεικῶς, et qui huc nuper venimus, et quæ nata hic est filiola. Cætera hujus anni munera tua si referre instituam, anno integro sit opus. Enimvero commemoratione longiore nihil est opus, si modo eorum memoriam animi medullæ penitus ut infigam, tu mihi, O Domine, dederis; quod equidem ut facias, supplex te veneror, et tuum adoro numen. Fac, O Deus, ita præterita beneficia tua quotidie in memoriam mihi revocem, ut nova promeream. Fac ut assidua eorum recordatio pro stimulo mihi sit meisque ad cultum Numinis tui vehementiore in dies zelo curandum. Fac denique, ut, priora repetens, fidem alere meam, et omnem de meorum liberorum commodis curam tibi ἀνατιθέναι pio ani-

mo assuescam. Largire hoc etiam mihi, O Pater, ut valente vigenteque matre uxorem, liberosque, et sorores atque affines omnes et bonis operibus ἀνθοῦντας, et corpore sano præsidiis ad vitam necessariis instructos ipse incolumis et χαίρων εὖ χαίρουσι videam. Exaudi, Deus Opt. Max., et votis meis esto ἵλεως ac propitius. Ναὶ δέομαί σου, ὦ Πάτερ ἐπουράνιε, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μονογενοῦς σου Υἱοῦ· ᾧ καὶ σοὶ μετὰ τοῦ Πνεύματος ἁγίου τὸ κράτος, ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen. Amen. Amen.

ANNUS VITÆ XLIII.

Quem quidem ut pie, sancte, et ex Lege tua, Deus æterne, exigam, supplex quanta maxima possum ἐκτενείᾳ te veneror atque obtestor eo impensius et vehementius, quo plura experimur in te colendo impedimenta, et ad impietatem irritamenta. Tu quidem, Deus immortalis, beneficio immortali fecisti ut tuto hic nec plane incommode, quod ad τὰ σαρκικὰ, degere vitam nobis liceret. Sed hanc ἀνθρωπίνην, ut ita dicam, εὐτυχίαν comitatur grande malum, et ὡς ἔπος εἰπεῖν, πνευματική τις ἀτυχία. Quod enim suavissimum homini pietatis studioso ducimus, pio inquam cœtui interesse, et in ecclesia tuas laudes prædicare, id nos ægre hic possumus; raro enim Hablonem eundi datur facultas. Quæ res jure merito molestiam maximam nobis affert. Vel de hoc die quam turpe mihi, quam impietati proximum

quod illuc non iverim? Etsi volui quidem: atque in ea spe diu fui. Quid factum sit, cur non iverim, scis, Pater clementissime. Sed factum non excuso. Nam si in animo meo is vigeret pietatis sensus, quem par erat, neque hoc, neque eo graviora impedimenta profectionem meam impediissent. En quod verum est confiteor tibi, Deus æterne: languent nimirum in meo, in meorum animis pietatis studia. Quæ tu, O clementissime Pater, excita, accende, intende. Hoc primum a te beneficium, hoc unicum, si ita Numini tuo placet, mihi ac meis expeto. Ne siris, O Domine, ut languor in fastidium vertat, ut fere amat fieri in talibus. Quin tu potius cor novum finge mihi meisque: fac denique, ut sic posthac vivamus, ut simus aliis in exemplum et pietatis et omnium virtutum. Sciant isti, qui mentem nobis tanto conantur studio pervertere, non ita aversum a me aut meis esse te, Deus Opt. Max., ut periclitari in re fidei, nedum perire metuamus. Proponitur Regis animus brevi immutandus; odium publicum, quo hic ἐξόχως laboramus nos; periculum prope manifestum, siqua fiat immutatio. Adjice nunc montes illos aureos quorum promissione tentare fidem nostram multi multoties sunt aggressi. Sed mihi meisque ima prius tellus dehiscat opto, et te supplex oro, Deus τρισάγιε, quam ut istiusmodi vocibus ullus sit apud nos locus. Quid me, quid vos amici circumvenitis? Pietas agitur, et erga Deum officium. Vos mihi mundum et res mundi ob

oculos ponitis? O curvæ in terras animæ cælestium inanes. Sed non desunt, qui alia aggrediantur via, et antiquitatem ecclesiæ occinant: quam et nos pie veneramur. Veram dico et vere antiquam antiquitatem, cujus imago in Actis Apostolicis et libris aliis sacris extat expressissima et verissima. Ad hanc provocamus, ad hanc collimandum et ecclesiæ καὶ δόγματα καὶ πολιτείαν debere exigi contendimus. Hanc fidem, hanc mentem indidisti tu, Deus clementissime, animo nostro, hanc ut servemus usque ad vitæ extremum halitum iterum iterumque supplex te obsecro, quæsoque. Da mihi, Pater ἐπουράνιε, da uxori, da liberis magis magisque in vera fide cottidie confirmari. Lætetur pia mater, cum nostram etiam in adversis, si ita lubet tibi, constantiam in professione fidei assiduis nunciis intelliget. Votorum meorum, Deus τρισάγιε, hæc summa est, firmes et me et meos in vera pietate: desque nobis ejus exercendæ, piosque cœtus celebrandi majorem quam nunc habemus facultatem. Cætera mihi meisque necessaria vitæ hujus præsidia sic a te peto, si ad gloriam tui Numinis, et nostram omnium salutem ea res sit spectatura. Exaudi, Deus Opt. Max., per Jesum Christum Filium tuum unicum, te oro γονυπετὴς per unicum illum mundi σωτῆρα, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo sine principio, sine fine, εἰς μίαν θεότητα συνουσιωθεὶς μᾶλλον δὲ ὁμοουσιωθεὶς vivit, regnat, vivet, regnabit εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen. Amen.

XII. *Kal. Mar.* Cum hæc scripsissemus, et in hujus generis cogitationibus horas aliquot posuissemus; tum ad studia animum convertimus, quibus, O σῶτερ, benedice. Amen.

XI. *Kal. Mar.* Mane studia: a prandio tempus amici eripuerunt pene totum: proh dolor, quoties hoc unum queror? Sed, mi Deus, satis est mihi, si in timore tui proficiam cum meis.

X. *Kal. Mar.* Mane studia; a prandio amici iterum, aut potius inimici: inde iterum ad studia. Τῷ παγχρίστῳ Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια: deinde amici, et quidem τὸ σοβαρὸν Ronium. O Deus, meliora: sed expectemus. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Mar.* Mane serius ob insomniam ex casu quo pene sumus ego atque uxor consternati. Studia, deinde amici, et iterum studia. Domine Deus, ades mihi, ades meis omnibus. Amen.

VII. *Kal. Mar.* Hodie cum amplissimo Præside Thuano in ipsius suburbanum sumus profecti; et eam libenter occasionem captavimus eundi σύν γε τῷ Θεῷ die Dominica Hablonem, qui locus non longe ab illius fundo distat. Tu interea, O Deus, uxorem hic et liberos serva, qui adsunt, matrem alibi, et qui alibi sunt liberi nostri, καὶ τοὺς συγγενεῖς ἅπαντας. Amen.

VI. *Kal. Mar.* (*Manus uxoris*) Ce jourduit Monsieur Casaubon a este absent, que Dieu veulle garder et moi et les nostres avec lui. Amen.

v. *Kal. Mar.* Spe quidem illa quam habebam de profectione ad locum piarum *συνάξεων* excidi hodie; neque enim poterat fieri, ut sperabam. Atque eo nomine multum doluimus. Cæterum quod salvum ad meam et meos hic liberos me redire dederis, O Deus, et Domine, supplex ago tibi gratias, preces adjiciens humillime ut per Jesum Christum *τὸν μονογενῆ* tuum Filium nos porro serves et omnes nostros, maximeque piam matrem *τό τε σῶμα καὶ τὴν ψυχήν*. Amen.

iv. *Kal. Mar.* Τὰ *ἐγκύκλια*: sed non sine maximis impedimentis: quicquid est, *τῷ Θεῷ χάρις*.

iii. *Kal. Mar.* Τὰ *ἐγκύκλια*: occupationes tamen non paucæ, et quidem molestissimæ, quibus, O Deus æterne, spes mea unica, libera me. Amen.

Prid. Kal. Mar. Et negotia quædam alia, et dolor e re domestica studiis hoc die non parum nocuerunt. Semper enim *ἄτῃ παλαίομεν* quorundam iniquitate. Hoc die rogati sumus ad cœnam a Præside Canaio, qui quoniam procul a nostris ædibus abest, et ut noctem secum exigeremus rogavit. Multa de Religione egimus: cum ille Romanam nobis conaretur approbare, nos illum ab hominibus ad Dei verbum revocabamus. Sedenim, ut video, conclamatum est. Tu igitur, O Pater, miserere nostri, et in vera fide me ac meam et meos omnes firma per Jesum Christum Filium tuum qui una tecum et Spiritu Sancto regnabit *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

Kal. Mar. Studia quanta poteramus diligentia.

Sed cruciant nos domesticæ curæ. Hodie expertus sum vanitatem vanissimi hominis G. qui montes aureos pollicitus tot literis et quidem ultro, rogatus de re nihili, ingenii vitium prodidit, et quidem turpissime. Tu igitur, vanissime mortalium, tuas res tibi posthac habeto. Σὺ δὲ, ὦ Θεὸς, βοήθει. Amen.

VI. *Non. Mar.* Studia prout licuit, inter curas hasce domesticas. Θεὸς δὲ βοηθοίη.

V. *Non. Mar.* Studia non segniter. Θεῷ χάρις, qui per affinem charissimum Henricum Stephanum cura non mediocri me liberavit. Κείνῳ δόξα καὶ κράτος לְעוֹלָם.

IV. *Non. Mar.* Hodie Hablonem ivi, et redii mox. Τῷ Θεῷ πλείστη χάρις.

III. *Non. Mar.* Hodie non exivimus, et si per amicos licuisset, non promovissemus parum in incepta collatione duarum linguarum, cujus operis primam velut σκιαγραφίαν hodie absolvimus. Itaque tibi, O Deus, honos et gloria. Amen.

Prid. Non. Mar. Amicis, non nobis viximus. O Deus, et Domine, βοήθει. Amen.

Non. Mar. Literæ Genevam: inde varia negotia et multa impedimenta. Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια inter varias curas, quibus, O Pater, me libera, et ad voluntatem tuam exequendam dirige, meque, et matrem, uxorem, liberos, sorores et affines consanguineosque serva per Jesum Christum et Spiritum Sanctum tuum.

VI. *Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια Dei Opt. Max. beneficio, cui omnes nostras curas et sollicitudines ἀνατιθέμεθα. O ades, O Domine, O σῶτερ.

V. *Eid. Mar.* Diem Domino sacram ex parte insumpsimus lectioni Patrum. Atque hoc die animadvertimus primum errorem nuper admissum, cum de loco Chrysostomi in Epistolam ad Thessalonicenses pro Ebroicensi pronunciatum est. O da, Deus, ἄλλοις ἐν ἐσλοῖς. Quanquam de eo loco memini diu cum Episcopo serram me reciprocasse: frustra: tua unius, O Domine Deus, dextera Ecclesiam tuam proteget.

IV. *Eid. Mar.* Mane studia: deinde die toto liber non inspectus ob negotia. O respice nos, Domine. Serva etiam familiam nostram universam, quæ quidem, ut heri didici, ex literis matris fratrisque, valde afflicta nunc ob gravissimum sororis morbum, quæ etiam de statu mentis diu periclitata oculorum usum pene in totum amisit. O gravem mihi nuncium! O σῶτερ, serva illam et pristinæ valetudini ἀπαξαπλῶς restitue, oro te supplex per Jesum Christum Filium tuum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit regnatque ἀπεριορίστως. Amen.

III. *Eid. Mar.* Et hic dies funditus periit. Veni ad Ronium, qui non obscuram significationem dedit ejus quod ab ipso possum sperare. Deserunt nimirum omnia undique humana præsidia, nisi tu, O Pater ἐπουράνιε, nos respicis, quod et, spero, facies.

Prid. Eid. Mar. Mane studia ob literarum scriptionem neglecta: deinde amici, et iterum epistolæ. En vitam nostram. Sed bene quod non est ignorantia summum malum. Quid tum enim si prius morimur, quam multum in literis profecerimus? Tu modo, O Pater, da in pietate vera proficere, et timorem tui nominis mihi meisque infunde omnibus. Amen.

Eid. Mar. Hodie nobis Dei gratia et libris nostris viximus.

XVII. XVI. *Kal. Apr.* Mane studia: a prandio amici, et studia. *Θεῷ χάρις.*

XV. *Kal. Apr.* O dolorem! Ne hodie quidem Hablonem ire potuimus. Ades, cæli Rector, et me meosque dirige ad finem rectum. Amen.

XIV. *Kal. Apr.* Cum hodie mane summo museum essemus ingressi, ibique diu hæserimus, libros tamen vix inspeximus, ac ne vix quidem. Æstuamus enim curis et multis et gravibus. Prodimur a Ronio: deserimur ab aliis. Thuanus *ὁ πάνυ*, et si qui alii nobis serio cupiunt, apud illum barbarum *παρ' οὐδέν εἰσι.* Quid fiet? Deum videlicet respiciemus, qui solus adhuc studiis nostris fuit præsidio. O respice igitur nos, Deus æterne, et his molestiis brevi libera. Et, certum est, liberabis nos. Itaque abitum jam paramus. Ea fine libris nostris renunciamus, solis illis *σὺν Θεῷ* operam daturi, quos alibi nancisci non possemus, hic possumus ægre quidem, sed tamen possumus.

Hujus generis sunt libri regiæ bibliothecæ; libri editi quos non habemus, nec parare nobis possumus. In his erimus studiis, dum hic erimus. Tu, Parens æterne, ceptis benedice. Amen. Percurrebam hodie animi æger Unonis Carnotensis Episcopi epistolas. Liber est ope duorum eruditissimorum virorum editus P. Pithæi, et Jureti, qui a Pithæo adjutus erudita valde et pia epistola opus ipsi nuncupavit. Et est lectione digna epistola Jureti, qui, cum unus sit e clero, libere tamen de clericorum et episcoporum qua olim, qua nunc quoque perditissima vita (bonos excipimus) conqueritur. Etiam adversus Romanum Pontificem satis pro homine ejus ordinis παρρησιάζεται, dum Unonem laudat et utilitatem ostendit scriptorum ejus, qui aliquando grassantes nequiter per Galliam Pontificis Romani legatos repressit pro virili: itemque alia multa cum ab Episcopis vitæ dissolutæ, tum a corrupta nobilitate perpessus est. Libros Græcorum τακτικοὺς hodie legere cepi, nactus in Regis bibliotheca. Χριστὸς εἴη βοηθός.

XIII. *Kal. Apr.* In suscepto penso aliquid Θεοῦ βοηθοῦντος promovi. Illi laus et gloria.

XII. *Kal. Apr.* Mane positum non male: reliquum diei periit penitus. O dolor! Sed, O Deus, veræ pietatis sensu me meosque bea: et facile omnia alia contemsero. Amen. Hodie furtum sui et vestium quas dederamus, necnon aliarum

rerum fecit puer a pedibus. Et magnas tibi, O Deus, gratias agimus, quod tam leni damno doceri nos voluisti.

XI. *Kal. Apr.* Mane studia: a prandio amici, et iterum studia. Τῷ Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Apr.* Mane studia: deinde amici et negotia, quæ quidem per nobis sunt molesta, maxime cum videamus intimos amicorum liberiore fortasse querimonia nostra gravissime offendi. Quid faciam? Tibi nempe, O sancte Parens, incumbimus soli. Tu me eripias his molestissimis incommodis. Amen.

IX. *Kal. Apr.* Vixi hodie mihi, et Dei benignitate in studiis promovi aliquantum. Illi honos et gloria. Amen.

VIII. *Kal. Apr.* Ne hodie quidem Hablonem ivimus, quod ægerrime ferimus. Vocati ad prandium a Præside Canaio varie tentati sumus, et per Dei gratiam mirifice in veritate sumus confirmati. O Pater veritatis, ades, et da animum, da facultatem refellendi mendacii. Amen.

VII. *Kal. Apr.* Totum diem extra libros et studia ἐγκύκλια egi. Rogatus sum ad prandium a veteri amico D. Canaio a Fraxinis. Sed non tam prandii caussa vocabamur, quam ut de religione disputaremus. Vir namque ille optimus, mutaturus brevi religionem, id agit unum ut jure et justis de caussis commotus, eo compulsus videatur fuisse. O miram humani ingenii infirmitatem. Quid enim sumus? Nempe omnis homo

πάσης ἀκαθαρσίας εἰκών. At tu, Deus æterne, qui ut unus et veritatem fidei et ecclesiæ docuisti, da ecclesiæ tuæ ut in veritatem quæ tibi probetur consentiat. Da nobis in puriore doctrina constantiam tenere constantissime. Amen.

Dedi commodato Notarum librum MS. Frid. Lindenb. Item Morello Persium MS. cum Cometa ac Beda aliisque.

VI. *Kal. Apr.* Domi inter libros die toto vix librum inspexi: adeo infeliciter mecum actum. Θεοῦ δὲ τελειούσθω ἡ βουλή.

V. *Kal. Apr.* Percurri hodie More Nebucim τοῦ Rambam, nec pœnitet operæ; sed et hodie amici nos cruciarunt. O da, Pater, otium et τὸ ἀμέριμνον ad opus instituendum et pangendum quod vix adhuc vel εἰς νοῦν λαβεῖν audemus. Fiat, O Deus, voluntas tua.

IV. *Kal. Apr.* Mane studia: a prandio negotia: sic vita est. Τῷ δὲ Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Apr.* Mane studia: a prandio amici, si tamen amici sunt, qui omne tempus mihi furantur. O dolorem gravem! Sed tu, Deus æterne, ades, et me rege.

Prid. Kal. Apr. In Aluaresii Æthiopicis hodie fuimus, nec pœnitet operæ. Θεῷ χάρις et pro diei beneficio, et pro feliciter exacto mense. Sed, O Pater, æstum animi meum atque uxoris vides. En ades, et nos serva. Amen.

Kal. Apr. Mensem hunc beneficio Dei a verbi divini auditioni inchoavimus. Hablonem enim ivi-

mus; unde reversi amicis, vel potius studiorum meorum inimicis, operam dedimus. Postremo in Chrysostomo aliquid operæ posuimus. Placet enim eximie nobis viri illius vere divinum eloquium. Inter cætera notabamus hoc illius sane quam *ἀπότομον* dictum p. 1705. *ψυχὴ τιμῆς ἐπιθυμοῦσα καὶ τοῦ δοξάζεσθαι οὐκ ὄψεται τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.* O dictum grave, cujus vim, O Deus, animo infige nostro intimo. Amen.

IV. *Non. Apr.* Mane studia; a prandio sermones cum viris multis gravibus; in his cum Gasco pastore Ecclesiæ Dei fidelissimo et cum Constante viro forti et pio. Ceptis Deus benedicat. Amen.

III. *Non. Apr.* Mane studia: deinde negotia, et literæ Genevam. Deus Opt. Max. et illos et nos servet. Amen.

Prid. Non. Apr. Studia per horas aliquammultas. Hodie accepi scriptum Jesuitarum Burdigalensium quo exultant de perversione Canai, cui et me comitem adjiciunt. Deus Opt. Max. omen obruat, illisque pœnitere, nobis recte de pietate semper sentire duit. Amen.

Non. Apr. Quod Deus bene vertat, cepi hodie Romanæ historiæ scriptores recensere Genevam mittendos ut ibi edantur. Eram quidem in aliis studiis, sed amici et rerum mearum status ad hanc operam me adigebant. Itaque, O Deus, da principium, da finem lætum, oro te supplex per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum

unicum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo sine principio, sine fine vivit, vincit, regnat *καὶ νῦν, καὶ ἀεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Amen.

VIII. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, et horæ aliquot in novo penso positæ; reliquum amici ut perderem fecerunt. O Deus, quæ hæc calamitas? Sed fiat voluntas tua sancta, O sancte Parens.

VII. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, sed per maximas animi anxietates. Verum ades, O σῶτερ, καὶ βοήθει.

VI. *Eid. Apr.* Mane studia: deinde negotia, et librorum MSS. tractatio, quibus da recte uti, O Deus, ad gloriam tui nominis. Amen.

V. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια mane quidem, sed a prandio amici et negotia. Τῷ Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, quod quidem per negotia licuit. Θεῷ χάρις.

Prid. Eid. Apr. Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

Eid. Apr. Mane studia, etsi multi adfuerunt amici: a prandio autem vix libri inspecti. Quid facerem? Θεῷ δόξα καὶ τιμὴ æternum. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* Horas plusculas bene hodie collocavi Dei beneficio: cui honos et gloria. Amen.

XVII. *Kal. Mai.* Hablonem hodie ego, uxor, filia, et familia prope omnis ivimus. Deo Opt. Max. honos et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων.* Amen.

XVI. *Kal. Mai.* Et hunc diem magna ex parte amici ut perderem fecerunt. Dolerem, nisi juvarent me sermones habiti cum Molinæo et altero

ministro Scoto olim mihi Genevæ noto. Narrabat ille motus in ecclesiis Scotiæ, quas, O Deus, serva et nos cum ipsis. Amen.

XV. *Kal. Mai.* Mane studia, item a prandio, si per amicos licuisset. Θεῷ δὴ χάρις. Amen.

XIV. *Kal. Mai.* Mane studia: inde negotia: O eripe me his, æterne Deus, angustiis. Amen.

XIII. *Kal. Mai.* Θεῷ χάρις, domo egressi non sumus, at amici ad nos advenerunt multi: iterum iterumque Θεῷ χάρις. Amen.

XII. *Kal. Mai.* Quantum per amicos licuit, non fuimus otiosi. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Mai.* O Domine, quanta sunt tua in me beneficia? Jam enim dies advenit, cum ad sacram cœnam vocamur, cui da, Domine, ut nos præparemus ex præscripto sanctissimi Apostoli tui. Amen.

X. *Kal. Mai.* Reversus Hablone hæc scribebam: ut tibi, O Pater, immortales gratias agerem, quod mihi uxorique dederis sacræ cœnæ a Jesu Christo Filio tuo institutæ participare. Incredibile ex eo beneficio hodie ego atque illa gaudium percepimus. Enimvero quid homini Christiano gratius accidere queat conjunctione hac cum Filio Dei, et tam certo æternæ salutis pignore? Sed, O Deus τρισάγιε, ne in perniciem nobis vertat hoc ingens bonum, propter peccata nostra, et ἀχαριστίαν, quæ in nobis, supplex te etiam atque etiam oro. Firma, O Pater, me, meam, et nostros omnes in vera fide: da adversus omnes casus fortem animum,

et firmam constantiam. Fac, O clementissime Pater, proficiamus per hæc tristissima exempla quæ quotidie videmus evenire. Cujusmodi est illud sane quam lugubre, quod superioribus diebus Cavarone accidisse templo egrediens hodie didici. Utinam quidem rumor sit falsus, neque tantum in ecclesia Dei per insignem adeo virum ejus pastorem scandalum sit commissum. Cæterum anxius mihi animus nimis. Quid dicam de Pylade meo veteri? Philippum dico Canaium a Fraxineto, qui cognitæ veritati, quam tot annos est professus, nuper renunciavit, ad vomitum ὁ τλήμων reversus. Scis tu, Deus καρδιογνῶστα, quam me ea res prope afflixerit, et quia majestatem tui Numinis violatam ab eo viro censemus: et quia propter notam publice amicitiam nostram multis persuasum est, perfidiæ in Deum editum ab illo exemplum brevi a nobis esse æmulandum. Mihi vero μυριάκις, si potest, χάνοι εὐρεῖα χθὼν prius quam de cognita veritate vel ἰῶτα ἓν demutemus. Itaque simul ac de Canaio actum esse animadvertimus, veterem cum ipso amicitiam non dissolvimus sed abrupimus. Et jam mensis est fere, cum illum non vidimus, nec posthac videre laboramus. Hunc animum dedisti tu mihi, O bone omnis auctor unice, Deus τρισάγιε. In hac voluntate ut ego, mea, nostrique omnes perseveremus effice, mi Deus, per misericordiam Filii tui Domini nostri Jesu Christi qui una tecum et Spiritu Sancto tuo sine principio sine fine regnat. Amen.

IX. *Kal. Mai.* Mane turbellæ a domesticis: a prandio amici: inde studia, ut potuit. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Mai.* Studia leniter procurata; totus enim fere dies inter amicos actus. Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Mai.* Horæ aliquot bene positæ: reliquum diem amici aut negotia occuparunt. Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Mai.* Mane studia: a prandio officia, et, ut videtur, initium novarum rerum. Θεὸς βοηθὸς εἴη.

V. *Kal. Mai.* Studia, officia, et amici ex æquo fere diem hunc inter se diviserunt. Veruntamen laus omnipotenti Deo.

IV. *Kal. Mai.* Mane amici ad proceres me rapuerunt negotiorum suorum caussa. Interea de meis aliquid cognovi. Et videtur Deus Opt. Max. altera manu nos hinc pellere, altera alio deducere velle, ubi spes est honesti alicujus otii. Quod, O Pater, da mihi, si eo recte usuri sumus ad nominis tui gloriam, et ecclesiæ tuæ ædificationem, meamque et meorum salutem, cum aliqua ῥαστώνῃ et τῶν πρὸς τὸν βίον εὐπορίᾳ. Amen.

III. *Kal. Mai.* Diem sacrum non ut voluimus collocavimus, sed ut necesse fuit. Τῷ δὲ παναρίστῳ Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Mai. Hunc diem non male collocavimus, domo enim egressi non sumus. Ita mensis actus. Deo Opt. Max. grates gratissimæ.

Kal. Mai. Quod bene sit, mensem non illætabiliter inchoavimus: multi enim fuimus in studiis.

Tu, O æterne Parens, da et mensem hunc, et quantum superest, mihi meisque, atque in primis piæ matri lætum ac faustum procedere. Amen.

VI. *Non. Mai.* Mane studia: a prandio amici, et nugæ. Da, Pater, aliter vitam disponere.

V. *Non. Mai.* Mane paucæ horæ non perierunt, at reliquum totum. O Deus, ades.

IV. *Non. Mai.* Et hujus diei par fortuna. Me miserum! Quid me fiet et studiis meis? Sed Deo *τρισαγίῳ* honos et gloria. Amen.

III. *Non. Mai.* Domo non exiimus, libellulos lectitavimus, et ad synodum Gergaviensem literas dedimus nostræ in vera religione constantiæ testes ac velut obsides. O Deus æterne, fac ut et facta et dicta omnia mea ac meorum gloriæ nominis tui et Ecclesiæ ædificationi inserviant. Amen.

Prid. Non. Mai. Diem sacrum quantum potuit, sacris studiis impendimus. Uxor Hablonem interea ivit cum filia. Deus, ades, et nos serva.

Non. Mai. Fuimus in Chrysostomi lectione. Τῷ Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Mai.* Idem studium. Chrysostomus in Πράξεις Gr. MS. Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Mai.* Hablonem ivimus, jejunium pro nostris privatim et universæ Ecclesiæ peccatis celebraturi. Cui consilio benedic, misericors Deus, et per sanguinem *τοῦ μονογενοῦς σοῦ Υἱοῦ* dele delicta nostra, et per Sanctum Spiritum tuum novum in nobis crea animum. Amen. Ivimus igitur,

et per multas difficultates vix ac ne vix quidem voti compotes sumus facti. Nam ab esu quidem potuque abstinuimus, sed audiendarum concionum trium, uti sperabamus, facultatem nobis eripuit temporis injuria. Navi ferebamur, quæ variis de caussis lente iter confecit, nec sine aliquo periculo ob vim repugnantium votis nostris ventorum. Jam ergo prima concio fuerat habita, secundam audivimus, etiam tertiæ initium: sed statim imber (eramus enim sub dio) vehemens disjecit nos, et in navem compulit. Ibi vero βρεχθέντες ἐπιεικῶς, ut tempus falleremus, Primasii in Apocalypsin Commentarium legebamus. Deus æterne, veneror supplex Numen tuum, liberes ecclesiam Parisiensem hisce incommodis, aut, si aliter videtur majestati tuæ, firmes nos omnes ad ista et majora his incommoda fortiter toleranda, per misericordiam Filii tui Jesu Christi, cui una cum Patre et Spiritu Sancto honos et gloria καὶ νῦν καὶ εἰσαεὶ εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VI. *Eid. Mai.* In libris fuimus, eoque nomine tibi, O Deus, gratias agimus. Sed terret nos nuncius, vel potius rumor ἀδέσποτος, quem accepimus sub vesperam de capta, quod ne sirit Deus, Geneva. Quin tu, Pater clementissime, urbem tamdiu tibi tantopere charam perge conservare, et ab omni periculo liberare per misericordiam Filii tui Jesu Christi τοῦ σωτῆρος τοῦ κόσμου, cui

cum Patre et Spiritu Sancto honos sit et gloria sine fine. Amen.

v. *Eid. Mai.* Quod de Geneva capta heri audiveramus, hodie falsum esse intelleximus. Itaque æternas, æterne Deus, tibi gratias agimus.

IV. *Eid. Mai.* Quod potuimus temporis lectioni Chrysostomi in Acta dedimus, et id pensum exegimus Dei beneficio. Liber erat Præsidis Thuani MS. neque adhuc is liber Gr. editus. Hæc igitur hoc die, atro alioquin propter domesticas turbellas inter uxorem et ancillam, quibus, O clementissime Domine, præstes, te precor, ut nolint disputare. Deus, illarum et mei meorumque omnium miserere. Amen.

III. *Eid. Mai.* Heri cum Præside Thuano Villambonam profectus, hodie sum reversus, non male positis aliquot horis, etsi illud male, quod neque ego, neque meorum quisquam Hablonem hodie ivit. Deus æterne, supplex te oro des vivere in tui Numinis timore, te vereri, tibi placere, et quietem domesticam tenere. Amen. Amen.

Prid. Eid. Mai. Studia, hoc est, Excerpta e Chrysostomo in Acta Apostolorum quæ utinam aliquando sint utilia. O da, Pater, rectum studiorum finem. Amen.

Eid. Mai. Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια per aliquot horas. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια mane: sed reliquum

diem amici sibi vindicarunt. Σὺ δὲ, ὦ σῶτερ βοήθει et mihi meisque, et studiis etiam. Amen.

XV. *Kal. Jun.* Mane studia leniter: a prandio nihil. O ades, Deus æterne.

XIV. *Kal. Jun.* Studia leniter: negotia deinde: et amici. Tu, Deus æterne, libera me his incommodis, et da, ut in timore tui nominis tota hæc domus, pia, inquam, mater, ego, uxor, liberi, et omnes vitam hanc exigamus. Amen.

XIII. *Kal. Jun.* Hablonem hodie cogitamus σὺν τῷ Θεῷ. Et vero ivi, rediique, uti spero, salvus atque incolumis: etsi cum ista scribebamus, male habebamus ob diei tempestatem obscœnissimam. Et nos pedibus iveramus. Tibi igitur, clementissime, benignissime Domine, honos, laus, gloria et προσκύνησις καὶ νῦν καὶ εἰσάει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

XII. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Jun.* Mane aliquid: reliquum tempus misere periit. O Deus, ades.

X. *Kal. Jun.* Anastasio Græco patri, sed nec antiquissimo neque doctissimo, diem impendimus. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Jun.* Anastasio quodcunque fuit otii impendimus. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια, i. e. libri MSS. Θεῷ χάρις. Amen.

VII. *Kal. Jun.* Mane toto ne litera quidem aspecta una: a prandio amici et studia. Deus

otium ad ea quæ molimur duit, si facit inceptum ad ejus gloriam. Amen.

VI. *Kal. Jun.* Hablonem ne iremus, impediit primum valetudo, deinde literæ Genevam scribendæ, quæ me fere totum diem tenuerunt. Mallem fuisse in studiis. Sed, O Pater, da vitam aliter posse disponere.

V. *Kal. Jun.* Dies totus periit. Sed dabis, spero, meliora, O Deus, quod ut facias supplex te oro. Amen.

IV. *Kal. Jun.* Nugæ et hoc die, hoc est, amici et officia, vix una aut altera hora bene posita. O Deus, miserere mei.

III. *Kal. Jun.* Mane periit procurandis negotiis cum illustrissimo Duce Bullioneo. Misi Sedanum τὸν ἀδελφιδοῦν certas ob caussas tibi, Deus æterne, notas. Et oro te, Deus mi, ut ceptis benedicas. Amen.

Prid. Kal. Jun. Diem domi egimus, et nisi quod horas multas amici abstulerunt inter libros fuimus. Ita mensis actus. Deo Opt. Max. honos et gloria. Amen.

Kal. Jun. Diem egimus in libris præsertim sacris; deinde et inter amicos; tum autem ad amicos maximeque ad matrem literas scripsimus. Tibi igitur, Deus æterne, honos et gloria pro inchoato non infeliciter mense, quem da feliciter exigere. Amen.

IV. *Non. Jun.* Studia, amici. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Jun.* Hablonem ituri hæc scribebamus; cui cepto Deus benedicat, et mecum uxorem, filiamque itineris comites servet. Amen. Salvi et incolumes etsi per magnum æstum rediimus, tibique, O Pater, eo nomine gratias agimus.

Prid. Non. Jun. Studia ut potuimus, *καὶ τούτου γ' ἕνεκα τῷ Θεῷ χάρις.* Sed, O Deus, O Pater clementissime, quid illud est quod per tot jam menses jactatur de parato exercitu ad obsidionem Genevæ? Sane quidem, O Pater, tui ipsorumque hostes omnia moliuntur, ut eam urbem funditus deleant. Sed tua clementia, spero, furori illorum habenas non laxabit. Sic spero in Christo, cujus nomine, ut te ecclesiæ tuæ misereatur, supplex oro atque obtestor. Amen.

Non. Jun. Mane studia: a prandio amici, et antiquitatum Romanarum apud Architectum eximium inspectio non sine voluptate. Vidimus et Ægyptiacas tabulas *ἱερογλυφικὰς* non paucas. *Δόξα τῷ Θεῷ.*

VIII. *Eid. Jun.* Τὰ *ἐγκύκλια,* quantum licuit. Τῷ *παναρίστῳ Θεῷ δόξα.*

VII. *Eid. Jun.* Τὰ *ἐγκύκλια* utcunque per aliquot horas. Gratias tibi, Domine Jesu.

VI. *Eid. Jun.* Τὰ *ἐγκύκλια* per horas aliquot, *τῷ δὲ Θεῷ χάρις καὶ δόξα. Ἀμήν.* Hodie intellexi de Regis voluntate. Ego vero tibi, O Pater, hoc negotium committo.

V. *Eid. Jun.* Τὰ *ἐγκύκλια τὸ γοῦν καδδύναμιν, τῷ Θεῷ χάρις.*

IV. *Eid. Jun.* Dies erat Κυριακὴ, et quidem ob festum Πεντηκοστῆς insignis. Et tamen Hablonem ne iremus, multa nos impediverunt. Tu, Domine clementissime, his me et meam libera incommodis, et plenam tui colendi redde nobis potestatem. Amen. Amen.

III. *Eid. Jun.* In Galatino et Reuchlino fuimus per hosce dies, nec pœnitet insumti in illorum lectione temporis, etsi non carent eruditi homines suis magnis nævis, de quibus si voles tu, O Deus, utiliter fortasse aliquod disputabimus.

Prid. Eid. Jun. Rediit hodie Sedano ὁ ἀδελφιδοῦς, et omnia narrat pene ex voto. Itaque inclinamur eo. Sed tua in manu est, O Deus, decernere, quid sit opus facto, quod ut mihi digneris indicare supplex te oro, atque obtestor. Amen.

2 Volumen Ath. preste a mon Cousin.

Eid. Jun. Die toto amisso, pauculas horas sacris studiis impendimus. Et ut vitam iisdem curis impendamus totam, supplices te, O Deus, oramus. Amen.

XVIII. *Kal. Jul.* Studia, literæ, amici, O Deus, eripe curis istis. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Mane pene amissum totum. A prandio adhuc avocamenta multa: deinde studia et Jeremiæ prophetæ lectio: tum historia Thuani. Atque hæc quidem inter anxietates et plurimas et molestissimas, quibus, O Pater, libera me, oro te supplex per Jesum Christum Filium tuum, qui

una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat a principio regnaturus æternum. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Studia præsertim sacra, admonente die crastina, qua si Deus dabit, sanctæ cœnæ eramus participes futuri. Cujus mysterii vires, O Pater, da mihi uxorique, ac meis omnibus ita percipere ut operibus tibi gratis *ἐνέργειαν* tanti mysterii in nobis efficacis omnibus probemus. Amen.

XV. *Kal. Jul.* Quod Deus vertat bene, iturus Hablonem hæc scribebam, non sine aliqua de uxore sollicitudine, quæ uterum gerens a succussatione currus sibi metuit: sed omnino erat eundum: neque aliter poteramus commode. Itaque imus, O Pater, et te supplices oramus, velis virtute Spiritus Sancti tui efficere nos vere participes corporis *τοῦ μονογενοῦς* Filii tui Jesu Christi Domini et Servatoris nostri. Amen. Ivimus, rediimus, utrumque *ἀπημάντῳ ποδὶ, χάριτι τοῦ παντα-γάθου Θεοῦ· ᾧ ἡ δόξα, τὸ κράτος, ἡ βασιλεία εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.*

XIV. *Kal. Jul.* Mane studia: a prandio amici, et studia. *Θεῷ χάρις.*

XIII. *Kal. Jul.* Studia leniter. *Θεῷ χάρις.*

XII. *Kal. Jul.* Visimus hodie rosaria Fontanesi vici. Res digna cognitu. Horas etiam aliquot studiis impendimus, tuo, O Deus, beneficio. Tibi igitur honos et gloria. Amen.

XI. *Kal. Jul.* Partem matutini temporis eripuit *θεωρία* divitiarum Lutetianarum. Erat enim dies,

quo ὁ ὀβολιμαῖος ἄρτος pro Deo adorandus tota urbe circumfertur. O rem stupendam! Suave autem, quod Romæ fieri dicitur. Papa humeris quatuor virorum gestatur: τὸν ἄρτον illum equus albus tolutim doctus incedere. En pietatem! Sed, O Deus, quam diu ista fient?

X. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, sed inter et negotia, et curas molestissimas, quibus, O Deus, libera me, oro te supplex. Amen.

IX. *Kal. Jul.* O molestum diem, nisi quidem tua, tua, O Pater, benignitas turbellas necdum natas mea maxime culpa cohibuisset. Tibi ergo, O Deus, honos, gratia, et gloria. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Cum Hablonem, quod maxime cupiebamus, non possemus ire, lectione sacrarum literarum animum pavimus, jacentemque erigere conati sumus. Legimus ex instituto extrema aliquot Jeremiæ capita, et Lamentationes ejusdem. O divinum vatem! O rem vere lamentabilem! O populum σκληροτράχηλον! Nam quæ hæc tanta adversus Deum obstinatio? Quæ tanta pereundi libido? Non monita prophetarum, non minæ Jehovæ, non imminens periculum ad Deum convertere populum infelicem potuit. Quid, quod in ipsis pœnis, in obsidione, inquam, cum restaret adhuc pœnitentiæ locus, scelera sceleribus cumulare non cessarunt? Periisti igitur, infelix popule, periisti funditus, et, quod diu merueras, exitium tandem consecutus es. Atque hæc εἰς τὴν ἡμῶν διδαχὴν scripta. Judæos imitabitur aliquis popu-

lus aut privatus? Vindicta præsto est, et justissima Numinis ira *κατὰ παντὸς τοῦ τὸ κακὸν ἐργαζομένου*. Est aliquis in turba peccatorum, quem vere tangat, vere afficiat suorum peccatorum sensus? Huic paratum est ab hominibus quidem odium, a Deo vero dilectio. Laborabunt hunc improbi perdere: Deus sine labore eum servabit, dabitque illi, maxime quidem in futuro seculo, sed et in hac vitæ, quantum expediat, amplissimam *τῶν κατορθωμάτων* mercedem. Sed, O *ὑπεράρρητε Θεὸς*, quis ille est in hac *συντελείᾳ τῶν αἰώνων*, non dicam qui præstet se qualem par est, erga tuum Numen, sed qui de ea re vel cogitet satis? Equidem, sancte Parens, de me meisque hoc nimis, ah nimis vere confiteor: absorbent nos cogitationesque nostras curæ *βιωτικαί*. Quod si, te revocante, Deus benignissime, oculos aliquando in cælum tollimus, subit illico animum hic tuæ adversus nos bonitatis magnitudo, inde nostrorum adversus te peccatorum multitudo, ut plane concidere statim animis, et deficere sit necesse. Sedenim, clementissime Domine, confidimus ego, mea, meique in misericordia tua et *τοῦ μονογενοῦς* Filii tui Jesu Christi. Peccavimus nos? Ille peccata nostra luit. Immundi sumus? Ille munditia est ipsa. Injusti? Ille justitia. Deus hic unus est *σωτὴρ* non justorum sed injustorum. In hoc igitur spem fiduciamque omnem nostram collocamus, O clementissime Domine. In nomine illius supplices ad te accedimus, cor novum te oramus, veniam peccatorum te poscimus. O da

nobis, sancte Parens, vere ad te converti: da vivere ex Legis tuæ præscripto; da mihi, da uxori meæ, ut, consentientes in amore timoreque tui Numinis, liberis nostris exemplum pietatis et omnis virtutis quotidie præbeamus. Postremo da mihi, da conjugi, πανάγαθε Θεὸς, ut in hac miseriarum valle, et angustiis, quas nunc cum maxime experimur molestissimas, salutem et commoda omnia nostra a te speremus uno, a te constanter expectemus, et cum propheta tuo dicamus ἐνδιαθέτως ac vere חֶלְקִי יְהוָֹה אָמְרָה נַפְשִׁי עַל־כֵּן אוֹחִיל לוֹ׃ טוֹב יְהוָֹה לְקוָֹו לְנֶפֶשׁ תִּדְרְשֶׁנּוּ* Amen. Amen. Exaudi et facilem te præbe, O Deus, per Jesum Christum Filium tuum, μεθ' οὗ σοὶ, τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματί σου δόξα καὶ κράτος εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

VII. *Kal. Jul.* Mane aliquid: deinde nihil: O dolor! Sed fiat, O Domine, voluntas tua. Amen.

VI. *Kal. Jul.* Horæ plusculæ non male positæ. Tibi honos, tibi gloria, O Deus.

V. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, si per amicos licuisset. Deo laus et honos.

IV. *Kal. Jul.* Studia, negotia. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Jul.* En temporis jacturam: vix enim paucas horas libris impendi. O dolor! Sed fiat tua, O Deus, voluntas.

Prid. Kal. Jul. Turbellæ propter illam infelicem ancillam. Sed Dei benignitas componet omnia, atque adeo jam composuit. Itaque illi honos, et gloria gratiaque in æternum. Amen.

* Threni III. 24.

Kal. Jul. Quod bene sit, mensem hunc auspicati sumus ab officio pietatis. Hablonem enim profecti sumus, et concioni utrique interfuimus. Deo Opt. Max. laus, honos, et gloria, atque gratia pro hoc aliisque innumerabilibus bonitatis ipsius erga me ac meos beneficiis. *Θεὸς εὐμενὴς εἴη.*

VI. *Non. Jul.* Mane studia, etiam a prandio per horas plusculas. Itaque magnas tibi, O Deus æterne, gratias.

V. *Non. Jul.* Mane studia primum: dein spectata *πόρρωθεν* Missarum solemnia. O Deus! Nam quid aliud est histrionicam agere? Aperi, O lucis Pater, cæcis oculos. Amen.

IV. *Non. Jul.* Literis hodie renunciavimus. Miserere Deus. Amen.

III. *Non. Jul.* Totus periit dies; etsi erat fortasse tanti, cum non obscuro testimonio benevolentiam suam *ὁ Μέδων* nobis declaravit. Deus illi vitam et piam mentem. Amen.

Prid. Non. Jul. Pauculas horas lectioni prophetæ Ezechielis hodie dedimus. Cætera perierunt. Usque quo, mi Domine? Sed fiat voluntas tuā. Amen.

Non. Jul. Per varia negotia paucas horas collocavimus in literis, et lectionem Ezechielis absolvimus. *Σοὶ δὲ, ὁ Θεὸς, χάρις καὶ δόξα εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.*

VIII. *Eid. Jul.* Diem Deo sacrum auditioni verbi divini impendimus, cum amicus equum commodato dedisset. *Τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις.*

VII. *Eid. Jul.* Literam unam vix hodie vidi aut legi. Negotia quotidie magis impedita. O quando, mi Pater, exitum dabis? Sed fiat tua voluntas. Amen.

VI. *Eid. Jul.* Et hic pene periit dies, nisi quod amplissimo Thuano assidui adfuimus. O Deus, ades. Amen.

V. *Eid. Jul.* Et mea et amicissimi Thuani gratia plurimum occupati sumus. Itaque jacent studia. Sed *γενηθήτω τὸ θέλημά σου*, O Deus.

IV. *Eid. Jul.* Et hic inter luctuosos dies ob Rosnii et aliorum Procerum conventum, et morbum uxoris amplissimi Thuani. Quam, O Deus, serva, et mihi matrem, uxorem, liberos *καὶ πάντας καὶ πάντα.* Amen.

III. *Eid. Jul.* Non melior diei hujus fortuna, sed erit olim melius *σὺν τῷ Θεῷ.*

Prid. Eid. Jul. Migratio in novas ædes, hodie demum inchoata, tempus omne surripuit. En ades, O Deus.

Eid. Jul. Hablonem ire non potuimus: quod potuimus, animum lectione sacrorum librorum occupavimus. Deus me meosque *ἀδιαλείπτως* regat.

XVII. *Kal. Aug.* Hodie, quod O bene sit, Deus æterne, familia in has ædes migravit. Oro igitur supplex *τρισάγιον* Numen tuum, ut *πανοικὶ* faustam atque felicem migrationem hanc nobis esse velis. Fac, bone Deus, *ἀπήμαντοι* hic degamus, et ædium commoditatem vertamus in argumentum timoris Numinis tui. Tibi, O Pater, et *τῷ μονογενεῖ* Filio

tuo Domino nostro Jesu Christo, necnon Spiritui Sancto tuo honos in æternum, et gloria καὶ πᾶν σέβας. Amen.

XVI. *Kal. Aug.* Pedem hodie domo non extulimus, et in studiis horas plusculas, Dei beneficio, posuimus. Tibi gratias, O Deus. At, O Pater, matrem mihi atque uxorem serva cum liberis, sororibus et omnibus qui me tangunt.

XV. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Dei æterni beneficio.

XIV. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια mane: a prandio ad Aulam Roniam frustra ivimus. Dei fiat voluntas.

XIII. *Kal. Aug.* Mane plusculas horas studiis dedimus. Itaque hodie calamo manum admovimus, et, quod vertere bene Deus velit, faxitque, commentariolum de lectis veterum hodie instituimus polire. Duorum opinor mensium ea opera futura est; si modo dederit benignitas Dei Opt. Max. ut ἀπημάντῳ ποδὶ opus inchoatum detexamus. Quod O da nobis, æterne Deus, oramus te supplices per Jesum Christum Filium tuum σωτῆρα illum τοῦ κόσμου, cui una cum Patre et Spiritu Sancto honos et gloria sit in æternum. Amen.

XII. *Kal. Aug.* Poterat hujus diei experientia omnem nobis ex animo spem aulicam ejicere. Sed in Deo fidimus. Illi nostra curæ et cordi futura confidimus. Ita esto, O Deus.

XI. *Kal. Aug.* O diem lætum! Non Hablone hodie, sed in ipsa Regia concionantem Dominæ ministrum ego, uxor, filia audivimus. Deo honos et gloria. Amen.

X. *Kal. Aug.* Quod licuit penso incubuimus. Itaque gratias tibi, Deus æterne.

IX. *Kal. Aug.* Mane τὰ ἐγκύκλια: a prandio amici. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Aug.* Diei pars major ἐγκυκλίοις studiis impensa. O Deus æterne, gratias tibi.

VII. *Kal. Aug.* Ἐγκύκλια studia die fere toto: tibi, Deus, gloria et honos.

VI. *Kal. Aug.* Mane τὰ ἐγκύκλια: a prandio amici, et negotia, atque ad amicos literæ. Τῷ Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια toto fere die, sed non sine variis cogitationum diversarum æstibus. O Deus, serva mihi matrem, uxorem, liberos et me cum illis in timore tui nominis. Amen.

IV. *Kal. Aug.* Hablonem hodie non ivimus: multa impediebant: misimus igitur τὸν ἀδελφιδοῦν. Diei partem inter libros egimus. Deus ceptis benedicat, et familiæ huic prospicere dignetur. Amen.

III. *Kal. Aug.* Studia non neglecta, quibus, O Deus, benedice. Tum autem inchoatum hodie negotium, quod si exitum habeat, somnio res similior quam veritati videatur. Itaque nugas putamus, præterea nihil. Et habet Dominus rationes alias si modo visum ipsi fuerit.

Neque me fefellit conjectura. Imposuit simplicitati nostræ specie pietatis homo Aquitanus, qui multas horas ut male collocaremus fecit. Næ ille insignis planus, nos autem insigniter imprudentes et lenes. Huiccine homini in re tanta fidem habuisse? O Deus, ne tale unquam quicquam.

Prid. Kal. Aug. Τὰ ἐγκύκλια quod licuit: sed occupavit nos negotium inceptum. An erit aliquid? Utinam quidem in timore Domini Dei æterni; cui una cum Jesu Christo Servatore mundi et Spiritu Sancto honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

Kal. Aug. Da Pater Opt. Max. mensem hunc exigere ἔχοντας ἐκτὸς πημάτων τοὺς πόδας. Multa video adversa et studiis meis incommoda. Sed, O Deus, averte omnia τὰ δυστυχῆ: et veram εὐτυχίαν concede mihi, matri, uxori, liberis et sororibus atque affinibus omnibus per Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo et vivit, et regnat, et æternum regnaturus est. Amen.

IV. *Non. Aug.* Pauculas horas studiis hodie impendimus: reliquum tempus magni Thuani consolatio, quantum quidem poteramus, abstulit nobis. Multum et institutum istud nuper negotium me avocavit. Itaque pœnitet incepti; et vix est, ut mihi constem. Quod superest, Deus adsit mihi ac meis. Amen.

III. *Non. Aug.* O dolor! O ærumnæ! Itane de studiis esse actum meis? Nam quota pars diei illis impenditur? Quid dico? Quota pars diei? Imo integra periit hebdomada, integri prope menses, cum librum interea non videmus. Itaque de studiis quidem nostris actum est. Nos autem et res nostra pessimo sumus loco; nisi tua, Deus æterne, nos respiciat benignitas. O ades, æterne Deus, supplex te oro. Amen.

Prid. Non. Aug. Non male diem hunc collocavimus, etsi libros ne inspeximus quidem. Sed languenti amicissimo et amplissimo Thuano ob mortem, quæ hodie accidit, piæ memoriæ feminæ uxoris ejus, toto die affuimus: utinam non incassum. Serva, O Deus æterne, illum, piam matrem, charissimam conjugem meam, et communia pignora, ac sorores, meque cum illis.

Non. Aug. Hablonem, O dolor, non ivimus: libros non inspeximus: de rebus Genevensium et privatim et publice tristia intelleximus. Unum saltem *κατωρθώκαμεν*, quod amicissimo Thuano horas minimum duodecim adfuimus. Sed nos, quod de filii moribus immorigeris nuntiatur, non mediocriter angit. Cæterum hanc curam et omnes nostras tibi, tibi, Deus Opt. Max., committimus.

VIII. *Eid. Aug.* Multum hodie cum amplissimo Thuano: multum istud futile negotium nos tenuit: nonnihil et libri. *Θεῷ χάρις.*

VII. *Eid. Aug.* Adhuc futile et vanum istud negotium nos tenuit. Non enim poteram amico illi non adesse pollicitus semel; quod fortasse non debueram: sed negare nescimus. Reliquum tempus cum amplissimo Thuano transactum, cujus uxor hodie demum est elata. *Κύριε ἐλέησον.*

VI. *Eid. Aug.* Adhuc Thuano *τῷ πάνυ* adfuimus. O probum, et pium virum! Respice hunc, O Deus, et cum illi, tum mihi meisque facem veritatis magis magisque in dies fac allucere.

v. *Eid. Aug.* Similis et diei hujus fortuna. Itaque non desunt calumniatores qui officium meum erga amicissimum Thuanum secius interpretentur, et oblatrent. Σὺ δὲ, ὦ Πάτερ, τὴν ἐμὴν δικάσεις δίκην.

IV. *Eid. Aug.* Mane nobis viximus: a prandio diem cum amicissimo et sapientissimo Thuano divisimus. Θεῷ χάρις. Sed non prætermittenda est commemoratio beneficii quo me Deus Opt. Max. nocte præterita affecit: nam absque eo sine dubio actum de nobis jam esset. Defessus longiore vigilia (nam et lucubrationem produxeram ad multam noctem, et in lectulo plusculum lectitaveram) cum me ad quietem compono libro posito, pannum oppansum attraho: frustra: nam annulum velarem aliquid impediebat. Attollo igitur corpus, et in genua incumbens τὸν στρωματίτην κρίκον vi adduco. Tum ego ad quietem iterum me compositurus corpus reclino in pulvinum: id vero non in pulvinum aut in lectum fertur, sed extra lectum. Primum igitur cathedram lecto appositam, et cum ipsa candelabrum, ac codicem (is erat J. Cassianus Romæ ed.) dejicio, et præceps in caput decido, magno cum occipitis dolore, qua parte ictum accepi, sed majore sincipitis et oculorum, e quibus visa micare flamma vehementia ictus. Jacui humi aliquantum velut e plaga attonitus; deinde in lectum me refero nemine juvante, cum uxor sono ruentis corporis excitata non caperet semisomnis, quid ageretur:

filia Philippa surgere parata, jussa est a me quiescere. Tantus sane ictus fuit, ut eum, qui superiore cubiculo erant, exaudirent, et accurrerent tanquam ad repellendos fures nocturnos. Hæc cum ita acciderint, etsi justa gravioris mali caussa, quia tum dolorem sentiebam mediocrem adire ad medicum insuper habuimus. At tu, O Deus, O Pater, qui hactenus me servasti ἀπήμαντον, serva et in posterum, si ita expediet ad gloriam nominis tui. Ades, O benignissime Pater, mihi et meis omnibus, oro te supplex per Jesum Christum Filium tuum unicum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat, vincit. Amen.

III. *Eid. Aug.* Dolorem capitis e casu nupero hodie quam heri graviorem sensimus. Ideo multum domi fuimus. Deus pro sua infinita bonitate velit εἰς ἀγαθὸν κρίνειν. Amen.

Prid. Eid. Aug. Hablonem ne iremus medici impedierunt ob metum ex casu nupero. Puto tamen esse eum metum inanem. Itaque tibi, ὦ σῶτερ, ago gratias quantas possum maximas.

Eid. Aug. Τὰ ἐγκύκλια, si per capitis dolorem et officia amicorum licuisset. O dolor! Sed taceo, mi Deus, et te unum in præsidium advoco. O ades, ὦ σῶτερ, rebus in angustis.

XIX. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια plurimas horas. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Sept.* Nugæ, tricæ, curæ, molestiæ. Hæc vita hominum. Quantum inane? Sed da tui timorem, O Deus.

XVII. *Kal. Sept.* Studia: amici: officia. Gloria Deo in excelsis. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, deinde officia. Τῷ Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Sept.* Hablonem faciente Deo cogitamus. Ivimus igitur et utrique interfuimus concioni. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

XIII. *Kal. Sept.* Amici, vel inimici potius studiorum: studia leniter. In Xenophonte fuimus per occasionem. Τῷ παναρίστῳ Θεῷ πλείστη χάρις.

XII. *Kal. Sept.* Et hodie amici studia afflixerunt; quibus tamen horulas aliquot dedimus. Tibi, O Deus, æternas gratias. Amen.

XI. *Kal. Sept.* Mane totum fere visitavimus amicos, atque hac occasione reperti a Rege in palatio suburbano insigni humanitate sumus ab illo per totam domum (non sane lateritiam ut nomen illi est, sed ceramiceam) deducti, non sine gravibus de pietate sermonibus. Deus æternus illius misereatur. Amen. Reliquo die amici nos tenuerunt. O ærumnas vitæ hujus.

X. *Kal. Sept.* Et mane parum, et a prandio nihil promovimus. Ego, mi Deus, cum hæc video, gemo, et gemens sileo. Tua fiat voluntas.

IX. *Kal. Sept.* Mane concio sacra, et quidem Lutetiæ in hospitio sororis Regis, et erat dies insignis, Bartholomæo sacer. Juvabat meminisse furoris illorum, qui ante viginti novem annos die hac tui amantes, O Deus, delere occisione conati

sunt. Vicit igitur tua divinitas istorum humana, imo ferina, consilia. Tibi honos, gloria et decus in æternum. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Non penitus nihil egimus, sed nos multum morati sunt amici. Ecce autem novas occupationes: quod enim in mentem venerat nunquam, ad Regem Scotorum nobis dandæ sunt literæ. Tu, Domine, respice me. Amen.

VII. *Kal. Sept.* Cum audiendæ concionis caussa ad palatium sororis τοῦ μέδοντος essemus profecti, casu eo bono privati sumus, at uxor et filia mox reversæ κατὰ δεύτερον πλοῦν voti factæ sunt compotes. Deo Optimo Maximo laus.

VI. *Kal. Sept.* Ἐγκύκλια studia, Deo gratia et honos. Amen.

V. *Kal. Sept.* Ἐγκύκλια si per amicos licuisset, qui tamen eo minus molesti, quod a Scaligero viro incomparabili veniebant, et de eo multa læta narrabant. Eum serva, O Deus, et me ac meos. Amen.

IV. *Kal. Sept.* Negotia, sed et studia leniter. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Sept.* Studia, sed magis negotia. Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Sept. Studia, negotia. Da, Domine, matri, mihi, uxori, liberis, tui timorem et omnia nimis læta. Amen.

Kal. Sept. Quod Deus vertat bene mensem hunc felicibus auspiciis inchoavimus, nisi quod avocati a libris sumus. Sed, O Deus, da studium pietatis, et studia valeant.

IV. *Non. Sept.* Decreveramus Hablonem ire, et sacræ synaxi interesse, invitante nos cœna Dominica, quæ ex more die hac ibi celebrata. Sed cum nobis in vehiculo magni Thuani locus non esset, uxorem cum filia Philippa et nutrice quæ suam alumnam detulit, ire sivimus, ipsi mansimus. Atque hunc diem ipsi domi lectione piorum Patrum læti transegimus. Etsi interea parvula filia ingens periculum adierit ob famuli invigilantiam et crassam negligentiam. Erat relicta in cunis filia infans tantisper dum cœnæ participaret nutrix, quæ famulo (frater ipsius fuit) curam infantis commiserat. Ille autem somno delapsus, aut nescio quid rei agens, sivit spoliari crepundiis et sericeo panno infantem, et filiam in cunis objici *σφενδονίζουσαν*, et *κλαυθμυρίζουσαν*. Mirati sunt qui videre primum spectaculum, et infantem quidem periculo exemerunt. Cæterum jam ad quem locum aut sedem in animo stabit nobis hæc dolo proxima negligentia? At tu, Deus Opt. Max., servasti e præsentissimo periculo innocentem infantulam, et simul nos parentes luctu liberasti maximo. Tibi igitur, O Pater, *ὦ σῶτερ*, tibi soli honos et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

III. *Non. Sept.* Mane pauculas horas; a prandio ne inspecti quidem libri; *διώριον* lucubravimus. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Sept. Mane officia per unam aut alteram horam: dein studia; a prandio multo

etiam minus reliquum temporis. Sed fiat, O Deus, tua voluntas.

Non. Sept. Nihil hodie, et tamen diem inter libros egimus: sed chartas solum disposuimus ad studia consequenda brevi, si Deus otia faciat. Quod, O Pater, annue suppliciter oranti. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια Θεοῦ διδόντος, ᾧ πλείστη ἡ χάρις.

VII. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια multis horis, gratia Dei Opt. Max.

VI. *Eid. Sept.* Amici, nugæ, nihil. O ades, summe Parens. Amen.

Labbæis fratribus Non. dedi MS. et notas Scoti in Gl. ejus manu scriptas et Æschylum meum. Sueton. meæ edit.

V. *Eid. Sept.* Hablonem profecti grande testimonium benignitatis Dei erga nos percepimus, facti participes corporis Domini nostri Jesu Christi qui pro humani generis peccatis mori, O inauditam humanitatem, et quidem in cruce mori sustinuit. Ago tibi, sancte Parens, pro hoc tanto beneficio quantas maximas possum gratias, teque supplex iterum iterumque oro, ut per Sanctum Spiritum tuum ad vitam meliorem me et meos componas, inque rectam viam inducas.

IV. *Eid. Sept.* Diem pene totum perdidimus; quicquid fuit reliqui, datum est Arabicæ linguæ, cujus studia hodie demum γονυπετήσαντες inchoavimus. Tu, Deus Opt. Max., ceptis benedice ad nominis tui gloriam, ecclesiæ ædificationem, et meam salutem. Amen.

III. *Eid. Sept.* Curæ, nugæ, studia. Ades vero, O Pater, et ab imminentibus difficultatibus me eripe. Amen.

Prid. Eid. Sept. Domo non exii, et tamen tempus multum perdidi. Τοῦ Θεοῦ ἥδε βουλὴ, ᾧ ἡ δόξα καὶ πάσα χάρις.

Eid. Sept. Studia, amici, curæ, quibus nihil opis afferre possum, O Deus. Itaque ades, et adjuva. Amen.

XVIII. *Kal. Oct.* Diem in literis agere constitueram: vix inspexi libros. O Deus, quæ hæc vita? Et scis, quæ me curæ vexent. Sed de utroque in te confido, in te spero. Tu ades, O Pater. Amen.

XVII. *Kal. Oct.* Domo non exii: sed multum amici nocuerunt. Cœpimus de literis Scoticis cogitare, et manum illis admovimus. Tu eam et multo magis mentem meam ac meorum rege, O sancte Parens. Amen.

XVI. *Kal. Oct.* Domo afui magnam diei partem, et quod fui domi, frustra istis literis impendi. Τῷ Κυρίῳ μέλοι τε καὶ μελήσει, cui et me, et piam matrem, et uxorem ac liberos tota mente commendo. Amen.

XV. *Kal. Oct.* Amici, et ab amicissimo Scaligero amicissimæ literæ. O illum, Deus, serva, et me ac meos. Amen.

XIV. *Kal. Oct.* Diem in lecto egi gravi febri correptus paullo post dimidium præcedentis noctis. Atque erat verendum ne latius malum serperet,

cujus significationem dederat ingens tussis, quæ nos superioribus diebus oppresserat. Sed cepimus tamen benignitate Dei Opt. Max. sperare melius. Τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Oct.* Curæ corporis diem hunc impendimus, sumto pharmaco, et initio facto purgationis, imo et fine, si remiserit morbus.

XII. *Kal. Oct.* Hodie in libris nihil: non tam propter valetudinem, quam ob epistolam ad Regem Scotiæ scriptam. Nuper eam inchoaveram; hodie et absolvi, et descripsi. Juvat ea cura esse defunctum, quam sane inviti susceperamus. Tibi, æterne Deus, honos sit et gloria.

XI. *Kal. Oct.* Vixdum recuperata valetudine, ad amicos exire coacti, aliis viximus non nobis; utinam animo vivamus tibi, O Deus. Amen.

X. *Kal. Oct.* Studia non neglecta. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Oct.* Medici imperio paruimus, et die, qui sacer curæ animi, corpus curavimus φλεβοτομίᾳ. Deus benedicat. Amen.

VIII. *Kal. Oct.* Mane studia Aulica: a prandio inspecta Regis bibliotheca et male posita opera. O temporis jacturam! Sed fiat tua, O Deus, voluntas.

Hodie literas dedi in Scotiam Spotisvodo brevi discessuro.

VII. *Kal. Oct.* Domo non exii: et quod verebar futurum aliter, rus abiit sine nobis amicissimus Thuanus. Magnum vero ἑρμαῖον hoc die contigit nobis, ex communicatione cum professore Arabicæ linguæ. Gratias tibi, O Deus.

VI. *Kal. Oct.* Noctem casu lenisomnem habuimus; sed mane cum indormivissemus, in somnum incidimus, et jucundissimum somnium. Videbamur prandio Regis adesse, ut moris est, multaque ibi a Rege prudenter et sapienter dicta audire. Sed omnium gratissimum fuit, quod visus Rex mensis remotis erupisse in cantica: Davidis psalmum unum operto capite præsentibus Guisiis aliisque cecinisse, et nos cum illo. Ipsa adeo postrema verba tanquam ἀπηχήματα ἔσχατα in auribus hæsere nostris, quæ erant hujusmodi:

Car de Dieu en la bonte
J'ai trouve paix et seurte.

Mirum ubi ista legerimus: non enim meminimus legisse in psalmo ullo. Ipsi autem versum Gallicum scripsimus nullum unquam vigilantes. Multum hodie ἠραβίσαμεν, sed amici impedierunt. Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Oct.* Mane et toto fere die quantum per curas et amicos licuit studiis præsertim Arabicis operam dedimus. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Oct.* Insignis plane dies, et jure festus ob natalitatem Delphini, cui et patri ipsius, ut omnia bona corporis et multo magis animi cumulate largiaris, supplex te, O Deus, oro. Amen.

III. *Kal. Oct.* Mane in Arabicis studiis fuimus: a prandio per amicos librum inspicere non licuit. Etiam lucubratio tota in Arabicis studiis. Tu, Deus cælorum et terræ, benedic mihi ac meis. Amen.

Prid. Kal. Oct. Hablonem, proh dolor, non ivimus. Studia parum promovimus: sed virum magnum Florum, Curiæ Parisiensis amplissimum Senatorem, cognitione literarum Arabicarum insignem, adiimus, et cum eo multas horas fuimus. Ita dies, ita mensis actus. Τῷ Θεῷ χάρις.

Kal. Oct. Mane quod male haberemus e nocturna febri, quodque hodie privatas lectiones rogatu amicorum magnorum essemus aggressuri jacuerunt studia. Ergo incepimus, quod felix et faustum velit esse ὁ μέγας Θεός. Γένοιτο, γένοιτο.

Herodoti interpr. Hodie misi ad Scaligerum excerpta nostra e Siculis fastis. Recepi 10 mensibus post.

VI. *Non. Oct.* Studia leniter ob morbum istum sane molestum: sed Deo et nos et nostros permittimus. Illi honos et gloria. Amen.

V. *Non. Oct.* Mane studia, si per amicos licuisset, at multo minus a prandio. Tu miserere, Deus, cui honos et gloria in æternum.

IV. *Non. Oct.* Docuimus, ut superioribus diebus, et Arabica studia curavimus.

III. *Non. Oct.* Docuimus, studuimus, et ita cubitum ivimus tanquam die crastino Hablonem Deo volente ituri. Da, Pater, eamus, et simul gravissimas curas quæ cor mihi uxorique edunt, leva. Semperne cum hac Ata παλαίσομεν? Sed fiat tua, O Pater, voluntas.

Prid. Non. Oct. O Deus, Hablonem ire non potui per temporis injuriam, et valetudinem. Serva me, O Deus, inter hæc incommoda. Amen.

Non. Oct. Diem egi domi: studuimus literis

non segniter; docuimus etiam. Τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις. Illi meam matrem, me, uxorem, liberosque et omnes meos commendo supplex et γονυπετής. O respice nos, Pater.

VIII. *Eid. Oct.* Diei magnam partem studiis præsertim recentioribus istis impendimus. Et spero aliquid profecisse. Sed, O Deus, urit cor mihi rei familiaris cura. Quamdiu enim cum hac Ata luctabimur? Sed fiat tua, Deus sancte, voluntas. Quod possum unum, piam matrem, charissimam conjugem liberosque omnes supplex tibi commendo.

Preste a M. Gourdon Dionys. Areopagit. cum omnibus commentariis.

VII. *Eid. Oct.* Stipendium regium hodie accepimus, tenue illud quidem, sed tamen eo saltem nomine gratius, quod non difficile solvitur. Tibi, Deus æterne, gratias.

VI. *Eid. Oct.* Posuimus hodie horas plures in studiis, etsi multum avocati. At tu ades, O Pater, et me eripe his difficultatibus, meque ac meos serva in tui timore. Amen.

V. *Eid. Oct.* Studia si per amicos licuisset, quod potuimus tamen præstitimus, καὶ μεγάλη τῷ Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Oct.* Studia mane non mihi sed aliis curata. O durum necessitatis jugum. Sed Deus aderit opportuno tempore. Sic spero in Domini misericordia. Amen.

III. *Eid. Oct.* Hablone reversi hæc scribebamus

incredibili fatigatione vexati: quod casu redire pedibus essemus coacti. O difficilem vitam absque libera functione officiorum pietatis! Da, Deus, παρρησίαν τοῦ σοῦ λόγου. Amen.

Prid. Eid. Oct. Crescunt solicitudines, decrescit spes a Rege, non propter Regem, sed propter τοὺς ἀμφ' αὐτόν. In te, O Deus, totus recumbo. O ades mihi, oro te supplex.

Eid. Oct. Studia, ut potuimus, et fecimus, credo, aliquid. Τῷ Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Nov.* Non segnes fuimus quod licuit. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Nov.* Et hodie in Arabicis studiis multi fuimus Θεοῦ χάριτι.

XV. *Kal. Nov.* Aliis fortasse profuimus: docuimus enim ut nuper institueramus, sed studia privata jacuerunt, ob gravem διάρροιαν, quæ nos superiore nocte exercuit. Tibi, O Deus, et meam et piæ matris, et charissimæ uxoris, necnon liberorum et omnium τῶν συγγενῶν et valetudinem et reculas tibi commendamus supplici animo.

XIV. *Kal. Nov.* Mane languimus: a prandio docuimus, et paucas horas in Arabicis studiis posuimus. Χάρις τῷ πανελέῳ Θεῷ.

XIII. *Kal. Nov.* Hablonem hodie non ivimus, quod valde dolet. Sed, O Deus, miserere mei et meorum. Amen.

XII. *Kal. Nov.* O ades, Deus, in negotio de quo hodie mecum Dux Bullionæus. Tua caussa agitur. Succurre, oro te, et supplex obsecro.

XI. *Kal. Nov.* Aulicæ curæ; frustra. Docuimus, ut semper. Τῷ Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Nov.* Magna frequentia clarissimorum virorum hodie docuimus in ædibus nostris. Nempe tua hæc est benedictio, O Pater. Tibi honos et laus in æternum. Amen.

IX. *Kal. Nov.* Docuimus magna frequentia clarissimorum virorum, qui nescio quomodo aut quare ita confluant in privatas ædes. Sed tu, Deus immortalis, da ut hoc totum ad tui nominis gloriam et liberorum nostrorum quædam commoda referatur. Amen.

VIII. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Nov.* Corpore graviter affecto studiis renuntiare sumus coacti, et post habitam lectionem in cœtu plurimorum honestissimorum virorum in lectum nos conjicere. Tu, Domine, et animi languore et corporis me libera. Amen.

VI. *Kal. Nov.* Cum meliuscule haberemus, mane horas aliquot in studiis posuimus. Tu, Domine, ades, nam tædet nos, ὀλίγου δέω εἰπεῖν, καὶ αὐτῆς τῆς ζωῆς. Sed fiat tua voluntas. Amen.

V. *Kal. Nov.* Mane totum in Aula perdidimus, nisi quod sermones de pietate cum Rege habuimus testes animi nostri. O Deus, vide quid paretur, et quæ aut quam nulla sint præsidia. Itaque ades, supplex te obsecro. Amen.

IV. *Kal. Nov.* Æger ἐκ διαρροίας vix ex instituto docere potui; reliquus dies amicorum sermoni-

bus datus. Tu, Deus æterne, nos respice benignus. Amen.

Preste a Mons[r]. de Gourdon Opera Athanasii 2 tomis. Theodoreti dialogi ed. R.

Prid. Kal. Nov. Mane iterum ad Regem, et cum Rege multus sermo. Atque utinam, O Deus æterne, vertant in melius quæ parari video in sorore ipsius. Docuimus, et diem totum negotiosum habuimus. Θεῷ χάρις.

Kal. Nov. Serius ob valetudinem surreximus. Quod potuimus, promovimus in studiis præsertim Arabicis. Sed, O cælestis Pater, angit me valetudo hæc obstinatior, quam tamen voluntati tuæ permitto lubens, simul et matrem, et uxorem, et liberos. En serva nos per Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo, vivit, regnat, vivet, regnabit εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

IV. *Non. Nov.* Mane totum piis curis impensum. Concioni sacræ in regia arce habitæ interfuimus Dei beneficio, cui honos et gloria לְעוֹלָם. Cum autem inter alias Satanæ fraudes hæc quoque machina esset adhibita labefactandæ fidei dominæ, quæ Regis magni soror est, ut affirmaretur illi, nos inibi esse, ut veræ religioni renuntiaremus, officii nostri esse duximus (cum præsertim pastor illius vir optimus et eruditissimus exigeret) rei veritatem illi aperire. Venimus igitur ad τὴν δέσποιναν, et sine fuco ac fallaciis quid de recta fide, de vera religione et dissensione nostra

et pontificiorum judicaremus, prolixe exposuimus. Impudentiam illorum veris argumentis refutavimus, qui nos in veritatis professione jactant nutare et parum firmos esse. Certe scis tu, O καρδιογνῶστα Deus, fuisse hactenus tuo immenso beneficio. Ut porro stem, et tibi vivam, tibi moriar, nec solum ego, sed et omnes mei, supplex te omni contentione animi oro, obsecro, et cum lachrymis per meritum Domini nostri Jesu Christi te obtestor. Amen. Amen.

III. *Non. Nov.* Mane toto ne inspecti quidem libri, dum negotia conficere in aula tentamus. A prandio unam aut alteram horam bene posuimus. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Nov. Diem Deo sacrum ne auditioni Verbi sacri impenderemus, ut par erat, cum mea tum aliorum negotia fecerunt. σύγγνωθι, ὦ Κύριε, et me ac meos benignus respice. Amen.

Non. Nov. Mane amici et studia saltem leniter: a prandio docuimus: deinde cum ad studia nos recepissemus, ecce qui nos rapit ad Episcopum Ebroicensem. Erat enim caussa cur ille nos vellet alloqui. Tu, Deus, rem nosti omnem, et difficultates meas vides. O rege me, et in recta via dirige, ac firma. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* Ob valetudinem sumto pharmaco diem fere totum a libris abstinuimus. Oro te, Domine, et pharmaco benedice et omnino mihi ac meis. Amen.

VII. *Eid. Nov.* Horas paucas bene posui, plures

perdidi. O Domine, respice me, meos, et studia mea. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Heus miserum me! Dies totus misere periit confabulanti de nugis cum amicis, male amicis. Proh dolor! Ergo de studiis erit actum? Sed fiat, O Deus, tua voluntas. Amen.

V. *Eid. Nov.* Summo mane in museum me abdideram, certus, si ita voluisset ὁ Κύριος, in Arabico Lexico plurimum promovere. Et mansimus ante lucem plusculas ibi horas non otiosi. Postea adfuit medicus, qui ut continuis pectoris doloribus mederetur, sanguinem jussit illico mitti, quod et factum. Ita vix pars aliqua pensi est absoluta. Sedenim tua, ὦ Κύριε, fiat voluntas, non mea. Tibi, benignissime Pater, et meam et matris, et uxoris, et liberorum valetudinem curæ esse et confido, et, ut sit, obsecro supplex per Dominum nostrum Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat æternum regnaturus. Amen.

IV. *Eid. Nov.* Pessime habebamus et πυρέξαντες nocte tota et ἀπὸ διαρροίας; sed ivimus tamen in aulam, et Regem perdiu sumus allocuti. Ille vero promissis nos ditat in posterum; in præsens parum adhuc nos juvat. Faciet, cum tu, O æterne Deus, animum illius eo flexeris. Tibi igitur rem permittimus.

III. *Eid. Nov.* Concioni sacræ hodie magno quidem cum incommodo nostro, sed tamen interfui-

mus; eoque nomine in ecclesia Dei gratias Deo Opt. Max. egimus libentissime devotissimoque animo. Cætera rerum mearum quo loco sint, tu nosti, æterne Deus, cujus bonitati et in nos benignitati confidimus. Amen.

Prid. Eid. Nov. Valetudinis curæ diem hunc impendimus, quam tu, O Deus, solus præstare bonam potes.

Eid. Nov. Paucas horas studiis, plures negotiis aut curæ valetudinis impendimus. Tu, ὦ σῶτερ, ades.

XVIII. *Kal. Dec.* Ad lectionem rediimus, bonis, spero, avibus; quod ut ita sit, te supplex oro, mi Deus.

XVII. *Kal. Dec.* Pauculæ horæ non male positæ, sed oppido paucæ. Miserere, Deus.

XVI. *Kal. Dec.* Quod potuimus τῷ Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Dec.* Et hoc die plusculas horas in studiis posuimus, tuo, mi Deus, beneficio.

XIV. *Kal. Dec.* Diem tibi, æterne Deus, sacrum domi dolens et gemens egi. Tu da, Pater, libertatem plenam, et rebus dubiis succurre. Amen.

XIII. *Kal. Dec.* Mane totum periit; a prandio docuimus, literas scripsimus, aliud nihili. Τῷ Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Dec.* Mane vix unam horam bene posuimus: deinde alteram diei partem aut meis aut aliorum studiis impendimus. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Dec.* Mane negotia; a prandio amici, studia τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Dec.* Mane leniter studia: a prandio *τὰ ἐγκύκλια* tuo, mi Deus, beneficio.

IX. *Kal. Dec.* Τὰ *ἐγκύκλια* Dei beneficio, cui honos et laus. Tibi vero, O Pater, piam matrem, charissimam uxorem et liberos atque omnes meos supplex una mecum *πάλιν αὖ καὶ πάλιν* commendo.

VIII. *Kal. Dec.* Τὰ *ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.*

VII. *Kal. Dec.* Dies Deo sacer: quo tamen auditione verbi divini, proh dolor, ego meique caruimus. Tu, O Pater, benignus nos respice. Amen.

VI. *Kal. Dec.* Vexatus cruditate stomachi ob esum minutalis, et quievi male, et surrexi sero: deinde autem negotia me totum sibi vindicarunt. A prandio docui, studui. *Θεῷ χάρις.*

V. *Kal. Dec.* Τὰ *ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.*

IV. *Kal. Dec.* Rosnius, ut male perderemus, hunc diem fecit. O dolor! Tu, Deus, nos respice, et nostros.

III. *Kal. Dec.* Mane nihil aut parum omnino: at a prandio plane nihil. *Δόξα τῷ Θεῷ.*

Prid. Kal. Dec. Videbatur ærumnis nostris ultimus hujus mensis dies finem imposuisse. Amici enim a Rosnio nobis impetraverant quicquid ad percipiendam Regis liberalitatem erat necessarium. Et jam tibi, O Deus, quod et nunc facimus, gratias egeramus. Ecce vero novos dolores. cum enim diem totum frustra perdidissemus, in reditu ipsam illam a Rosnio impetratam chartam amisimus. Itaque spe tanta dejecti, morosissimi

hominis fastidium iterum ac fortasse sæpius experturi, te, Deus æterne, respicimus, a te omne auxilium speramus. O ades, sancte Parens, et nobis et nostris. Amen. His scriptis mœstus in lectum me conferebam, cum advenit qui nuntiaret non amissam chartam, sed relictam in amici manibus eam fuisse a nobis: πάλιν οὖν καὶ πάλιν αὖ πλείστη τῷ Θεῷ χάρις.

Kal. Dec. Mane studia: a prandio negotia. Τῷ Θεῷ χάρις, quem oro supplex ut pro sua bonitate me et meos benignus respiciat. Amen.

IV. *Non. Dec.* Diem non male posuimus: concionem enim sacram audivimus in ipsa arce, concionante Fergerello qui sororis Regis nostri agit ministrum. O Pater benignissime, serva et Regem, et ipsam, et omnes pios simul, meque et meos cum his. Amen.

III. *Prid. Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

Non. Dec. Totum diem amici eripuerunt, pauculis horis exceptis. Docuimus igitur, et in studiis quod potuimus. Θεῷ χάρις.

VIII. VII. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Dec.* Mane studia: a prandio officia. Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Dec.* Bene habet. Concionem sacram hodie in ipsa Regia audivimus. Tibi, tibi, O Deus, gratias æternas. Etiam illud te supplex oro, ut et matrem serves, et uxori fausta omnia duis in hoc imminente τόκῳ, totam denique domum tuo auxilio digneris. Amen.

IV. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια χάριτι τοῦ παναρίστου Θεοῦ. Τῆς Ἀριστοφανείου ἐξηγήσεως hodie ἠρξάμην. Θεὸς εὐμενὴς εἴη.

III. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

Prid. Eid. Dec. Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Sed operis inchoandi necessario σὺν Θεῷ εἰπεῖν sollicitudo nos tenet.

Eid. Dec. Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XIX. *Kal. Jan.* Mane studia: a prandio docuimus, sed reliquum tempus scribendis literis datum. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Jan.* Proh dolor, librum hodie non aspeximus: nam aut cum amicis fuimus amplissimo Busenvallo et legato Anglico, aut in literis scribendis occupati. O Deus, βοήθει.

XVII. *Kal. Jan.* Veneramus ad arcem, ut ibi de more concioni sacræ interessemus beneficio sororis Regis, sed aditu prohibiti sumus, haud scio an propter Regis invalentiam, cui, O Deus, omnia læta, omnia fausta, et nunc et ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι largire. Amen.

XVI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Jan.* Et totam noctem insomnem egimus, et diem pene totum amisimus. In caussa fuit morbus τῆς τριποθήτου conjugis ob catarrum sane magnum: accedit partus imminens. Itaque hæremus, et tuum, O Deus, auxilium supplices postulamus. O ades אביר.

XIV. *Kal. Jan.* O Deus, ago tibi gratias, quod in his turbellis domesticis jacente uxore, aliisque

urgentibus, ut in tali casu, incommodis, aliquot tamen horas bene posuimus. Tu, O benignissime Pater, uxorem adjuva, illique vires ad imminentem partum suffice. Amen.

XIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια plusculas horas, tuo, O Deus, beneficio. Sed cruciant me tot morbi domestici uxoris duarumque filiarum. Fiat tamen, O Deus, voluntas tua. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Uxor habebat meliuscule, utraque filiarum minus belle, et magis Philippa. Nos amicorum ἐπισκέψεις habuerunt: horas studiis non multas impendimus. Sed illud non mediocre, quod negotium pridem institutum super liberalitate regia hodie exitum habuit. Itaque, O Deus, æternas tibi gratias supplex ago: oro etiam te et humilis obtestor, manu paterna principem nostrum protegas, et Spiritum tuum, vere ἡγεμονικὸν, vere sanctum illi impertiaris. Amen. Addo jam et illud item supplex, ut piam matrem, et uxorem, liberos atque omnes meos meque cum his serves ἀπημάντους. Amen. Amen.

X. *Kal. Jan.* Hei mihi quod die κυριακῇ κυριακὴν cœtum frequentare non potui. Sed voluntas certe aderat. O Deus, da posse.

IX. *Kal. Jan.* Lentiores in studiis fecit nos febris præcedentis noctis, cujus caussam nescimus; et ne redeat te oramus, O Pater. Sed fiat tua voluntas. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Hodie celebrabatur natalis τοῦ

Κυρίου. Nos domi nos continuimus, et quia corpore non poteramus, animo certe iis adhæsimus, qui pia mente beneficii hujus tanti recordationem ἀνανεοῦσι. O da, Deus omnipotens, ecclesiæ tuæ pacem. Amen.

VII. *Kal. Jan.* Sub vesperam vocati ab uxore ut parturienti adessemus, mox in museum rediimus, cum longior esset mora; etsi certa erant signa partus imminentis. Itaque iterum, iterumque te, O benignissime Deus, oro, obsecro, adsis et benignus labores illius subleves, brevique, hoc est, cum tibi fuerit visum, illam malo, nos metu liberes. Amen. Amen.

VI. *Kal. Jan.* Ecce me, O Deus misericors, voti mei reum. Nam quod heri cum irem cubitum te orabam, id hodie, cum e stratis surgerem, vidi impetratum. Uxor enim paullo ante sextam, longas quidem sed parum acres ὠδῖνας experta, filiolum est enixa. Cruciabamur longiore hac τριβῇ τοῦ χρόνου, cum hactenus fere una aut altera hora partum absolvere sit solita. Et jam triste nescio quid mens incipiebat hariolari. Tua, O Pater, benignissime, benignitate illa ἀξιαγάστῳ qua semper adversum me ac meos uteris, factum, ut præceps hic metus noster (nisi quod ἀνθρώπῳ φύντι nihil ἀπώμοτον, nihil non metuendum) in gaudium non mediocre verteret, cum propter uxoris εὐτοκίαν, tum propter auctam filiolo hoc familiam. Ago igitur tibi, O Deus salutis meæ, et ago toto pectoris imi affectu immortales gra-

tias; teque supplex per τὰ τοῦ Χριστοῦ σοῦ σπλάγχνα veneror, obtestor, adoro, et quod natum est, et utrumque illius parentem, fratres item ac sorores, gratia et misericordia tua dignos facere digneris. Rege nos, sancte Parens, vere אַבָּא, sancti tui Spiritus afflatu, et in viam rectorum nos dirige. Simul te illud obsecro, indulgentissime here, matri meæ τῇ ταλαιπώρῳ, cui ego vixi adhuc inutilis, vitam diuturnam et mediocria hujusce vitæ commoda largiaris, votaque illius, quæ pro liberis omnibus suis assidue facit, benignus exaudias; per Dominum nostrum Jesum Christum Filium unicum tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto sine principio sine fine regnat æternum regnaturus. Amen. Amen. Amen.

V. *Kal. Jan.* Proh dolor! librum hodie non vidi, officiis impeditus et nugis. O da, Deus, jacturam possim sarcire. Amen.

IV. *Kal. Jan.* Occupationes domesticæ, uxoris invaletudo. Deus prospiciat τοῖς πᾶσιν. Amen.

III. *Kal. Jan.* Dies κυριακὴ, sed quam auditioni verbi Dei non potuimus impendere, coacti in proximam hebdomadam τὴν τοῦ κυριακοῦ δείπνου μετάληψιν differre, volente Deo, quod ut velis faxisque, te supplex oro.

Prid. Kal. Jan. Clausula fuit dies hic anni totius. Itaque perducti benignitate tua, Pater cælestis, ad horam hanc totius anni ultimam (ἤδη γὰρ προβέβηκε πλέων νύξ) supplex ad Majestatis tuæ accido genua, verborum inops atque egens,

quibus pro illis tantis beneficiis tuis gratias tibi dignas agam. Sed me profecto, quam magis de tua erga me ac meos benignitate cogito, tam magis verba deficiunt, ut ne hiscendi quidem sit facultas. Τί γὰρ πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; Ecce enim, quod ego, uxor, liberi et familia universa salvi sumus, quod a tot tam diversi generis periculis me meosque liberaveris: quod studiis nostris non obscure benedixeris: quod rei familiari volueris esse consultum liberali Regis manu: quod per hos proximos dies filiolo auxeris familiam salva matre, totum hoc tui, O Deus, beneficii est, tui muneris. Qui si hoc addidisti (quod spero equidem) ut mater et reliqui affectus mei, qui alibi degunt, valentes annum exegerint, quid est quod felicitati huic jure possim optare ut adjiciatur? Itaque, O Deus æterne, O Pater benignissime, iterum iterumque supplex ad pedes tuos me dejicio, tibique quantas maximas possum habeo agoque gratias, et ut animum linguamque magis magisque incendas cupiditate τοῦ εὐχαριστεῖν σοι precibus a te contendo. Neque siveris, Pater misericordiarum, ut vitio humani ingenii remissiores in tui Numinis ter maximi cultu res utcunque lætæ et secundæ nos reddant. Πρίν μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Postremo illud te, O sancte Deus, obsecro, obtestorque, ut pro tua illa infinita atque inexhausta benignitate velis, et in posterum nos omnes protegere, servare, tibique tandem vindicare. Ades, sancte

Pater, piæ matri, et illi sincerum gaudium *ἀπὸ τῆς εὐημερίας* suorum liberorum velis præstare: ades mihi, et studiis meis inceptisque fave: ades uxori, eamque in istis frequentibus *ᾠδῖσι* firma, subleva, robora: eandem una mecum, et liberos omnes nostros in fide vera, zelo sincero, et omnibus virtutibus fac excellere ad gloriam nominis tui ter sacrosancti. Serva etiam, O Deus, sorores, fratres, et eorum liberos, omnibusque omnino benedice per Jesum Christum Filium tuum *τὸν μονογενῆ*, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo *ἄναρχος, ἀτελεύτητος, ζῶν ζήσει, καὶ βασιλεύων βασιλεύσει.* Amen.

זָכְרָה־לִי אֱלֹהַי לְטוֹבָה

KAL. JANUARII ANNI CIↃ IↃ CII.

Quando igitur, clementissime, mitissime, benignissime Domine, annum novum inchoare mihi dedisti, unde potius illum auspicer, quam ab humillima gratiarum actione pro illis tot tantisque beneficiis, quæ manu adeo larga, adeo liberali hactenus in me ac meos contulisti. Me certe superioris anni, ut priora taceam, animo repetentem *τὰ εὐεργετήματα οἷς εὐεργετῶν ἡμᾶς διετέλεσας, πάντως σέβας ἔχει, καὶ θαῦμα ὑπερεκπερισσοῦ μέγα.* Tacebo reliqua: vel ultimus December quam multis magnisque insignis est benignitatis tuæ certissimis ac luculentissimis argumentis? Regis illa liberalitas, O Deus, tota muneris est tui. Tu enim restrictiorem principis manum aperuisti:

mentem principis Ἀρέα tantum πνέοντος inclinasti, ut literarum caussa factum mihi vellet. Accessio si qua facta est studiis, quod nos putamus, id quoque muneris est tui. Jam quod infirmam uxorem et ex morbo decumbentem ἐν ταῖς ὠδῖσι roborasti, ad εὐτοκίαν perduxisti, filiolo nos auxisti, omnes denique feliciter ac valentes annum exigere voluisti, quam ἀθρόα sunt hic beneficia tua! Itaque, O Deus Opt. Max., obrutus magnitudine τῶν σῶν εὐεργετημάτων in magni gaudii sensu illud serio doleo, quod verba non invenio, quibus gratum adversum te animum meum tibi tester, tibi gratias agam, tuas laudes dicam, tibi hymnum, tibi pæana, uti par est, canam. Atque utinam, æterne Deus, ingenium esset mihi πρὸς τὰ τοιαῦτα εὐφυέστερον. Tu mihi dies noctesque dicereris: in tuo Numine celebrando et gloria pro virili promovenda ἀδιαλείπτως essem operatus. Nunc hoc solum possum, quantum infra tuorum meritorum magnitudinem sidant mens et lingua nobis, animo utcunque reputare. Quanquam ne illud quidem satis possum, πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Quis enim τῶν οὐδαμινῶν mortalium tuam illam, magne Deus, ἀπερίληπτον μεγαλειότητα angustiis humanæ mentis suæ capiat? O magne, ὁ ἀπειροδύναμε, ὁ ὑπεράρρητε Deus, accipe, quæso te supplex, silentium meum pro grati, aut certe non penitus ingrati animi testimonio. Da veniam infantiæ meæ, et quia omne ab uno te bonum manat, inde mihi, inde meis omnibus piam mentem devotam tibi et zelo

pietatis inflammatam. Da, Pater, sic annum hunc omnes exigamus, ut eo vertente cunctorum, quæ fecerimus, dixerimus, cogitaverimus, constet nobis ratio. Fac, O Deus, non inutiles publice, vitam colamus: ceptis nostris studiisque benedicere, sancte Parens, dignare. Te unum semper spectemus, ad gloriam tui nominis collimemus, eo cogitationes, eo vota universa referamus nostra. Serva etiam, O Deus immortalis, serva mihi ἀπήμαντον matrem, uxorem etiam, liberos quoque et omnes ἑνὶ λόγῳ εἰπεῖν aut cognatione aut affinitate mihi junctos. Τὸ δὲ μέγιστον καὶ ὑπὲρ πάντα τῆς ταλαιπώρου ἐκκλησίας σοῦ σωτὴρ γενοῦ. Ὁρᾷς γὰρ, ὦ πάντ᾽ ἐφορῶν καὶ πάντ᾽ ἐπακούων, ὁρᾷς ὅσα ἀλάστορές τινες ἄνθρωποι κατὰ τῆς σῆς ποίμνης ὁσήμεραι δολορραφοῦντες μηχανῶνται, ἀλλ᾽ οὐκ, εὖ οἶδ᾽ ὅτι, καταπροίξονται ταῦτα δρῶντες. Μόνον, ἵνα ἐπὶ σοὶ βοηθῷ ἐπαναπαυόμενοι τὸν ἡμέτερον βίον οὕτω ῥυθμίζωμεν, ὡς μὴ ἀνάξιοι φαίνεσθαι τῆς παρά σου ἐν καιροῖς ἰδίοις ἐπικουρείας. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο, ὦ δέσποτα προσηνέστατε, δέομαί σου, καὶ ἀντιβολῶ, καὶ ὡς οἷόν τε ἐκτενέστατα λίτομαί σε, ἵνα τὸν βασιλέα πρόφρονι θυμῷ τῆς σῆς καὶ ἐπιμελείας καὶ κηδεμονίας ἀξιώῃς. Σῶσον, ὦ παντοδύναμε σὺ βασιλεῦ, καὶ τὸν ἄρχοντα καὶ τοὺς ἀρχομένους. Τέλος δὲ, ποίησον, πανέλεε δέσποτα, πάντας τοὺς τῆς Κελτικῆς μᾶλλον δὲ τοὺς τῆς οἰκουμένης λαοὺς καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἀπὸ τῶν προτέρων κενοσπουδιῶν μεταστραφέντας ἄξια μετανοίας ἔργα προχειριζομένους τῆς χάριτος μεταλαβεῖν, ἣν παντὶ τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει ὁ μονογενὴς υἱός σου Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς τῷ ἰδίῳ αὐτοῦ αἵματι, φεῦ τῶν οἰκτιρ-

μῶν, φεῦ τῆς χρηστότητος, ὦ βάθος, ὦ πλοῦτος σοφίας, προυξένησε. Ἐκείνῳ δὴ, ἅμα σοὶ καὶ τῷ ἁγίῳ σου Πνεύματι δόξα, κράτος καὶ μοναρχία εἰς τοὺς τῶν αἰώνων αἰῶνας. Ἀμήν. Ἀμήν. Ἀμήν.

IV. *Non. Jan.* Mane amissum et officiis amicorum impensum: a prandio docuimus, studuimus. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Jan.* Mane studia: ad prandium vocati a maximo Harlæo primo Præside multum temporis amisimus: inde ad optimum et doctissimum καὶ τὰ πάντα ἄριστον Thuanum venimus. Sero ad libros nos recepimus. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

Prid. Non. Jan. Mane summo surreximus, et Dei beneficio diem non amisimus. Illud videmus labores nostros quorundam culpa nobis reddi ἀκάρπους. Sed spes nostra Deus.

Non. Jan. Horas non paucas studiis eripuit cura imminentis diei; cujus feliciter agendi da, O Deus, facultatem. Amen.

VIII. *Eid. Jan.* Enarrabo, O Domine, miserationes tuas. Et merito; nam quod hodie ad sacrosanctam illam cœnam et φρικτὸν illud μυστήριον simus admissi quantum est et quantorum bonorum Sacramentum? Ego hoc primum nomine immortales tibi, pro eo ac debeo, gratias ago. Huic tanto beneficio quod mihi cum omnibus symmistis et thyasotis eorundem sacrorum est commune, accedit aliud sane ingens mihi proprium et meis. Vehebamur curru magni Thuani, ego, Philippa, et infans baptizandus, cum

reliqua familia, in queis ὁ ἀδελφιδοῦς Petrus Chabaneus. Casu nescio quo factum, ut Petrus qui una cum Philippa in altera janua currus sedebat, transversum illud lignum, cui innituntur vehentes, auferret de loco suo, aptaturus illud videlicet melius et firmius. Dum in eo est, ecce proni repente in altum lutum cadunt et ipse et Philippa, magno cum meo et omnium qui aderant metu, at malo suo plane nullo; cum tamen jure aliquis miretur qui potuerit fieri, ut rota posterior eos non conculcaret et attereret. Nos adeo, qui spectatores fuimus, miramur, et quod dicamus aliud nihil habemus nisi hoc, σωθῆναι αὐτοὺς κατὰ θεῖον ἀπημάντους. Itaque, O Deus, iterum iterumque æternas tibi gratias ago; supplexque oro, ut hoc tam illustre tuæ benignitatis testimonium et eorum qui sunt servati et nostris omnium cordibus alte inscriptum velis æternum manere. Serva et matrem, O Deus, et uxorem et domum universam. Hoc etiam die nuper natus infans lavacro salutis impertitus, et Paulus a susceptore est nominatus. Is fuit Suffridus Calignonius vir maximus pietate, eruditione et dignitate, quippe Navarræ Cancellarius. Susceptrix fuit nobilissima fœmina D. de Chanlinan, τῆς μακαρίτιδος uxoris magni Thuani soror. Deus Opt. Max. tanti mysterii sacramentum in puero ratum faciat, et Spiritum Sanctum illi ἀδιαλείπτως adesse velit per Jesum Christum Filium suum. Amen.

VII. *Eid. Jan.* O Domine, hic vero ope tua nobis

opus; hic dignus incidit vindice nodus, sed vindice te, solus enim opem afferre potes, solus ὢν verus ἰατρὸς, et bonæ malæque valetudinis promus condus. Ecce jacet uxor acerbissimis πλευρίτιδος, O me miserum, nisi me respicis, O Deus, doloribus cruciata. Et speramus quidem humanorum auxiliorum nihil defuturum σοῦ καὶ ταῦτα χορηγοῦντος. Sed omnia sine tua benedictione vana καὶ οὐδενόσωρα. Tu igitur, sancte Parens, ades, tu βοήθει, tu prope jam depositam pristinæ valetudini restitue, ad nominis tui gloriam et τοῦ μεσίτου ἡμῶν Domini nostri Jesu Christi, qui una tecum et Spiritu Sancto τριὰς ἁγιωτάτη ἐν μονάδι regnat æternum regnaturus. Amen.

VI. *Eid. Jan.* Hic quidem totus studiis periit dies. Uxori enim adfuimus graviter laboranti. Atque illa quidem corpore, nos animo cruciatus ferimus, ἀτλήτους καὶ ἀφέρτους πόνους, nisi quod videtur spes tenuis affulgere meliorum. Quod O da nobis, benignissime Pater, et clementissime Domine, per ego te Jesum Christum Filium tuum μονογενῆ τὸν τοῦ κόσμου σωτῆρα oro supplex, atque ἐκτενέστατα λιτανεύω. Amen.

V. *Eid. Jan.* Cum benignitate et singulari misericordia Numinis meliuscule uxor haberet, ausi sumus studia leniter repetere. Gratias tibi, sancte Pater. Quod superest, tu, qui cepisti, perfice. Amen.

IV. *Eid. Jan.* Hodie favente Numine ad solennia rediimus, et uxore meliuscule habente Paulum

nostrum cum nutrice sua Mommorantium ablegavimus, futurum ibi dum erit *ὑπόμαστος* et subrumus. Deus illum servet, crescentique benedicat, et nobis item atque omnibus *τοῖς ἐν γένει* ad nominis sui gloriam. Amen. Ecce autem institutas lectiones amicorum rogatu video oneri mihi esse. Hoc solum. Itaque displicet inceptum. Sed tu, O Deus, ades. Amen.

III. *Prid. Eid. Jan.* *Τὰ ἐγκύκλια.* *Θεῷ χάρις.*

Eid. Jan. Diem *κυριακὴν* cum non possemus auditioni verbi Dei impendere, dedimus magnam partem lectioni piorum Patrum. Tu, Deus, benedice. Amen.

XIX. *Kal. Feb.* Mane nihil: parum toto die. Deus, ades.

XVIII. *Kal. Feb.* Mane nihil ob tristissimum casum, qui nobis Mameram Patissonium eripuit. O incertam vitæ conditionem! A prandio docuimus et libros Pandectarum, occasione instituti operis, cursim revolvere cepimus, *σοῦγε, ὦ Πάτερ, διδόντος.* En ades, *ὦ σῶτερ*, et ceptis fave. Amen.

XVII. *Kal. Feb.* Studia, *διδασκαλία, καὶ τὰ ἐγκύκλια.* *Θεῷ χάρις.*

XVI. *Kal. Feb.* Mane egimus in bibliotheca Puteani: a prandio *τὰ ἐγκύκλια.* Deo laus et honos.

XV. *Kal. Feb.* Mane tempus in aula misere amissum: a prandio *τὰ ἐγκύκλια.* *Θεῷ χάρις.*

XIV. *Kal. Feb.* Mane pauculæ horæ bene positæ: deinde aula, et quidem frustra: tum autem domi

amici, parum amici. Sed, O Deus, benedic studiis, et domo universæ. Amen.

XIII. *Kal. Feb.* Die sacro domi remansimus, cum ne Hablonem iremus multa essent impedimento. At tu, Domine, libera me, et in universum quotquot ubique locorum τοῦ θείου λόγου σπανίζουσι, hoc malo. Amen.

XII. *Kal. Feb.* Studia Dei beneficio non neglecta.

XI. *Kal. Feb.* Et hic dies inter studia, negotia et amicorum officia est divisus. Deo laus et honos, cui me et meos supplex commendo.

X. *Kal. Feb.* Mane fere amissum totum: a prandio aliquid. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Feb.* Mane multa impedimenta, plura, et molestissima quidem, a prandio. Atque utinam pristina mala non excitentur diu benignitate Dei sopita. O Deus benignissime, respice me et hanc domum. Amen.

VIII. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια quoad licuit. Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, et volumen Pandectarum hodie absolvimus percurrere, pede quidem celeri, sed ceptum tamen, ut speramus, non inutiliter. Ita velis tu, O Deus, ὦ σῶτερ.

VI. *Kal. Feb.* Gratias tibi, Domine, quod Hablonem hodie ivi, redivi, ἔξω πημάτων ἔχων πόδα. Serva me, O Pater, et unice matrem, uxorem, liberos, πάντας τοὺς συγγενεῖς. Amen.

V. *Kal. Feb.* Ex itinere hesterno languentes,

docuimus tamen. Vides, O Deus, πῶς στενοχωροῦμαι. Ades ergo. Amen.

IV. *Kal. Feb.* Hei tristem, hei luctuosum mihi diem. Post multa impedimenta, quæ oblata mihi hodie, videbar otium nanctus ad unam aut alteram horam: et jam ad lectionem libelli cujusdam avidus me accinxeram, cum ecce literas quibus certior fio de obitu charissimæ, optimæque sororis Saræ Casaubonæ Chabaneæ. Illam ægrotare vehementer pridem dediceram, sed erat locus spei relictus, et inaudiveram etiam de convalescentia aliquid. Sed erat nimirum ille rumor falsus; neque enim convaluisti dulcissima mea; sed post plurium mensium languorem, et maximos interdum cruciatus tandem vicesimo tertio die Octobris beatam animam cælo acceptam cælo reddidisti. Tu quidem, soror conjunctissima, beata et μακαρισμοῦ potius quam θρήνων ἀξία, quippe ærumnis vitæ hujus τῆς ταλαιπώρου perfuncta, præmia piis permissa, et ex divina benignitate debita etiam iis, qui electorum numero censentur, tu in his, pia anima, nunc delibas, pleniorem eorum fruitionem in die illa expectans, qua possessionem paradisi sancti cernent. Sed angit me quod me præcesseris, mea soror; quod tibi terras linquere meditanti non adfuerim; quod tua morientis mandata non abs te acceperim; te denique non viderim, amplexibusque tuis non hæserim, et magnum tibi vale non dixerim. Angit me recordatio tot liberorum quos reliquisti, quibus

tua educatio erat necessaria, nisi fuisset aliter Deo visum. Angit me et charissimus, conjunctissimusque optimusque maritus, heu nuper tuus, qui casum hunc fert non aliter, quam par est probitate hac et bonitate conjugem. Super omnia cruciat me piæ matris respectus, quæ in hac extrema senectute sua quod sibi unicum supererat solamen malorum, et præsidium viduitatis, alieno, proh dolor, tempore amisit. Miserum me! Cur ego illi in tam gravi hoc casu non adfui? cur illam solatus non sum? cur lachrymas illius lachrymis meis non immiscui? Heu mater, dulcissima mater, ergo hoc supererat, ut in extrema ætatis tuæ tegula post amissum ante tot annos conjugem tuum amantissimum tui, venerandum patrem meum, post gravissimas ærumnas sororis Annæ, quæ Genevæ non vivit, sed vitam trahit, post discessum meum a te in hasce remotissimas oras, novissime hoc telo ferireris? O vere te nunc viduam! O nudatam omnibus tuis! Liberos enim ita habes, ut non habeas; tam longo sejungimur a te intervallo. Iterum iterumque miserum me, qui tibi adesse nunc non possum, qui præstare me tibi filium nequeo, qui tuorum gravissimorum malorum partem nullam possum sublevare. O rem mihi molestam, et prope intolerabilem! Sed quid faciam? Nempe illud unum, ut te, sancte Parens, compellem; tibi preces pro pia matre, pro fratre charissimo, pro liberis τῆς μακαρίτιδος, et pro universa domo offeram animo devotissimo; teque

orem, serves matrem, serves fratrem, serves liberos illius, serves etiam nos omnes, et me utilem illis fingas, maxime autem tui Numinis studiosissimum et *ἐκτενέστατον* cultorem. Amen. Amen. Amen.

III. *Kal. Feb.* Inter animi varios cruciatus et negotia molestissima studiis non multum datum. *Θεῷ χάρις.* O ades, clementissime Domine, matri meæ et omnibus nobis. Amen.

Hodie Senecam meum commodato dedi D. Imberto qui hic res agit Dominæ de St. Auban.

Prid. Kal. Feb. Binas ad matrem et fratrem literas *παραμυθητικὰς* scripsimus: docuimus: libros vix vidimus. Ita exiit primus anni mensis. Deo honos et gloria. Amen.

Kal. Feb. Quod bene vertat, O Deus æterne, mensem non pessime inchoavimus, datis horis aliquot studiis nostris, et necessariis officiis. Tibi honos, laus et gloria. Amen.

IV. *Non. Feb.* Totum diem in nugis occupati amisimus. O miserere, Deus.

III. *Non. Feb.* Hablonem non ivimus; sed diem in legendis Patrum constitutionibus apud Balsamonem fortasse non inutiliter impendimus. *Τῷ δὲ πολυελέῳ Θεῷ πλείστη χάρις.*

Prid. Non. Feb. Non neglecta Dei beneficio studia: illi honos et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων.* Amen.

Non. Feb. Multi fuimus in studiis *Θεοῦ διδόντος*, cui honos et gloria in æternum. Sed, O Pater,

respice benignus et matrem et uxorem et liberos, cum omnibus qui vel sanguine vel conjunctione me tangunt. Amen.

VIII. *Eid. Feb.* Studia quantum per amicos et susceptam curam licuit. Tu, Deus, adjuva, et piæ matri, O Deus benignissime, ades, item uxori, sorori, liberis et affinibus. Amen.

VII. *Eid. Feb.* Studia per horas fere novem; amici tum nos habuerunt, ut docere non potuerimus. Θεῷ χάρις· ἔλεος αὐτοῦ μετὰ τῆς μητρὸς, καὶ τῆς ὁμολεχοῦς, καὶ τεκέων, καὶ πάντων τῶν προσηκόντων. Ἀμήν.

VI. *Eid. Feb.* Studia Θεοῦ χάριτι, cujus benignitati matrem, piam matrem, et uxorem, et liberos, et omnes meos supplex commendo. O benigne Deus, ades illis et mihi. Amen.

V. *Eid. Feb.* Non omnis dies periit. Θεῷ χάρις τῷ πολυελέῳ, ᾧ καὶ τἀμὰ πάντα καὶ τὰ περὶ τοὺς ἐμοὺς, ἐξόχως δὲ τὰ περὶ τὴν πότνιαν μήτερα ἀνατίθεμαι, κείνῳ δόξα καὶ κράτος καὶ ἀρχὴ εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

IV. *Eid. Feb.* En infelicitatem! Vocabat nos Hablonem dies ipse, nec tempus erat incommodum. Sed obfuere tamen multa ne quisquam iret. Itaque, proh dolor, misere positus dies. Ad te igitur confugio, Deus misericordiarum, tuumque Numen supplex adoro, ne sensum pietatis ex animis nostris paulatim elabi sinas. Sic enim est profecto, ut etiam in rebus pietatis locum habet proverbium elegantissimum Arabum sapientum تطعم تطعم γεῦσαι, γεύσῃ. At tu ne siris,

benignissime Deus, ut minuat in nobis zelus, siquis fuit olim tui cultus, et auditionis verbi tui. Quin fac potius ut per hanc difficultatem gliscat in animis nostris ejus amor et juge desiderium. Etiam illud supplex a te contendo, πολυέλεε Θεὸς, ut matrem soleris, illi adsis, necnon uxori mihique et omnibus meis quique nos contingunt. Amen.

III. *Eid. Feb.* Studia leniter; nam officia nos multum occuparunt, et quidem dum matri literas perferendas curamus, quam, O æterne Deus, item uxorem et liberos, sororem misellam, et omnes meos supplex tibi commendo. Ades, O Deus. Amen.

Prid. Eid. Feb. O Deus, respice me undique mœroribus obrutum. Tu, Deus, caussas nosti, fac, si lubet, medicinam, sin aliter visum, da animum ferendis tot malis parem. Amen.

Eid. Feb. Studia prout licuit. Θεῷ χάρις. Sed meos affectus, O Pater, respice, et malis medere matris, uxoris, meis et meorum. Amen.

XVI. *Kal. Mar.* Gratias tibi, magne Deus, per vitæ ærumnas, præsertim ob filium, quem Genevæ habemus: diem tamen transegi non plane inutiliter. Serva hanc domum, O Pater, et piam ἐξόχως matrem.

XV. *Kal. Mar.* O ærumnosum diem, quo quidem toto vix unam aut alteram horam inveni studiis impendendam. Et illud ipsum non mihi sed aliis præstiti. Deus mi, mei et meorum miserere. Matrem, O Pater, supplex tibi commendo.

XIV. *Kal. Mar.* Ad matrem, et, propter matrem, ad alios scripsi hodie: hoc præcipuum quod fecimus. Cætera Deus tegat, et nos regat. Amen.

XIII. *Kal. Mar.* Magne Parens, ecce me pro genibus Majestatis tuæ supplicem, et tui compellandi avidum. Scio, immortalis, παντοδύναμε καὶ φιλοδίκαιε Θεὸς, et serio agnosco indignum me qui sursum oculos tollam, et te appellem. Quid enim mihi peccatorum maximo cum osore peccatorum Deo? Quid mihi vitiorum hamaxobio cum eorundem hoste? Qui non amas solum aut imperas pietatem et virtutem, sed ipsissima es pietas, ipsissima virtus, et, ut ita dicam, αὐτοαρετὴ καὶ αὐτοαγαθόν. Itaque, Domine, quoties Majestatem tuam suspicio, quoties vilitatem meam despicio, toties animum necesse est despondeam. Sedenim, magne universi Rector, si justitia tua me terret, at benignitas solatur: si fugat me a te divinitatis tuæ purissimus fulgor, at allicit me ὑπεράρρητος ἡ σὴ χρηστότης. Ecce me igitur, magne Deus, ecce illum inutilem servum tuum. Admonet enim me dies hæc, ut obrutus tuorum in me beneficiorum magnitudine, auctori tot bonorum animum non penitus ingratum, quali saltem cunque gratiarum actione palam faciam. Et quidem, Deus magne, claudit hic dies, atque adeo hæc fere hora, annum vitæ meæ quadragesimum tertium, quem cum exigere dederis viventem et valentem, hoc primum nomine gratias tibi, Pater χρηστότατε, pro eo ac debeo supplex et habeo, et ago. Deinde autem cum ad alia tot

illa et tanta beneficia oculos refero, quibus meque et meos anno isto, imo vero ἀδιαλείπτως ἀπὸ γενετῆς ἀεὶ prosecutus es, stupeo, sancte Parens, inque admiratione tuæ patientissimæ patientia defixus hæreo. Itaque, Pater cælestis, verba me deficiunt, sane deficiunt me verba; nec quid dicam scio. Cupio bonitatem tuam, qua tot jam annos erga me uteris, meritis laudibus prædicare: cupio, sed nequeo. Gestit animus commemorationem instituere acceptorum a benignitate tua, et quidem anno isto, beneficiorum; gestit quidem, sed frustra, nam cum omnia fecero, millesimam eorum partem non attigero. Quamobrem, magne Deus, τῇ μεγαλειότητι τῶν σῶν εἰς ἡμᾶς εὐεργεσιῶν φιμωθέντες pro debita gratiarum actione, cui pares non sumus, ad preces humillimas nos convertemus. Ante omnia vero illud in primis vere γόνυ κάμψαντες te oramus, te obtestamur, ut tuis hisce beneficiis des melius uti in posterum, quam hactenus fecerimus. Fateor enim, ὁ ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος et cum animi morsu vere fateor, ἐν δοίῃ θυμὸν ἡμῖν εἶναι, tuane in me benignitas, an mea in te sit major perversitas. Quam enim ab eo longe absum, ut ἀξίως τῶν σῶν χαρισμάτων vitam gubernem meam? Vel hic dies, Pater clementissime, testimonium contra me dicat, qui multis nominibus Hablonem me vocabat; quo tamen levibus (nam quid non leve, præ officiis pietatis?) impediti caussis non sumus profecti. Ignosce, Pater, da veniam peccato, imo dele cum hoc tum alia pec-

cata omnia mea et meorum. Ἱκάνωσον ἡμᾶς τρισάγιε Πάτερ, καὶ ἀξίους τῆς σῆς ποίησον χάριτος. Fac etiam, Deus æterne, ut memor castigationis, qua nuper me et familiam hanc universam objurgasti, optimam sororem ad te evocans, animum tibi subjicere, et id semper velle quod vis tu, in dies magis magisque assuescam. Matrem quoque meam benignus, O Pater, respice, et da mihi filio, ut habeat ipsa per me cur tibi gratias agitet, tuumque sacrosanctum nomen assidue prædicans decantet. Da idem uxori, idem liberis, idem sorori quoque et omnibus affinibus meis, ut pietatem colamus omnes, et in timore tuo ambulantes *μὴ διὰ ῥημάτων μόνον ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν πραγμάτων αὐτῶν βίον ἄξιον τῆς ὁμολογίας διὰ πάντων ἐπιδεικνυώμεθα· ἵνα μὴ καταισχύνωμεν τὰ δόγματα ἐν τῇ τῶν ἔργων φαυλότητι, ἀλλὰ διὰ πάντων τὸν δεσπότην ἡμῶν δοξάζοντες ἀπολαύωμεν καὶ τῆς ἐνταῦθα καὶ τῆς μελλούσης τιμῆς, ἧς γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ Πατέρι δόξα, κράτος, τιμὴ σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.*

ANNUS VITÆ XLIIII^{us}.

XII. *Kal. Mar.* Quem quidem Deus immortalis da feliciter exigere, qui dedisti feliciter auspicari. Vitam quidem, benignissime Domine, non peto a te *ἁπλῶς*, sed cum hoc, quandiu ita expedire ad gloriam tui nominis, ad utilitatem *τῶν πέλας*, ad

salutem meam judicabis. Illud te quanta maxima possum pietate oro, obtestorque ut quandiu vitam hanc colam, non ἄσκοπα τοξεύων vivam, fruens præsentibus, securus futuri: sed ut omnia quæ faciam, quæ dicam, quæ cogitabo ad illa tria capita omni contentione animi, omnibus ingenii viribus semper referam. In primis, Domine, posco illud Majestatem tuam supplex, ut qui meus Creator es, meus Factor, vitæ mihi Auctor, Conservator, tot bonorum Largitor, in queis est mediocris hæc literarum cognitio, qua me instruxisti: des, Domine, ut, priusquam morior, opus aliquod consecratum gloriæ tui Numinis et ordiar σοῦ βοηθοῦντος, et detexam σοῦ βοηθοῦντος. Quanquam, Domine, cum venit in mentem τῆς ἐμῆς ἀδρανείας, voti pœnitet. Quid enim sumus nos, ut eo aspirare aut iter affectare audeamus? Quasi non sim mihi conscius densissimarum tenebrarum, in quibus noster intellectus versatur? aut quasi nesciam miserum me homuncionem delictorum meorum mole et curis κοσμικαῖς, quibus assidue obruimur, ab omni spe melioris incepti penitus arceri? Ego vero, Domine, et probe istud scio, et quia aliud non possum, hoc saltem κατὰ δεύτερον πλοῦν te supplex oro, ut animum nihilominus largiaris mihi semper cupidum inserviendi gloriæ tui Numinis. Hic esto primus, hic ultimus meorum studiorum scopus, hic finis mearum vigiliarum. Si aliis prodesse hac parte non queo ὁ ἁμαρτωλὸς ἐγὼ, at mihi ipse prosim, et

meis. Me ipse erudiam in vera pietate; liberis meis viam ad salutem indicem quam ipse patefecisti nobis. Sim illis exemplo pietatis, integritatis et firmitudinis. Sim denique, Domine, sic adversum te pius, ut fructus pietatis meæ etiam in proximos redundent et omnes meos. Fac, Domine, veniat assidue in mentem mihi, quid sim, quis sim, et quam multiplicibus σχέσεσιν in hac vita tenear implicitus. Homo sum. Da igitur, illa curem, quæ vere sint hominis. Tuus miles sum, Domine. Ita quidem, Pater clementissime, spero et confido, in misericordia tua spes et opes meas omnes collocans. Da igitur, Domine, tanti nominis mensuram implere, ne ψευδώνυμος Christianus audiam. Φιλομαθὴς sum. Da igitur, ut quicquid instituatur aut discere aut docere in literis, ad laudationem Numinis tui referatur. Filius sum matris meæ. O Domine, hic lacrymas vix teneo, ac ne vix quidem. Quibus enim verbis agam tibi gratias, quod tamdiu piam mihi matrem viam valentemque conservaveris? Atqui, Domine, cum cogito quam inutilis adhuc illi vixerim, discrucior animi, et me mei piget. Misella in luctu et squallore nunc versatur ob amissam sororem, quam ex omnibus suis liberis solam habuit secum. Ego quid illi prosum? Qui ærumnas illius sublevo? Ah miser, nihil possum. Obstat enim voluntati meæ tantum istud locorum intervallum. Itaque ad te, O Domine, supplex confugio, sis illi, ut fuisti hactenus, pro

marito, pro filio, pro filia: sis illi τὰ πάντα: sic illius animum amore tui succendas, ut te unum spectet, humana omnia præsidia aut subsidia spernat, et humanorum bonorum, quæ tantopere miseri mortales miramur, vanitatem et videat et rideat. Quod si quid tamen illi rerum necessariarum deerit, oro, obsecro, obtestor te, et tuum Numen veneror supplex, des mihi facultatem illius juvandæ, qui dedisti voluntatem. Maritus sum. O nomen vere γλυκύπικρον! Quis enumeret, Domine, conjugii a te instituti bona, quæ quidem bonitas tua non leniter degustare, sed adfatim tot jam annos voluit me quoque participare. Ergo eo nomine gratias tibi, Domine, et gratissimas quidem. Sed insunt in hac rosa et spinæ; onus ipsum rei familiaris studiis meis prope funestum; curæ, anxietates, ἀηδίαι, et ærumnarum μυρίαι ἰδέαι. Nuper cum ἡ τριπόθητος conjunx Orci faucibus esset admota, quantum exanclavi dolorem? Rursus cum repente jussisti me esse securum, et paulatim ipsam refecisti, qui feceras, quibus incessi lætitiis? Nondum tamen penitus confirmata ejus valetudo. Itaque etiam hoc nomine te appello, Domine, εἰς βοήθειάν μοι: serves illam mihi et liberis nostris; denique (en hoc largire, Domine,) ut consentientibus in voluntate tua animis domum hanc sancte, pie et prudenter regamus. Pater sum. Da igitur, Domine, patrem agam non indulgentem sed sapientem; nam omnino sapientia opus maxima, ut recte aliquis

officii hujus partes exequatur. Grande onus, Domine, et humeris hisce impar. Tu firma, Pater mi, et da sic colere te, ut patrem, sic filium agere tuum in omnibus, ut habeant liberi in nobis, me, inquam, et matre sua, velut speculum cujus intuitu mores suos formare et ad tuam possint dirigere voluntatem. Filiis, filiabus benedic, Domine, et veram pietatem omnium animis inde. Cætera ad vitam hanc necessaria, si adsit pia mens, confido defutura nunquam. Frater sum. Adhuc enim altera superest mihi soror, et longum, Domine, supersit, oro. Sed misellæ ærumnas vides. Spes quæ supererat una a Rege, cui fidelem aliquando operam maritus illius navavit, heri in totum decollavit. Quid faciet ἡ ταλαίπωρος? O solare illam, Domine, et vel per me, si dignus sum qui hoc a te impetrem, vel per alios illam velis adjutam. Adfinis sum multorum, patruus multorum, amicus quam plurimorum. Hæc quoque nomina, Domine, imposuisti tu nobis. Da igitur absolutam omnibus numeris viri boni et officiosi imaginem omnes, qui opera egebunt nostra, experiantur. Da τοῖς κατὰ γένος προσήκουσιν auxiliari posse universis. Da amicorum tenuiores aut re aut consilio posse, quoties fuerim rogatus, juvare; da potentioribus illorum sic ὁμιλεῖν, ut virtute et pietate mea sim ipsis acceptior quam ἀρεσκείᾳ aut ullis illiberalibus, nedum invisis tibi placendi rationibus. Postremo, magne Deus, da matri, da mihi, uxori, liberis, sorori, et omnibus meis, ἵνα

ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· μεθ᾽ οὗ τῷ Πατρὶ δόξα, κράτος, τιμὴ, σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Cum superiora scripsissemus, et natalem nostrum ab hujus generis meditationibus auspicati essemus, studiis nos accinximus *ἐγκυκλίοις*, queis tu, O Deus, utroque benedic modo, ut et mihi, meisque prosint vigiliæ istæ laboresque assidui, et publicæ literarum utilitati conatus nostri inserviant. Amen.

XI. *Kal. Mar.* Bacchanalia hodie agitabantur; quam petulantiam cum animo toto detestamur, et in hominibus Christianis intolerabilem censemus jure merito, constitueramus domo hodie non efferre pedem. Sed invitati a Gourgæo Regio consiliario pauculas horas amisimus. Domine, ad te redeo, et pro salute Ecclesiæ tuæ, pro matre, uxore, liberis, me denique et omnibus meis supplex te appello. Amen.

X. *Kal. Mar.* Et studia per amicos pessum ruunt, et item per amicos grande damnum accipimus. Te igitur respicio, mi Deus; ades, et da posse piam matrem juvare, ac liberis prospicere, et rei familiari consulere. Amen.

IX. *Kal. Mar.* O Deus, anxietates vides meas et curas diversas, quas tibi *ἀνατίθεμαι.* Tu, Pater

cælestis, matri, mihi, uxori, liberis et sorori omnibusque meis prospicies. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Gratias tibi, Domine, quod non penitus perierit mihi hic dies. Cætera a te mihi meisque expecto, O Deus.

VII. *Kal. Mar.* Turbellæ et varia negotia a literis nos avocarunt: nempe ut eo ardentius ad te, O Deus, vota ferremus nostra. Tu medere incommodis nostris omnibus. Amen.

VI. *Kal. Mar.* Neque Hablonem ivi, neque studiis diem impendi. O Deus, rege nos et tege. Amen.

V. *Kal. Mar.* Et hunc ferme diem negotia eripuerunt. Σὺ δὲ, ὦ πολυέλεε Θεὸς, βοήθει καὶ ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς.

IV. *Kal. Mar.* Oro te supplex, Pater cælestis, des opus pridem institutum sed serio inchoatum hodie demum feliciter detexere ad gloriam nominis tui. Amen.

Annot. in Spartianum, etc. Opus tandem absolutum est Dei beneficio mense Januario sequenti, sed prius fuerat sæpissime interruptum.

III. *Kal. Mar.* O ærumnas, periit dies prope inutilis. Et da vitam melius collocare; τὸ δὲ κεφαλαῖον, inde animum pium, et piam matrem, O Deus, solare, juva, et subleva, uxorem et liberos omnesque meos, sancte Parens, serva ἀπημάντους. Amen.

Prid. Kal. Mar. O jacturam temporis, nam hodie vix lineam unam duxi. Deus mi, ades. Amen.

Kal. Mar. O Deus Opt. Max. da mensem hunc exigere in timore tui nominis, et mihi et meis *ἀπημάντοις*. Respice languentem multis nominibus familiam. Amen.

VI. *Non. Mar.* Multa quidem oblata studiis impedimenta; sed neque inutilis dies ille illuxit nobis. Itaque summas tibi, æterne Deus, gratias. Matrem vero et totam domum per ego te Jesum Christum et Spiritum Sanctum oro supplex, sublevа, serva. Amen.

V. *Non. Mar.* Hablonem hodie ego, uxor, filia et pars familiæ ivimus, et licet vexati vento et frigore salvi tamen Dei beneficio rediimus. Tibi, Deus æterne, gloria et honos. Amen.

IV. *Non. Mar.* Multa hodie tua in me, O Deus, beneficia. Itaque ago tuo Numini supplex, quantas possum maximas gratias, et per Jesum Christum *τὸν μονογενῆ σοῦ Υἱόν* matrem, me, ac meam, meosque tibi commendo. Amen.

III. *Non. Mar.* Studia valde perturbata per amicos; promovimus tamen in opere instituto aliquid, tuo, mi Deus, beneficio. *Σοὶ ἡ χάρις.*

Prid. Non. Mar. Totum, heu miser, diem male perditum vigilia ex parte compensavimus. Sed respice me, O Deus, et omnes meos, *καὶ τῇ μητρὶ βοήθει.* Amen.

Non. Mar. Æterne Deus, ago tibi gratias, quod horas plusculas non male hodie posuerim: hoc est, in promovendo isto penso sane jam molesto. Sed quid me habeat sollicitum, O Deus salutis

meæ, notum habes. Itaque si placet, et ad gloriam tuam expedit, medere difficultatibus; et fac, oro te supplex per Jesum Christum Filium tuum et Spiritum Sanctum tuum, ut expertus liberalem manum tuam, et aliis meorum, qui opus habuerint, possim *βοηθεῖν*. Ναὶ Κύριε *βοήθει σύ.*

VIII. *Eid. Mar.* Mane studia: a prandio negotia. Gratias tibi, Deus æterne.

VII. *Eid. Mar.* O Deus, et hic dies non male fortasse positus, etsi multum avocati sumus ab incepto opere. Da, Pater, lætum exitum, et ades. Amen.

VI. *Eid. Mar.* Uxor Hablonem profecta rediit *ἀπήμαντος*. Laus Deo, qui pro sua benignitate velit nos omnes respicere ac tueri. Amen.

V. *Eid. Mar.* Mane aliquid: dein nugæ. En ades, O Deus: nam istud quidem pensum jacet, cum tamen ipsi occupatissimam vitam agamus. Respice, O Pater, me, meos et studia mea. Amen.

IV. *Eid. Mar.* Τῷ Θεῷ *πᾶσα χάρις καὶ δόξα εἰς αἰῶνας αἰώνων.* Ἀμήν.

III. *Eid. Mar.* Uxor filium Paulum visit, qui Mommorantii educatur; domi nescio quid turbellarum sane molestarum. Sed, O Deus, omnia tibi mea, meque adeo et meos tibi curæ futura confido. Amen.

Prid. Eid. Mar. Opus nostrum ne aspeximus quidem hodie: sed ad Scaligerum uberiores literas dedimus; cui viro, O Deus, benedic, et quicunque in literis *ὀρθὴν ὁδὸν τέμνουσιν.* Hoc mane:

postea amici, curæ, nihil. Diem voto claudam; ut velis, ὦ Πάτερ, matrem mihi servare, uxorem quoque, me, liberos, sororem, et omnes qui cognatione nos tangunt. Amen.

Eid. Mar. Jactura temporis, aliud nihil. O ades, ὦ σῶτερ.

XVII. *Kal. Apr.* O tardum me et βραδύν! Sed Deo hæc permittenda, cui honos et gloria. Amen.

XVI. *Kal. Apr.* Hei mihi, quod Hablonem hodie neque ipsi, neque nostrorum quisquam ivit. Ignosce, O Pater, et da meliora. Amen.

XV. *Kal. Apr.* Nihil aut non multo magis promovimus. Fiat, O Deus, tua voluntas.

XIV. *Kal. Apr.* Officia, studia, sed non ex æquo. Da meliora, Deus. Amen.

XIII. *Kal. Apr.* Et isto die officia ac studia, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἴσου. Πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Hei mihi! Sed pietas impulit officium anteponere studio. Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Apr.* Mane sex continuas horas, a prandio quantum licuit, in literis fuimus. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Apr.* Domi totum diem fuimus, sed non defuerunt, qui avocarent, et sollicitudo de matre angit nos. Tu, Deus, subleva. Amen.

X. *Kal. Apr.* O Deus, meam matrem, uxorem, liberos, et omnes adfectus meos, meque cum his serva ἀπημάντους. Amen.

IX. *Kal. Apr.* Exieramus ego, uxor, Philippa, ut Hablonem iremus. Aliter Deo visum: neque

enim locum in navi potuimus invenire: ita erat jam ter plena. Ignosce, Deus, et fer opem. Amen.

VIII. *Kal. Apr.* Domo non exii, nec tamen admodum promovi: quod ut faciam, da, Pater Opt. Max. Amen.

VII. *Kal. Apr.* Promovimus, credo, aliquid. Θεῷ δόξα.

VI. *Kal. Apr.* Mane et vesperi in libris fuimus: interdiu funus deduximus honestissimæ matronæ D. de Garro: et hodie primum locum vidimus sepulturæ piorum dicatum. Expellimur urbe, et quasi καθάρματα in angulum nescio quem ejicimur. Bene est. Ἡ μερὶς ἡμῶν apud Deum. Ἡ γὰρ πολιτεία ἡμῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Deo Opt. Max. laus εἰς αἰῶνας αἰώνων.

V. *Kal. Apr.* Non multum hodie, sed Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Apr.* Etsi impediti, aliquid promovimus. Itaque vitam Hadriani principis hodie recensere absolvimus, quo nomine ingentes tibi, O Deus, gratias. En da finem, O Pater, et otium ad meliora studia. Sed ante omnia illud te supplex oro, dirigas omnes meos conatus ad gloriam tui nominis, et levamen aliquod meæ heu miseræ matris, uxoris, liberorum, sororisque et aliorum qui me cognatione tangunt. Γένοιτο, γένοιτο.

III. *Kal. Apr.* Gratias tibi, Jesu Domine, quod de pia matre hodie intellexi, valere ipsam; etsi, O Deus, in quantis ærumnis? Sed spero in te: hæc unica spes mea, unicum solatium. Etiam

quod Isaacus Chabaneus hodie venerit, ago tibi, Deus immortalis, gratias; et oro supplex ut te volente et probante una cum meis ipse quoque et ego cum illis et cum charissima conjuge *διάγωμεν*. Amen.

Prid. Kal. Apr. Profecturus Hablonem cum familia, hæc supplex scribebam, te orans, obsecransque, summe Parens, ut adsis comes, ducas, reducas, languentemque mille curis et onere peccatorum subleves. Amen. Ivimus, rediimus, uti spero ἀπήμαντοι, etsi a ventis vexati admodum. Tibi gratias, O Deus.

Hac die morbum contraxit ὁ μακαρίτης Petrus Chabaneus meus. Scaliger de Emendatione temp. Pithœo.

IV. *Non. Apr.* Et male habuimus, et jactati mille curis non multum promovimus. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, quantum per negotia licuit. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Apr. Pars magna periit, pars studiis data. Θεῷ χάρις.

Non. Apr. Pedem non extulimus foras, et quod poterat promovimus inter multiplices curas sane ingratas. Θεῷ δὲ τὰ πάντα μέλοι. Amen.

VIII. *Eid. Apr.* O Domine, respice me, respice uxorem, languentes curisque confectos, sunt enim multa quæ nos male habeant; respice et piam matrem, O Pater, ac liberos. Da crastinam diem pia mente agere, et ut ad tam pretiosas epulas parati, ὦ σῶτερ, veniamus. Amen. Amen.

VII. *Eid. Apr.* En sumus accincti, O Pater, ego

uxorque, ut, te juvante, te favente, sacrosancto corpori Filii tui hac die communicemus. Ades, *ὦ σῶτερ*: attolle animos ad te, munda nos a peccatis, dele maculas nostras, para nos ad has regias epulas, indue veste tibi grata: duc et reduc per misericordiam et meritum *τοῦ σωτῆρος μονογενοῦς υἱοῦ σοῦ τοῦ Χριστοῦ*, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit regnatque *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen. Ecce rediimus *ἀπήμαντοι* post incredibilem voluptatem perceptam ex auditione, O Deus, verbi tui, et Psalmorum cantu. Beatos, quibus est domi tanti boni copia. Gratias tibi, Domine, Deus æterne, immortalis, qui vi infinita brachii tui hanc ecclesiam et nos in illa protegis. O illam protege, serva, auge. Amen.

VI. *Eid. Apr.* O Pater, languentem respice, et curis anxium leva. Amen.

V. *Eid. Apr.* Ah ærumnas duras! Petrus *τῆς μακαρίτιδος* sororis filius gravissime ægrotat; famulus parum valet; ancilla abiit: ego, uxor, filia parum valemus. Adde curas immensas, ingentes, molestas. Ex his omnibus ærumnis in te uno, O Deus, acquiesco. Tu ades, *ὦ σῶτερ*. Amen.

IV. *Eid. Apr.* O Deus ades: *καιρὸς γὰρ καλεῖ.* Languet domus tota. Petrus gravissime periclitatur. Uxor habet non belle; famulus semiæger. Studia jacent. Inter hæc literas hodie e Scotia ab amicis, et ab ipso etiam Rege accepimus. Cui tu, O Deus, regum Rex, et omnibus principibus,

Henrico autem nostro imprimis, mentem vere piam inde, et Spiritum *ἡγεμονικόν*. Amen.

III. *Eid. Apr.* Studia quidem jacent: sed non id nunc angit me, angit morbus Chabanei mei, qui videtur extra spem positus. Sed, O Deus, tibi omnia facilia: te appello, ut opem languenti præstes. Fiat, O Domine, tua voluntas et in illo et in nobis omnibus. Amen.

Prid. Eid. Apr. En Domine iterum supplicem: adhuc enim angimur Chabanei mei morbo. Scis tu, Deus æterne, quid illi expediat: hoc te oramus, et tuum arbitrium facimus. Sed, O Deus, si fas petere, serva illum, et hoc gravissimo libera morbo. Sane tuus est, et pertinere ad electionem tuam multis notis ostenditur. Quantæ enim pietatis notæ in hoc morbo? Ut omnibus circumstantibus constet liquido de illius amore erga tuum Numen et timore. O serva illum, Domine, ad tui nominis gloriam, ædificationem ecclesiæ tuæ et salutem ipsius. Amen.

Eid. Apr. Inter mille curas, et gemitus propter gravissimum Chabanei mei morbum, et alias curas *ἀφέρτους καὶ ἀτλήτους*, diem egimus. O, illi ægroto, Deus, ades, et *βοήθει* per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo æternum regnaturus *ἀνάρχως* regnat. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* Dies erat Dominica, et tamen Hablonem ivit nemo meorum. Valde enim, O Pater, O here *τρισάγιε*, aggravata est tua in nos manus. Chabaneus eodem in statu, famulus

item. Sed et uxor non bene habet, quo nomine gravissime affligor. Ades igitur, O Domine, et me ac meos respice. Ærumnas meas nosti tu, Pater: medere, oro te et obsecro supplex. Amen.

XVII. *Kal. Mai.* Æquum est, Pater, justum est; tua fiat voluntas, quam hodie fecisti, cum ad te vocasti Petrum Chabaneum τῆς μακαρίτιδος sororis meæ filium.

Petri Chabanei obitus die Lunæ ut vocant, hora tertia et dimidia.

Die Dominica ante Pascha (Palmarum vocant) Hablonem ivimus ego, uxor, ille et famulus, omnes navi, præter famulum. Sed cum in navigando ingens frigus essemus experti ego, uxor, Petrus, percusserat animum sollicitudo vehemens non tam de mea aut charissimi Petri, quam de uxoris τῆς ἀγαπητῆς salute. Servasti, ὦ σῶτερ, et me et illam. At Petrum permisisti ex eo mortis caussam, ut videtur, contrahere. Nam simul est domum reversus, graviter dolere cœpit, et mox post levem cœnam decubuit. Ex eo semper morbus invaluit ad hanc diem usque. Nihil desideratum est, quod ad recuperandam sanitatem esset conducibile. Medici celeberrimi duo bis quotidie adfuerunt: præscripta remedia omnia diligenter adhibita. Sed aliter tibi, Deus æterne, visum erat, qui optimum juvenem et pietatis studiosissimum meliore vita donaturus huic renuntiare jussisti. Tibi, Deus æterne, honos, tibi gloria εἰς

αἰῶνας αἰώνων. Nos interea hac consolatione fruemur, quod juvenis optimus et tota vita, et eximie per tempus morbi, singularis pietatis testimonia præbuit. Totum morbi tempus ad extremum usque anhelitum piis cogitationibus et precibus ad Deum suum transegit. Cum per aliquot dies vehementia febris deliraret, tamen quoties aut legeretur Dei verbum, aut preces fierent, aut D. Moninius ecclesiæ hujus pastor illum alloqueretur, non aliter, ac si mens vel maxime constitisset, quiescebat, respondebat, audiebat, et votis nostris suas preces adjungebat. Equidem hoc semper meminero, cum non lene argumentum piæ mentis esse videatur. Itaque etiam hoc nomine gratias tibi, Deus Pater misericordiarum. Duravit hæc illi mentis θεοπνεύστου constantia ad ultimum usque spiritum, quem, me Deum orante, uxore præsente, ita quiete, ita placide, ita æquanimiter reddidit, ut non dubitem beatum prædicare. Quod superest te, Deus Opt. Max., oro, obsecro supplex ut reliquam domum benignus et propitius protegas, serves, et solita bonitate foveas. Solare, O Pater, et matrem meam, alteram τοῦ μακαρίτου matrem, quæ hoc casu extremum dolorem percipiet. Et jam optimæ fœminæ ærumnas nosti, Deus clementissime. Miserere igitur, qui potes solus, et cum illam, tum patrem illius affinem meum conjunctissimum solare. Uxori quoque meæ, quæ officia matris defuncto præstitit, et obitum nunc vehementer luget, solamen præbe,

pietatem intende, valetudinem firma, animum exhilara. Angimur enim, æterne Deus, et ego et illa, et multas quidem ob caussas. Sed ἐξόχως φιλοστοργία et liberorum cura reddit sollicitos; quos tamen tuæ curæ, Pater ἐλεεινότατε, lubentes merito et nos cum illis committimus atque permittimus. O ades, qui te invocantibus et tibi fidentibus præsentem semper te futurum spopondisti. Ναὶ Κύριε πρόφρων βοήθει, δεόμαί σου καὶ ἀντιβολῶ πρὸς τοῦ μονογενοῦς σοῦ υἱοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ μετὰ σοῦ καὶ τοῦ Ἁγίου σοῦ Πνεύματος χάρις καὶ δόξα καὶ κράτος εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

XVI. *Kal. Mai.* Tristissimo officio hodie sum functus, deducto Petro Chabaneo meo, vel elato potius ejus cadavere ad locum quietis, ubi in spem melioris vitæ κοιμηθησόμενον collocavimus. Sic Deus voluisti. Tua fiat voluntas. Amen.

XV. *Kal. Mai.* Quod bene vertat, ad solennia hodie rediimus, tuo, O Pater, beneficio. Σοὶ ἡ χάρις.

XIV. *Kal. Mai.* Ne hodie quidem multum promovimus. Nam adhuc omnia turbata e superiorum dierum casu. O Deus, studiis, si placet, fave benignus. Amen.

XIII. *Kal. Mai.* Angustias meæ mentis, Deus æterne, notas habes. Oro igitur supplex, et ingenii et corporis difficultatibus medearis. Quod et supplex te oro per Jesum Christum Filium tuum et Spiritum Sanctum tuum. Amen.

XII. *Kal. Mai.* Ad Regem Scotiæ cepimus hodie

respondere, et ad amicos Scotos. Sed nos antiquum obtinemus; nisi tu succurras, æterne Domine. Amen.

XI. *Kal. Mai.* Etsi dies vocabat Hablonem, non tamen ivimus, multis obstantibus. Ignosce, Deus, et miserere. Scripsi hodie ad Regem Scotiæ, et alios amicos, qui utinam in professione veræ pietatis firme omnes persistant, et nos cum illis. Amen.

X. *Kal. Mai.* Parabam hodie in gratiam cum libris redire; sed multa etiam hodie avocarunt. Da, Pater, otium, et finem videre operis. Para, Deus, et matrem et affines ad auditionem tristis nuncii. Nobis vero ades, benignus. Amen.

IX. *Kal. Mai.* Partem diei hujus impendimus spectaculo funeris Mareschalli de Retz, qui per flagitia et scelera evectus duravit ad hæc tempora, sed a multis annis in pœna vivens, carcinomate teterrimo vultum arrodente. Ita pereant omnes tui, O Deus, hostes. Iste quidem inter præcipuos auctores lanienæ Parisiensis postremus omnium periit. Tibi, O Deus, et gloria et gratia. Amen.

VIII. *Kal. Mai.* Pauculæ horæ in studiis positæ. *Θεῷ χάρις.*

VII. *Kal. Mai.* Si vere dictum Plinio præstare officium studio, næ hic dies non pessime collocatus; varie enim conati sumus tenues amicos quibus negotia in curia [adjuvare]. At studia jacent. *Θεῷ χάρις.*

VI. *Kal. Mai.* Τὸ καδδύναμιν hodie, etsi afuimus diu museo. Θεῷ ἁ χάρις.

V. *Kal. Mai.* Marci vitam hodie absolvimus. Deo honos et laus. Amen.

IV. *Kal. Mai.* Gratias tibi, ὦ σῶτερ, quod Hablonem cum Isaaco Chabaneo ivi, rediique ἀπήμαντος. O ades mihi, et omnibus meis. Amen.

III. *Kal. Mai.* Variæ curæ et varia studia ex occasione nos habuerunt. Σοὶ, ὦ σῶτερ, ἁ χάρις.

Prid. Kal. Mai. Exegimus tandem hunc mensem, heu non pleno numero. Abes enim tu, mi Chabanee. Sed bene tibi, qui, superatis mundi hujus salebris, in quiete versaris. Nos agitamur adhuc. Etsi benignam sæpe, O Deus, manum tuam experimur. O Deus, Pater misericordiarum, serva nos, et nostri, et qui hic sumus, et piæ matris, omniumque miserere. Amen.

Kal. Mai. Cujus diei venit nunquam in mentem, quin subeat recordatio Kal. Mai. ante biennium præteritarum. Simul gratias Deo ago qui ecclesiam suam a manu hostium servavit. O serva illam, O Deus, et nos in illa. Amen.

VI. *Non. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις. Etiam ad matrem cœpi scribere, quam solare, Pater misericordiarum.

V. *Non. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Mai.* Quod licuit inter multa impedimenta, τῷ Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Mai. Domini dies erat, et tamen

Hablonem ivit hodie nemo nostrum. Ignosce, Deus, et miserare. Amen.

Non. Mai. O Deus, ades, serva, rege, protege nos omnes, et qui ubique gentium tuum Numen pura mente adorare gestiunt.

VIII. *Eid. Mai.* Libros nunc allatos Francofurto hodie inspeximus: ideo non multi in literis fuimus. Σὺ δὲ, ὦ πανέλεε Θεὸς, ἐλέαιρε.

VII. *Eid. Mai.* Lene medicamentum hodie sumseramus; quod dum contemnimus, et aeri frigorique nos exponimus, temere in febrem incidimus gravissimam. Dominus Deus noster vim illius moderatus est, et post horas fere duodecim ea me liberavit. Illi igitur, et Jesu Christo Filio Dei Deo vero, et Spiritui Sancto vero item Deo honos, laus et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VI. *Eid. Mai.* Hodie studia propter febrim hesternam lenius tractavimus: male quidem. A prandio quod licuit per amicos. Θεῷ χάρις. Amen.

V. *Eid. Mai.* Dies hic pene periit πανώλης totus. O dolor! Sed, O Deus, me meosque serva. Amen.

IV. *Eid. Mai.* Domo egressi non sumus, et fortasse aliquid præstitimus, etsi leve, et levius pluma. Deus æterne, da veram mihi meisque pietatem. Amen.

III. *Eid. Mai.* Proh dolor, et hunc diem amisimus, et, quod serio dolet, Hablonem ivit nemo nostrum; etsi tentatum est, sed paullo serius ventum ad portum. O ignosce, Deus, et miserere. Amen.

Prid. Eid. Mai. Hodie Aristophanem pridem ceptum, sed sæpe intermissum exponere familiaribus desiimus, absolutis Equitibus. Θεῷ χάρις. Τοῦ λοιποῦ, ὦ Πάτερ, σύμβουλος ἴσθι. Ναὶ δέομαί σε πρὸς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, ὃς μετὰ σοῦ τοῦ παναγίου Πατρὸς, πανάγιος αὐτὸς ἅμα καὶ σὺν τῷ παναγίῳ Πνεύματι βασιλεύει ἀεὶ καὶ νῦν καὶ εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

Eid. Mai. Apud amicos hodie invitati, cætera non illibenter fuimus; sed quid moliantur viri optimi videmus, et ridemus. Nam, O Deus, in te, in te uno spes mea salutis meæ ac meorum. Ades, ὦ σῶτερ, et me serva, meosque. Amen.

XVII. *Kal. Jun.* Studia et negotia hodie, sed non ex æquo. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Jun.* Studia per multas occupationes non neglecta. Itaque τῷ Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Jun.* Et hujus diei pars studiis, pars amicis impertita. Sic vita est nostra. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Jun.* Hablonem cum uxore profecturus hæc scribebam, teque Deus immortalis supplex venerabar nos et omnem hanc domum protegeres, servares, foveres. Amen. Et ivimus sane et redivimus, et cur magnas tibi, O Deus, gratias agamus caussas habemus plurimas, justissimas. Quod et toto pectore facimus.

XIII. *Kal. Jun.* Aliis, non mihi vixi, sed et mihi, quia aliis. Utinam Dominus benedicat. Cætera φροῦδα. Respice igitur nos, ὦ σῶτερ. Amen.

XII. *Kal. Jun.* Gratias tibi, O Pater, quod non

penitus dies periit: etsi quotula pars reliqua facta ab amicis. Sed tamen gratias tibi.

XI. *Kal. Jun.* Paucæ bene positæ horæ. Θεῷ χάρις, quod non totum periit tempus.

X. *Kal. Jun.* Turbellæ inter domesticos: sed medere et illorum imprudentiæ, et meis meorumque incommodis. Σῶσον, ὦ Pater. Amen.

IX. *Kal. Jun.* Lutetia discessurus cum amplissimo Thuano ad propinquum illius prædium hæc scribebam, orans supplex tuam, O Deus æterne, majestatem, ut et me serves reducemque præstes ἀπήμαντον, et meos hic benignus protegas, regas, foveas. Ναὶ δεόμαί σου καὶ λιτανεύω, ὦ σῶτερ, σῶσον ἡμᾶς per Jesum Christum unigenitum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo ἄναρχος, ἀτελεύτητος regnat, regnabit. Amen.

VIII. VII. VI. V. IV. III. *Kal. Jun.* Hosce dies in prætorio amplissimi Thuani egimus, et libris non segniter operam dedimus: nisi quod Dominica die Hablonem profecti sacrosanctum Christianæ pietatis mysterium celebravimus, qua de re et propter felicem reditum, et fausta omnia domi reperta, æternas tibi, Deus æterne, gratias agimus et semper habebimus, agemusque. Τῇ παναγίᾳ τριάδι τὸ μέγα κλέος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

Prid. Kal. Jun. Cœperam ante menses aliquot Notas istas, quæ me nunc occupant in Spartianum, etc. exarare; ea spe sane, ut nepos Petrus Chabaneus describeret. Heu vanas spes homi-

num! Nam fuit ille optimus adolescens. Nos igitur eundem laborem sustinere cogimur. Hodie incepimus, cras, Deo dante, prælo tradituri. Utinam, bono omine: hoc est, te volente et faciente, Deus æterne, qui una cum Filio tuo Jesu Christo et Spiritu Sancto regnas, regnabis æternum. Amen.

Kal. Jun. Quem diem et mensem et quicquid superest exigendum fac, O Deus, καὶ ποσὶ καὶ νοΐ ἀπημάντῳ ego, meique omnes percurramus. Amen.

IV. *Non. Jun.* Non ego quidem, neque uxor, sed pars tamen familiæ Hablonem ivit beneficio Dei, cui honos et gloria in secula seculorum. Amen.

III. *Non. Jun.* Studia, et item ad lectiones reditum domesticas. Utinam Deus cœptis omnibus adsit. Amen.

Prid. Non. Jun. Studia, amici, Θεῷ χάρις.

Non. Jun. Mane studia, a prandio solum cura corporis, et amœna recreatio per hortos regios. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

VIII. *Eid. Jun.* Mane aliquid: a prandio minimo minus. Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Jun.* Dies totos, mane excepto, perdimus misere, nisi quod aliis fortasse prosumus nonnihil. O da, Deus æterne, in eruditione vera et proficere quotidie, et aliis, meis certe, rectam viam semper præire. Amen.

VI. *Eid. Jun.* Non per ignaviam duximus hunc

diem: sed de literis mereri pro virili nostra non male conati sumus. Deus æterne, pro solito favore ceptis benedice. Amen.

v. *Eid. Jun.* Hei mihi, quod die Dominica ego meique omnes auditione verbi divini caruimus. Sed et parum valet uxor, et nos sumus impeditissimi, et tempus incommodum. Quanquam hæc peccati nos non absolvunt. Ignosce, O Deus, et miserere. Amen.

iv. *Eid. Jun.* Mane studia: a prandio sermo diuturnus de literis cum magno viro Vieta insigni mathematico. O ades, Deus, mihi ac meis. Amen.

iii. *Eid. Jun.* Mane assidui in penso fuimus; a prandio scripsimus literas, et aliis non nobis viximus. At, O Deus, languentem uxoris valetudinem, forsan et piæ matris firma, et nos omnes serva. Amen.

Prid. Eid. Jun. Mane multæ horæ non pessime positæ Dei beneficio, quædam et a prandio. At tu, O Pater, languentem, imo gravissime affectam, uxorem oro te supplex, respice per Jesum Christum τὸν ἀληθινὸν σωτῆρα qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat ἄχρονος. Amen.

Eid. Jun. Uxoris morbus hunc fere totum mihi eripuit. Illa quidem graviter visa decumbere, sed spes tamen σὺν τῷ Θεῷ prope explorata brevis ἀνακτήσεως. Nos vero graviter videmur affecti; et certa sunt τεκμήρια, arente præsertim lingua. Sed et illam, et me, et matrem, et liberos Deo Opt.

Max. committo, in ejus bonitate spem omnem ponens. En ades, ὦ σῶτερ. Amen.

XVIII. *Kal. Jul.* Insignis dies, et quem Deus in posterum fortunet publice privatimque. Cum parum valeremus ego atque uxor, sumsimus hodie pharmacum: sed casus intervenit, qui illi mihique inutilem videatur redditurus medicinam. Hoc privatim. Publice, illud insigne. Bironium fortissimum heroem hodie Rex conjecit in carcerem cum comite Auverniæ. Deus Opt. Max. Regem servet, et Rempublicam stabiliat. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Mane pene totum periit: a prandio nihil: lucubratione aliquid. Laus Deo atque honos.

XVI. *Kal. Jul.* Die Dominica Hablonem non ivi, neque aliquis domesticorum, valetudine præsertim repugnante, quod utinam, O Deus, aliter possit a nobis fieri. O σῶτερ, qui alioqui benignus adeo hæc nobis otia facis, et Regem, et omnes bonos, et nos in his serva. Amen.

XV. *Kal. Jul.* Studia non negligenter. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Jul.* Mane studia Θεοῦ χάριτι: a prandio negotia diversa, et cum Molineo eruditissimo pastore hujus ecclesiæ graves sermones de pietate, quam, O Deus, mihi meisque largire. Amen.

XIII. *Kal. Jul.* Mane ad Regem adiimus, quem, O Deus, serva, tuere, protege: a prandio variæ curæ. Τῷ Θεῷ χάρις.

Magnus Rex cum me more suo humanissime

excepisset, et per jocum proditionis Bironeæ (est ille nunc in carcere) complicem me dixisset, statim converso ad gravitatem vultu, Vides, ait, quantum laboris sustineam ipse, ut tu servire studiis vaces. Ipsa verba illius ponam, *Vous voyez combien j'ai de peine afin que vous estudiez surement.* O Deus, serva illum nobis, O Deus, præsta illum ἀπήμαντον.

XII. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Tibi, O Deus, gloria, laus et honor. Amen.

XI. *Kal. Jul.* Non male diem collocavimus: etsi quantum volebamus, non præstitimus: sed aliis fortasse profuimus. Summo mane surreximus, diu in literis fuimus: valetudinis curam habuimus, et leviter corpus purgavimus vulgari hac casia. Itaque jure tibi, Deus æterne, et gratias agimus, et matrem, uxorem, liberos commendamus. Amen.

X. *Kal. Jul.* Heri mihi fere, hodie totus aliis vixi. Vix enim pauculæ horæ positæ in studiis. Sed bene est, quod aliis prodesse conati sumus. Utinam, O Deus, sic ista humana curemus ego, meique, ut ad meliores cogitationes animum semper referamus. Da hoc, sancte Parens, et matri, et uxori, mihique ac liberis nostris. Ναὶ δέομαί σε per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto regnat ἄναρχος, ἄχρονος, ἀτελεύτητος.

IX. *Kal. Jul.* Ah ignosce, O clementissime Domine: dies abiit sacra, cum sacræ συνάξει nemo

nostrum interfuit. Agnosco culpam, et crimen deprecor, meque excuso, sed veniam peto mihi ac meis, ac veræ pietatis sensum. O da, Parens cælestis. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Mane τὰ ἐγκύκλια: a prandio afuimus. Tibi honos, tibi gloria, Deus τριάγιε καὶ πανέλεε. Amen.

VII. *Kal. Jul.* Studia, amici. Deo laus et honos.

VI. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Jul.* Mane summo in literis: inde curæ. Θεῷ παναρίστῳ χάρις.

IV. III. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Jul. Hablonem iturus cum uxore hæc scribebam; teque, O Deus, orabam supplex, ut iter secundares. Ivimus, rediimus tuo, Deus τρισάγιε, beneficio, qui pro tua infinita bonitate dedisti hanc coronidem huic mensi imponere. Τῷ σοὶ, ὦ παναγία τριὰς, πλείστη ὅση χάρις.

Kal. Jul. Da, summe Rector, feliciter mensem inchoare, et feliciter decurrere. Da piæ matri, da uxori, da mihi, liberis, sorori et omnibus meis, non quod ipsi optaverimus, sed quod tua infinita bonitas rectum judicaverit. Oro te supplex per Dominum nostrum Jesum Christum qui una tecum et Sancto Spiritu tuo vivit regnatque εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VI. *Non. Jul.* Mane studia: a prandio aliis profuimus de more et instituto, cui tu, sancte Pater, benedice in dies. Amen.

V. *Non. Jul.* Studia promiscua, curæ, aliena

negotia. O his me expedi, Deus æterne, et me serva ac meos. Amen.

IV. *Non. Jul.* Mane aliquid: a prandio totum tempus aliis impendi. Τῷ Θεῷ χάρις.

III. *Non. Jul.* Studia, ut possumus, ita procuramus. Sed, O Deus, avertit me publica cura et de salute τοῦ μέδοντος sollicitudo. Tu illum, Deus æterne, firma, rege, dirige et nos cum ipso. Amen.

Prid. Non. Jul. Studia, et magis preces ad Dominum, ut vere Statorem se nobis præbeat. Amen.

Non. Jul. Dies Deo sacer, et qui nos Hablonem vocabat: sed non ivimus tamen; quod gravissime dolet. At, O Deus, miserere, et me meosque in timore tui nominis serva ἀπημάντους. Amen.

VIII. *Eid. Jul.* Hodie promovimus nihil, curis impediti, et literis ad Lipsium et alios amicos. At tu, ὦ σῶτερ σῶσον. Ἀμήν.

VII. *Eid. Jul.* Totus fere dies literis impensus, ad Scaligerum, Grotium, Heinsium, quibus omnibus, O Pater, benedic et mihi cum illis meisque omnibus. Ἐξόχως δὲ matri piæ, uxori charæ, suavibus liberis. Amen.

VI. *Eid. Jul.* O ærumnæ, aliis vivimus, nostris inutiles! Scis curas meas, O Deus, quas tibi committo, et permitto. Ades, fove, rege. Amen. Etiam piam matrem, O Pater, unice solare, et me ad illam siste opportuno tempore. Amen.

V. *Eid. Jul.* Studia τὸ γοῦν καδδύναμιν. Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Jul.* Visimus hodie ego, uxor et liberi Paulum filiolum, qui Momorantii educatur. Omnia Dei beneficio læta reportabamus domum, cum in S^{ti}. Dionysii oppido intervenit magnus casus, carrucario prope extincto et multis plagis sauciato. Sic semper ipsæ voluptates nostræ plus aloes quam mellis habent. Tibi, O summe Deus, et totam domum supplex commendo, et quod hac die servaveris a majore vi, gratias ago.

III. *Eid. Jul.* Mihi aliquamdiu, sed plus vixi aliis, et quidem εἰς κενόν. Sed in te fidimus, O Deus. Tibi honos, tibi gloria. Amen.

Prid. Eid. Jul. Diem pietatis studiis sacrum Lutetiæ egimus, neque Hablonem ivimus. Ignosce, Deus æterne, et miserere. Nam hæc quidem summa est infelicitas mea et meorum. O medere, qui solus potes. Amen.

Eid. Jul. Τὰ ἐγκύκλια, et labores Atlantici, quorum utinam ad alios aliquis fructus perveniat: ad nos certe nullus, præter conscientiam recti studii. O benedic et mihi et meis, Deus æterne.

XVII. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια etsi per multa impedimenta. Τῷ Θεῷ δόξα.

XVI. *Kal. Aug.* O Deus, quales ego literas a legato Venetensi, veteri illo amico meo D. Philippo Canaio accepi; quibus quidem ut serio possim respondere, O Deus, opem tuam expeto. O ades, et me meosque serva. Amen.

XV. *Kal. Aug.* Tempus periit totum, et quidem per occupationes ingratissimas. Sed ita tibi, O

Deus, placet: ad te convertor, et opem a te peto. O ades. Amen.

XIV. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, hoc est, labor multus, sed ingratissimus in literis scribendis, vel aliis juvandis. *Θεὸς εὐμενὴς εἴη.*

XIII. *Kal. Aug.* Totus dies in literis scribendis positus, aut siquid aliud egimus, totum ingratum, inutile. Te spectamus, O Deus.

XII. *Kal. Aug.* Diem tibi, O Deus, tuo cultui sacrum quomodo egerim, nescio. Illud scio non egisse ut par erat, et ubi vellem. Ivit tamen Hablonem et sacræ synaxi interfuit filia cum parte familiæ. O Deus, serva totam domum a matre ad minimum natu, et omnes. Amen.

XI. *Kal. Aug.* Et hic dies literis impensus vel aliis curis nihili. O Deus, respice nos. Amen.

X. *Kal. Aug.* Quod potuimus. *Θεῷ χάρις.*

IX. *Kal. Aug.* Percurrimus aliquot martyrum vitas. O beatos illos! Tu nos facies, Deus æterne: si lubet, mitiore via; sin per illam, tibi honos, et gloria. Amen.

VIII. *Kal. Aug.* Mane aliquid: a prandio nihil. Deo laus, et honos.

VII. *Kal. Aug.* O jacturam temporis! En ades, O Deus. Amen.

VI. *Kal. Aug.* En, ut male cum studiis meis agitur. Vix pauculas horas bene posuimus, cum diem tamen totum occupatissimi transegerimus. O respice nos, Deus. Amen.

V. *Kal. Aug.* Hablonem iturus hæc scribebam,

teque, O Deus, orabam, ut me ἀπήμαντον et meos servares. Quod et fecisti, ὦ σῶτερ, τῷ καὶ εὐχαριστῶ σοι toto animi affectu, et ut me ac meos protegas supplex oro.

IV. *Kal. Aug.* Studia, O Domine, non neglecta: sed nec curæ remiserunt, quas scis esse graves, Pater benignissime, et caussas nosti. Tu medere, Deus æterne, et me ac meos in timore tui nominis serva. Amen.

III. *Kal. Aug.* Mane aliquid: a prandio variis de caussis nihil. Deus miserare. Amen.

Prid. Kal. Aug. Insignis dies. Nam hoc demum die caussæ Bironeæ finis est impositus, simul et illius vitæ. Capite enim pœnas dedit, meritissimas ille quidem, dignus vel gravissimis suppliciis propter novissima consilia, sed et miseratione ob pristinam virtutem. Non facile memoria nostra aut avorum reperiatur aliquis, quem aut heroica facta et maximæ res gestæ illustriorem reddiderint, aut qui deteriora consilia et Galliæ pernitiosiora inierit. Igitur ut fortium factorum prope inaudita præmia fuerat nactus, sic perditissimæ conjurationis justissimas pœnas dedit; ut qui fide et probitate prodesse reipublicæ nolebat, exemplo posset. En miseri mortales, quid sumus? En firmitatem rerum humanarum. Nempe unus tu, Deus æterne, unus immutabilis, unus et μονώτατος, ἀναλλοίωτος. O da, summe Rector orbis, publice privatimque tantum exemplum prodesse. Da Regi veram sapientiam,

et prudentiam; da nobis subditis in pace et tui nominis amore ex Legis tuæ præscripto vitam agere ac feliciter tandem claudere. Amen.

Kal. Aug. Quod Deus Opt. Max. vertat bene, it jam nobis Augustus, et pars anni major exacta. O Deus, tege quod præteriit, rege quod superest. Amen.

IV. *Non. Aug.* Non totus dies periit. Tibi uni, Deus æterne, sit gloria et honos. Amen.

III. *Non. Aug.* O curas! Quid enim agimus? atqui non cessamus. Sed aliud agimus, vel alia quam quæ vellemus. Tibi, æterne Deus, hæc cura. O audi, exaudique.

Prid. Non. Aug. Diem Domino sacram hic, non Hablone egimus, et quidem inter varias curas. Quam vellem aliud egisse potius: quanquam nec sacra penitus intermissa. Da, Rector orbis, et mihi, et omnibus qui hic veram pietatem cordi habent, velle quod vis, et posse quod voluerimus. Amen.

Non. Aug. Θεῷ δόξα καὶ χάρις. Ναὶ Κύριε ἐλέησον.

VIII. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια et mille curæ plerumque ingratæ. O solas gratas cogitationes de rebus cælestibus! Da illis immori, O σῶτερ, et mihi et meis omnibus. Amen.

VII. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια. Deus benedice: a te expecto. Tibi honos et gloria uni. Amen.

VI. *Eid. Aug.* Omissa τὰ ἐγκύκλια cum minus belle haberemus, ob vigiliam superioris noctis. Caussam illi præbuerunt latrones, qui effringen-

dis fenestris sub horam noctis fere secundam manus admoverunt. Ancilla, quæ forte in culina tum fuit, acclamavit, et nos excitavit. Multum tumultus in domo. Sed Deo Opt. Max. laus, honos, et gloria, quod nihil potuerint improbi. O serva, O σῶτερ, et matrem, ubi ubi illa nunc agit, et nos qui hic sumus, et omnes liberos, qui ubique sunt per Jesum Christum Filium tuum unicum, qui una tecum et Spiritu Sancto regnat æternum regnaturus. Amen.

v. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, sed, O Deus, quantas inter curas. Ita respice nos, et facies, scio, tempore necessario. Amen.

iv. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

iii. *Eid. Aug.* O Deus, agnosce, et benignus ignosce. Nam hodie nemo nostrum Hablonem ivit. Caussas tu nosti. Sed nullæ caussæ justæ, si essemus, qui debebamus. O da meliora, Deus. Amen.

Prid. Eid. Aug. Τὰ ἐγκύκλια, sed vix paucas horas. O respice nos, Deus immortalis. Amen.

Eid. Aug. Τὰ ἐγκύκλια utcunque, mane. Inde ne inspecti quidem libri; sed cum Scipione Gentili viro clarissimo et doctissimo suaves sermones. Serva me, O Deus πολυέλεε.

xix. *Kal. Sept.* Totum diem adfuerunt, qui turbarent studia. O gravem jacturam! Da crastinum diem, Deus æterne, et reliquam vitam melius collocare et mihi et meis. Amen.

xviii. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque: sed O mihi meisque συγγενοῦ, Deus. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, si per amicos licuisset. Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Sept.* Uxor et Philippa et familiæ pars Hablonem ivit. Ego inter nugas diem male perdidi. O ades, Deus, et respice. Vides enim.

XIV. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια inter mille impedimenta. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια: labor multus, sed semper ingratus. Te igitur, O Deus, specto. Tu matri, tu mihi, tu uxori, liberis et omnibus meis ades. Amen.

XII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi, ut semper, occupati. Θεὸς ἵλεως εἴη.

XI. *Kal. Sept.* Ut potuimus, mane: nam a prandio nihil. ἐλέαιρε, ὦ πολυέλεε.

X. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, sed animo mœsti, cum aliis de caussis, tum quod de pia matre nihil intelligo: quam tu, O Deus, et omnes nos serva. Amen.

IX. *Kal. Sept.* Mane τὰ ἐγκύκλια: deinde nugæ. O Deus, ἐλέαιρε. Sed jucunda, O Deus, recordatione hodie fruebar, cum veniret in mentem quid ante annos triginta hac ipsa die sit factum in hac infelici Gallia. Nam sanguine tuorum aspersa est tota Gallia. Quid profecerunt. Tua bonitas nos in integrum restituit. Tibi igitur, O Deus, laus, decus et honos et una tecum Domino nostro Jesu Christo ac Spiritu Sancto tuo. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Hablonem eo, O Pater cælestis. Tu pro tua benignitate duce et reduce. Quod et factum absque valetudinis, ut spero, incommodo; etsi pedes ivi. Redii navi. Τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια per horas aliquot: reliquum periit. Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια mane; dein nugæ, et vita misere aliis impensa. O succurre, Deus æterne. Amen.

V. *Kal. Sept.* Parum, aut nihil hodie. Sed satis, si gradum ad pietatem feci, quod da, O Pater. Amen.

Hodie Molæis fratribus amplissimi Molæi Præsidis filiis nostra Adversaria tradidimus, quæ in Suetonium olim et in ep. ad Atticum congesseramus. Ibi est ὕλη exactissime congesta omnium ludorum.

IV. *Kal. Sept.* Mane aliquid: a prandio parum, aut nihil. Θεὸς ἵλεως εἴη καὶ ἐμοὶ, καὶ τοῖς ἐμοῖς, μάλιστα δὲ τῇ ποτνίᾳ μητρὶ, καὶ φιλτάτῃ γυναικὶ, καὶ τέκνοις.

III. *Kal. Sept.* Utcunque studuimus. Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Sept. Totum mane dedimus penso huic nimis jam molesto: a prandio amici nos occupatos habuerunt, et regia bibliotheca. Deinde ad ταλαίπωρον illum Μεταθέμενον qui nuper Venetiis ad nos scripsit, literas exaravimus. Ita dies, ita mensis exactus non sine aliqua, O Deus, tuæ curæ et εὐλογίας significatione. Quare τῶν μὲν παρῳχημένων χάρις καὶ δόξα, τοῦ δὲ λοιποῦ et me,

et meos, matrem, inquam, et uxorem, liberos, sororem et omnes affines tibi, Deus immortalis, supplex etiam atque etiam commendo. O exaudi, ὦ παναγία ἐν τριάδι μονὰς, ὁ Πατὴρ, ὁ Υἱὸς, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Amen.

Kal. Sept. O Deus æterne, æternas tibi gratias, quod fausto adeo principio hunc mensem dederis inchoare. Hablonem enim ivimus ego, et uxor, et sacrosanctæ cœnæ communicavimus. Θεῷ χάρις.

IV. *Non. Sept.* Totus dies literis ad amicos scribendis impensus: scripsi in his ad Legatum Venetum, quicum mihi olim pene fraterna intercessit amicitia. Nunc ille me hortatur ad imitandum exemplum suum. Hodie igitur respondi ejus epistolæ. Da, Deus, mihi illius vertam mentem. Miseret me certe illius. O serva nos, ὁ ὄντως σωτήρ.

III. *Non. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια inter curas. Τῷ Θεῷ χάρις.

Prid. Non., *Non.*, VIII. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Sept.* Curæ, studia, laus Deo.

VI. *Eid. Sept.* Pars reliqua familiæ Hablonem ivit. Deinde multa acciderunt, quæ nos a studiis avocarent. Sed τῷ Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Sept.* Quod Deus bene vertat, Paulum nostrum hodie recepimus a nutrice, quæ, uterum gerens, lacte corrupto alebat misere infantem, qui aspectu suo spem facit futuræ indolis. Deus et liberos serva et parentes. Amen.

IV. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, ut potuimus. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, et cum Sarracenis, medici τοῦ πανὺ veteris amici filio et ipsius patruo jucunda ὁμιλία. Θεῷ χάρις.

Prid. Eid., Eid. Sept. Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, mane saltem. Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Oct.* Diem Domino sacram, O Domine, transegimus. Non otiosi quidem fuimus: sed certe iis curis non occupati, quibus par erat. Ignosce, O Deus, et miserere. Amen.

XVI. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Deus æterne, beneficio tuo.

XV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια: Deo laus et honos.

XIV. *Kal. Oct.* Paucæ horæ bene positæ. Τῷ Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια et aliquot in molesto opere horæ. Cætera φροῦδα, et quotidie magis humanis rebus renunciamus: quod O da, Pater, matri, uxori, liberis, mihique serio facere. Amen.

XII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. O serva et rege Spiritu Sancto tuo nos omnes, æterne Deus. Amen.

XI. *Kal. Oct.* Mane. Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Oct.* Hei mihi, quod diem Deo consecratum Deo reddere non potuerim. Hablonem non ivi: nec meorum hodie quisquam: quod, O Deus, ignosce, et da meliora mihi meisque. Amen.

IX. *Kal. Oct.* Mane paululum aliquid: a prandio nihil. O da meliora, Deus.

VIII. *Kal. Oct.* Curæ, studia, et de matre sollicitudo assidua. O illam serva, Deus, et nos cum illa. Amen.

VII. VI. V. IV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Oct.* Die sacro hæsimus in urbe. O Deus, respice et ignosce. Amen.

Prid. Kal. Oct. Villambonam hodie ad magnum Thuanum rusticandi caussa profecti sumus. Σῶσον ἡμᾶς, ὦ Θεὸς, καὶ ὧδε καὶ ἁπανταχοῦ.

Kal. Oct. Quod bene Deus vertat, diem egimus in hoc amœnissimo prætorio, et suavissimis de literis sermonibus, aut ambulationibus cum magno Thuano, uxore mea aut aliis amicis. Θεῷ χάρις.

VI. *Non. Oct.* Hoc otio, hodieque summa cum voluptate, fruebamur, magno tuo, O Deus, beneficio.

V. *Kal. Oct.* Lutetiam rediimus, eoque nomine tibi, ὦ σῶτερ, gratias egimus, agimus.

IV. *Non. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

III. *Non. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια Θεοῦ χάριτι, ᾧ δόξα καὶ τιμὴ εἰς αἰῶνας.

Prid. Non. Oct. Die Dominica in urbe mansimus, et nostram infelicitatem ex animo doluimus. Tu, O Deus, medere, qui solus potes. Amen.

Non. Oct. Τὰ ἐγκύκλια, etsi non parum impediti. Σὺ δ' ἐλέαιρε, ὁ Θεός.

VIII. *Eid. Oct.* Multum hodie sumus impediti; multum amisimus temporis. O respice nos, O Deus.

VII. *Eid. Oct.* Mane studia: a prandio nihil. Da meliora, O Deus, et me ac meos serva.

VI. *Eid. Oct.* Studia non neglecta: etsi parum promovemus. Fiat, O Deus, tua voluntas.

V. *Eid. Oct.* Studia mane, et a prandio, ut licuit. Sed, O Deus, O Pater, libera animum cruciatu acerbissimo de valetudine uxoris. Serva illam, O σῶτερ. Amen.

IV. *Eid. Oct.* Mane fere impensum valetudini uxoris: deinde aliæ curæ. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Oct.* Hablonem σὺν Θεῷ ego et Philippa ibamus. Ivimus vero et rediimus Dei beneficio, valde ἡδυνθέντες ἐξ ἀκοῆς τοῦ θείου λόγου. Gratia tibi, Deus magne.

Prid. Eid. Oct. Curæ, negotia, anxietas ob valetudinem uxoris. O Deus, respice nos. Amen.

Eid. Oct. O respice curas meas, ὦ σῶτερ, et ades; da finem operis hujus videre, te laudare, te timere. Amen.

XVII. *Kal. Nov.* Præteritam noctem et diem hunc, O Deus, inter suspiritus et lacrimas egi: caussa doloris, morbus uxoris, qui tantus est, tam vehemens, ut cruciatibus hisce capitis diutius ferendis par esse posse non videatur. Illa igitur corpore, ego animo, cruciamur ex æquo. Domine Deus, te appello in auxilium mihi. Tu ades, tu serva: tibi confido: in te spero: spes mea ne confundatur, O Deus, face. Amen.

XVI. *Kal. Nov.* Gratias tibi, Deus Opt. Max.,

meliuscule valet uxor; neque ego nihil hodie egi, *πάλιν αὖ καὶ πάλιν Θεῷ χάρις.*

XV. *Kal. Nov.* En redit crudelis morbus uxoris. Tu vero ades, O Deus, et illam omnesque meos serva, et nos cum illis.

XIV. *Kal. Nov.* Ærumnas allevasti hodie ὦ Πάτερ, et dedisti non tempus perdere omnino: tibi, Deus benignissime, πλείστη χάρις. Amen.

XIII. *Kal. Nov.* Hablonem non ivimus, et multi fuimus in aliis quam vellemus studiis. Tu, O Deus, ignosce, et da meliora. Amen.

XII. *Kal. Nov.* O Deus salutis meæ, serva languentem domum. Durant cruciatus uxoris. Nos lacrymas tibi offerimus, imo πρεσβείαν τοῦ μονογενοῦς Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui una tecum et cum Spiritu Sancto regnat παμβασιλεὺς, æternumque regnabit.

XI. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια et assiduitas in molestissimo penso, cujus da, O Deus, lætum finem. Amen.

X. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια mane, et a cœna. Τῷ Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια· Deo laus et honos.

VIII. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια animo sereniore, Dei Opt. Max. benignitate, qui uxoris valetudinem confirmavit. Tibi honos, tibi gratiæ, O σῶτερ.

VI. *Kal. Nov.* Dies erat Dominica; quam tamen et nos, et familia omnis in urbe egit, neque Hablonem hodie ivimus. O ignosce, Pater be-

nignissime, et da nobis majorem tui colendi ῥᾳστώνην. Amen.

v. *Kal. Nov.* Pars diei maxima periit. O ades, Pater ἁγιώτατε. Amen.

iv. *Kal. Nov.* Et hodie multum periit nobis temporis: sed ades, O Deus, et nobis succurre laborantibus, da consilium in rebus difficilibus, et matri, uxori, mihi, liberis, sorori et affinibus cum nobis omnibus præsta mentem sanam in corpore sano. Amen.

iii. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Amen.

Prid. Kal. Nov. Et in literis aliquid promovimus, et ad piam matrem literas dedimus. Ita mensis exactus. O Deus, gratias tibi.

Kal. Nov. Da, Pater, mensem feliciter inchoare, exigereque, et te cum omnibus meis laudare.

iv. *Non. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια quantum licuit. Θεῷ χάρις.

iii. *Non. Nov.* Hei mihi, quod toties ejusdem delicti veniam a Deo cogor petere. En dies erat sacer Domino: tamen εἰς τὴν ἁγίαν σύναξιν profectus est nemo. Uxoris morbus cum omnibus remediis, quæ sunt adhibita, violentior fit. Iterata tertio est φλεβοτομία, quo bono, Deus viderit. Certe post missum sanguinem, pene uxorem, ah miserum, amisi; adeo exhaustæ sunt vires, et longa λειποθυμία illam tenuit. Deus, ὦ σῶτερ, qui solus potes, te solum appello in auxilium: a te medicinam expecto, te voco, invoco. Deus ades, Deus respice afflictam domum. Deus miserere,

et peccata mea et nostra omnium condonans, serva matrem, restitue uxorem in suam sanitatem, præsta bonam valetudinem mihi ac liberis meis, sorori et affinibus. O exaudi, Deus æterne, per Jesum Christum Dominum nostrum, unigenitum illum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat, æternumque regnabit. Amen.

Prid. Non. Nov. Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

Non. Nov. O Deus, malum malo accedit: necdum enim finis morbi uxoris. Tu, ὦ σῶτερ, serva illam, serva matrem et nos omnes. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* O Deus, quando finis tot ærumnarum? Sed tu modum statues. Tibi decus et honos.

VII. *Eid. Nov.* Nugæ fere toto die in amicorum gratiam; deinde uxoris morbus nos multum vexavit. O da exitum, quod spero, lætum, Pater ἁγιώτατε. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, ut potuimus. Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, sed paucis horis. At tu, O Deus, meis mihique ignosce. Amen.

IV. *Eid. Nov.* Hablonem ibamus, et me ac meos tuo, O Deus, Numini supplices commendabamus. Tege, Pater, peccata nostra, et nos rege. Ivi, redii, et valeo, Dei Opt. Max. beneficio. Gloria tibi, Deus, in excelsis.

III. *Eid. Nov.* Literæ hodie, aliud fere nihil. Θεῷ χάρις.

Misi ad Scaligerum Pselli κεφαλαῖα ἀστρονομικά MSS.

Prid. Eid. Nov. Nugæ fere toto die: itaque nihil egimus, nisi ad lucernam: O respice nos, Deus.

Eid. Nov. Et hic fere periit dies. O Deus, respice nos, et ecclesiam tuam, quam, ut accepi, hodie reliquit commeans in cælos Franciscus Junius vir optime de piorum studiis meritus. Doleo jacturam ecclesiæ, et, O Deus, te supplex oro ut fidos verbi tui ministros ecclesiæ tuæ suscites. Amen.

XVIII. *Kal. Dec.* Mane studia, inde nugæ, et amici, et iterum studia, uxore meliuscule valente, quam, O Pater, serva, et nos cum illa maximeque matrem. Amen.

XVII. *Kal. Dec.* Mane aliquid: parum a prandio. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Dec.* Mane aliquid, parum aut nihil a prandio. Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Dec.* Die Dominica librorum vidi nullum meliorum: totus enim firme periit dies. Ah miserere, Deus, et da meliora mihi meisque. Amen.

XIV. *Kal. Dec.* Aliquid hodie: sed non multum. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Dec.* Aliquid hodie, sed non quantum volebamus. Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Dec.* Θεῷ χάρις quod nonnihil hodie quoque promovimus. O serva, Deus, me et meos. Amen.

XI. *Kal. Dec.* Literæ hodie, ut fere totos dies,

me occupatum habent. Itaque lente opus procedit. Sed O ades, O Deus, mihi, meisque, matri, dico, uxori, liberis, sorori et omnibus. Amen.

x. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed mane solum et ad lumina. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Dec.* Hablonem pars familiæ, ego non ivi, O Deus. Misere languet domus. Amen.

VII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ παναρίστῳ χάρις.

VI. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια per Dei misericordiam. O Deus mi, sit nomen tuum benedictum, qui hæc nobis otia præstas. Amen.

V. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια mane: a prandio parum. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια quantum potuimus: sed, O Deus, terrent nos multa, quæ tu compone, O pacis auctor custosque. Amen.

III. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια mane, Deo gratia: a prandio nugæ. Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Dec. Impedimenta multa; sed tamen quod initio mensis institueram, et te, O Pater, oraram, ut liceret exequi, executus sum. Tibi igitur, O Deus, gratias, tibi honorem, et æternum decus. Amen.

Kal. Dec. O Deus, da lætum mensem agere, exigere, in timore tui nominis. Amen. Hic quidem dies tuo nomini sacer, O Domine, nescio quibus curis ereptus misere periit. Sed te juvante et faciente, pensabimus. Da, Pater, et præsta

valentes matrem, uxorem, liberos, et sororem atque omnes meos. Amen. Amen. Amen.

IV. *Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

III. *Non. Dec.* Mane τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Dec. Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

Non. Dec. Mane aliquid, sed fere nihil: deinde literæ ad Scaligerum, et amici. Τῷ Θεῷ πλείστη χάρις.

VIII. *Eid. Dec.* O Deus, qui nuncius aures hodie meas percussit? Bullioneus Dux contra Principem suum vulgo armatus jactatur. Nefas de tanto viro tantum scelus credere. Et da, O Deus, meliora, quam ut tale quid eveniat. Amen.

VII. *Eid. Dec.* Et hodie quid exclamem habeo: nam, O Deus, vexatur novo morbo ἡ φιλτάτη. Ergo adest, O σῶτερ, nova materia benignitatis exercendæ tibi: O exerce, oro te supplex, et illam serva nosque omnes. Amen.

VI. *Eid. Dec.* O tristem nominibus multis diem! Uxor, O Pater, quam affecta graviter? Sed spero in benignitate tui Numinis et Jesu Christi misericordia, qui, O Deus, per Spiritum Sanctum tuum mihi adsit meisque. Hoc da, cælestis Pater, mihi et omnibus meis, ut e metu tuo semper pendeamus. Quod autem hic dies Domino consecratus, sine auditione verbi Dominici sit exactus, gravis est meus hic dolor. Miserere, O Pater. Amen.

V. *Eid. Dec.* O perge, sancte Pater, inceptum opus; nam uxor viam sanitatis utcunque videtur

ingressa. Gratias igitur tibi πάλιν αὖ καὶ πάλιν καὶ μυριάκις. Amen.

IV. *Eid. Dec.* Gratias tibi, cælestis Pater, quod utcunque melius diem uxor transegit. Sed, O σῶτερ, perfice quod cepisti. Amen.

III. *Eid. Dec.* Gratias tibi, cælestis Pater, quod uxor melius habet. O serva et matrem, et illam, et nos omnes una. Amen.

Prid. Eid. Dec. O Domine Deus, da similes huic alios dies plures. Uxor habuit melius. Nos in studiis toti fuimus. Gratias tibi, Deus æterne.

Eid. Dec. Ne hic quidem dies ingratus: nam et meliuscule valet uxor, et in literis fuimus fere toto die. Sed, O Deus, publica quo loco sunt? Respice nos, O Deus misericors, et serva. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Diem fere totum museo afui, et tamen pensum peregi. O gratias tibi, Deus æterne, misericors. Amen.

XVIII. *Kal. Jan.* Diem Domino sacrum in urbe, ah, egimus. Certe voluntas non deerat: sed defuit facultas, cum et obscœna fuerit tempestas, et uxor minus hac nocte valuisset, neque esset vehiculi copia. Domi igitur mansimus, et partem diei lectioni homiliarum Chrysostomi impendimus, O utinam non sine fructu. Sed, O Pater, respice languentem domum; solare optimam matrem; redde valetudinem prosperam uxori charissimæ; da liberis in timore tui Numinis sic pietati et omnibus virtutibus innutriri, ut fructus dignos tali educatione semper edant; da mihi, da sorori,

da omnibus meis te pura mente colere, tibi toto animo servire, omnemque spem in uno te ponere. Amen.

XVII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεοῦ χάριτι, cui honos et gloria. Amen.

XVI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, sed promovimus non multum ob rei difficultatem. Tu adjuva, O Pater, et nos omnes serva. Amen.

XV. *Kal. Jan.* O Pater, supplex te oro, respice languentem uxorem. Amen. Amen.

XIV. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια per unam aut alteram horam, aut paullo plures: nam reliquum languenti uxori datum. Θεὸς ἐλεαίροι.

XII. *Kal. Jan.* Parum hodie promovi: sed uxor melius valet. O gratias tibi, Pater, cui honos et laus in æternum. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Ne hoc quidem die Hablonem ivimus, magno certe cum dolore nostro: sed ibimus brevi sæpeque, tu modo velis, O summe Deus, et faxis. Regem hodie convenimus, humanissime, ut semper, ab illo excepti. Illi tu, æterne Deus, benedice, et nobis populo tuo ipsi commisso benedic et huic domui, supplex oro. Amen.

X. *Kal. Jan.* Nugæ, id est, amici nos avocarunt ab studiis. Tu medere, O Deus, incommodis, et serva meque meosque. Amen.

IX. *Kal. Jan.* Pars diei in studiis posita: reliquam amici sibi vindicarunt. Hic dies est, qui natalem tuum, O Domine Jesu, præcedit, quem

vulgo non paucis ceremoniis celebrant. At tu da mihi meisque verum hujus beneficii sensum animo sentire, et pro tanto beneficio quas debemus æternum tibi gratias agere. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Amicis hodie nos dedimus, et hilares inter eos festum diem natalis Domini egimus domi. Tibi, O Pater, *ὦ σῶτερ*, honos, laus et gratia. Amen.

VII. *Kal. Jan.* Quantas, O Deus, tibi gratias? Hodie in studiis fuimus, nec periit multum temporis. Domi, quod dolerem, nihil. O iterum, iterumque gratias tibi, sancte Parens.

VI. *Kal. Jan.* O lætum anni exitum. Nam diem totum in literis egimus. Domi tristis nihil. Tibi, tibi, *ὦ σῶτερ Ἰησοῦ*, hoc debeo beneficium. Gratias igitur tibi, *ὦ ἐν Τριάδι ἁγιωτάτη μονάς*.

V. *Kal. Jan.* Non multum promovi; sed quia domus hac die luctu caruit, satis est. Tibi, *ὦ σῶτερ*, gratias. Tu nos porro serva, et die crastino duc ac reduc. Amen.

IV. *Kal. Jan.* Quod Deus bene vertat, hoc die Hablonem ituri ego cum Isaaco nepote ex sorore, et parte familiæ, te supplices oramus, Deus æterne, non magis ut præstes reduces, quam ut des sincero corde id agere, quod agimus, et fide vera amplecti tam pretiosum donum. Nos vero ivimus et rediimus, et quidem ipse non sine auxilio præsentis Numinis. Vehebar cum nobilitatis avitæ præstantibus matronis D. de Cricebent, et D. de Mantaleon: aurigam habebamus locorum

imperitum. Accidit ut protraheretur longius diei solennitas. In noctem ex ea re sumus conjecti. Duo itaque hæc incommoda, nox et aurigæ imperitia, in medias aquas præcipites nos dabant, nisi manu divina servati essemus, magno tamen cum periculo unius equorum, quem ægre revocavimus prope jam submersum. Advenimus tandem, multa jam nocte, πολλὰ παθόντες ὕδατι καὶ ἐν χέρσῳ. Gratias tibi, ὦ σῶτερ, qui nos servasti. Tibi, et Jesu Christo, qui una tecum et Spiritu Sancto sine fine et principio regnat, honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

III. *Kal. Jan.* Languebam nonnihil ex pridiano itinere, et in studiis eram omissior. Sed, O Deus, quam excitavit me et uxorem atque omnes bonos nuntius hodie allatus de pœne capta Geneva? Sed expecto certiorem nuntium. Tu interea, O Pater, illam urbem et una omnes pios serva, et nos in his. Oro supplex Numen tuum. Amen.

Prid. Kal. Jan. Ergo impositus est vigiliarum hujus anni finis: neque aliud jam claudendo huic anno superest, nisi ut coram tua, O Deus æterne, majestate me sistam, tibique pro eo ac debeo gratias agam. Sed parantem me id agere verba deficiunt. Unde enim ordiar? Ubi desinam? Dies enim præteriit nulla quæ testimonium tuæ benignitatis aliquod mihi non exhibuerit. Tu quidem, Domine Deus, anni hujus initio domum hanc imminuisti, unumque ex meis ad te vocasti: sed cur ejus obitum mollius ferrem satis grandem

præbuisti caussam, cum in illo juvene tam certa pietatis signa voluisti conspici. Ergo et ille beatus, et nos, qui illum præmisimus, qui nos solemur in spe futuræ vitæ, beneficio tuo, *ὦ σῶτερ*, habemus. Sed misericordias tuas, misericordissime Deus, quibus usus es erga uxorem, et me, liberosque nostros quomodo enarrabo? Nam quoties anni hujus curriculo prope deploratam illam habui? Quoties illam vidi ex gravissimo morbo extrema jam prope agentem? Partum secuta est pleuritis: hanc excepit alius lateris dolor: postea longa malorum secuta Ilias in hoc postremo ipsius morbo. Itaque putavi sæpe esse actum de optima consorte mea. Hei mihi, qui tum gemitus, quæ lacrimæ fuerunt meæ et liberorum qui hic adsunt nostrorum? Tu nos respexisti, Pater; tu medicinam fecisti; tu sanasti, sic enim confido. Quas igitur infans ego tibi gratias agam? Et hoc unum est genus beneficiorum in me tuorum. Quid dicam de servata matre? Ita spero enim. Quid de firma hac valetudine, qua ipse sum fere semper usus? Quid de liberis omnibus valentibus? Omitto studia, quæ non segniter pro tempore et loco curavimus. Omitto rem familiarem aliquanto meliore loco quam prioris anni fine. Hæc et alia *ψαμμακοσιογάργαρα* admonent me, sancte Parens, ut quia verba gratiis agendis suppetunt nulla, ad humillimas preces convertar, manuque supplex veniam poscam. Te igitur, O omnis boni fons et origo, appello, te oro,

obtestorque, des mihi, des meis, beneficia tua mente pura animoque grato recolere; semper illorum meminisse, oblivisci nunquam. Sunto in animo et meo et meorum quot merita tua, tot aculei ad tibi serviendum, te venerandum, te metuendum. Esto hic scopus, Deus æterne, omnium factorum dictorumque nostrorum, ut per nos, τὸ γοῦν καδδύναμιν ἀμετέραν, gloria tua promoveatur. O exaudi, Domine Deus, et preces meas ne aversare. Scio, Pater, et vere scio dignissimum me tua ira et aversatione, sed et illud scio, eum esse te qui gratiam et delictorum veniam omnibus indulseris, qui fide meritum Christi sint amplexi. O Domine, fidem illam dedisti tu et mihi et meis: da modo illius incrementum: fac denique et præsta hoc nobis ut ἅπαντα τὰ ἁμαρτήματα διορθωσάμενοι, καὶ τὸν τῆς ἀρετῆς καρπὸν ἐπιδειξάμενοι μετὰ πολλῆς ἐντεῦθεν ἀπέλθωμεν παρρησίας χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ σοὶ τῷ Πατρὶ ἡ δόξα, ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

KAL. ANNI CIƆ IƆCIII.

O Deus, ὦ ΣΩΤΕΡ, cupientem me anni novi initio domum hanc tuæ Majestati supplicibus votis commendare, major sollicitudo et gravior cogitatio alio rapit. Nam quid istud est, quod de Geneva jactat fama publica? Hostem in urbem irrupisse, sed te favente facienteque for-

titer repulsum. Hoc si ita est, ut dici credique video fere jam ab omnibus, en beneficium ingens tuum, quo non solum Genevæ cives, in quibus et nos sumus, sed omnes, qui ubique locorum purioris religionis amore ducuntur, æternum tibi obligasti. Nemo enim est piorum qui pro ecclesiæ Genevensis conservatione vota tibi facere, pro eadem conservata gratias tibi agere non teneatur. Facio igitur lubentissimo animo Deus Opt. Max. ut anni hujus actus ab hoc officii genere inchoem: dum tuas laudes meditor, potentiam tuam animo revolvo, qui τὰ μηδὲν ὄντα eligis semper, certe ut plurimum, in quibus et per quæ de hostibus tuis triumphes. Ne alia commemorem, certe ἀπειροδυναμίας tuæ luculentissimum testimonium est urbs illa. Nam ex quo instauratus ibi Numinis tui purus cultus, quæ et a quibus perdendæ illi inita sunt consilia? Vere fremuerunt gentes, et qua aperta vi, qua occultis dolis omnia tentarunt. Frustra. Stat illa, et O stet utinam perdiu, ceu rupes immota, quam fluctus maris commoti incassum verberant. Et pergunt tamen tui nominis hostes, O Deus, illi molesti esse. Pergant sane, dummodo illorum conatus instar sint flaballorum quæ zelum veræ pietatis in nostris omnium animis assidue accendant. Hoc da, sancte Parens, et fremat Romana cohors; frendat superbus Iberus: rugiat inalpinus tyrannus: minas intentent πάντες ἁπαξαπλῶς οἱ ἐκ τῆς ἐναντίας. Si pietatem colimus, mala opera horre-

mus, bona sectamur, te habemus, O Deus exercituum, defensorem certum. Te si habemus, ad salutem quid potest deesse? Quamobrem non te oro, Deus misericordiarum, ut illam serves: servabis enim, si legem tuam servaverint ejus cives: sed illud te potius oro, supplexque obtestor, irrumpentia undique vitiorum agmina defendas, propulses, arceas. Et quoniam non eum solum servorum tuorum gregem, qui ibi est coactus, sed in universum purioris pietatis amantes omnes perdere parat ὁ τῆς ἀπωλείας υἱός, pro universa ecclesia tua preces humillimas tibi facio, te supplex veneror, miserearis ejus: illam manu tua protegas, et ante omnia quidem πνευματικὴν illi βραβεύειν εἰρήνην velis; deinde vero ut illam tot hisce circumstantibus periculis, qui potes solus, eripias. Ne, quæso te, obsecroque, Deus fortis, ne hostibus tuis et tuorum aut per vitia nostra aut per ipsorum victorias detur insolescendi occasio. Nam si exitio dignos peccata nostra nos reddunt, quod, eheu, velimus, nolimus, fateamur necesse est: at non propterea isti nos oderunt, verum propter tui Numinis instauratum cultum puriorem, quem tu, O Deus, invitis illis, ubique locorum et in hac præsertim Gallia, pro illa tua infinita bonitate restitue. Aperi oculos non videntium: vias dirige non recta incedentium, rebus denique deploratis, et jam conclamata pietate vim tuam exere, eosque firma quos vero timore tui Numinis donare es dignatus.

Mihi meisque hunc, O Pater, inde animum, ut humanas omnes curas divinis semper postponamus; te quæramus, tuæ ecclesiæ membra simus, bonis denique operibus aliis præluceamus. Da, sancte Parens, sic annum hunc inchoare, sic exigere, ut nova in dies fidei sentiamus incrementa: cæcam mentem, O Deus, lucis auctor datorque, meam et meorum illustra tui luminis radiis; pectus inflamma non illo multorum inconsulto zelo, sed illo tibi grato, qui est *κατ' ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας*. Hoc primum te oro, hoc precibus flagrantissimis a te contendo. Tum, si licet, illud adjiciam, ut domum hanc præstes incolumem. Videor mihi, O æterne Deus, velut e specula quadam ingruentium malorum catervas multas prospicere, et, puto, non fallor. Itaque horreo, et totus contremisco. Sed, O Deus, colligo me, et te specto: hic mihi serpens est æreus; hoc nepenthes meum; hoc præsidium adversus omnem metum. Nam si me vel publica vel privata aliqua calamitas in Orcum ipsum detruserit, in te tamen, mi Deus, sperabo semper: te semper inclamabo: in te confidam. O ades, magne *σῶτερ*, et me meosque tua cura ne dedignare. Affectus meos tu nosti, Deus *καρδιογνῶστα*: omnes tibi *ἀθρόως* commendo; matrem, uxorem, liberos, sororem, affines et eorum liberos, amicos etiam, O Deus, protege, serva. Da etiam, si placet, Deus mi, et mihi et uxori, ut anno hoc matrem invisere, et cum illa in tuo nomine lætari possimus,

tibi εὐχαριστοῦντες animo, corde, et mente. Da rectum in omnibus deliberationibus nostris consilium, ut concordibus animis ego atque illa commissam a te familiam sapienter regamus, atque ad pietatem virtutemque liberos nostros dirigamus. Amen. O exaudi, misericordiarum Deus, exaudi supplicis vota, et in benignitate tua nos omnes respice per Dominum nostrum Filium tuum unigenitum Jesum Christum, qui una tecum, Deus Pater, et Spiritu Sancto tuo ἄναρχος, ἄχρονος, ἀτελεύτητος vivit, vincit, imperat, vivet, vincet, imperabit καὶ νῦν καὶ εἰσαεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen. Amen. Amen.

יְהִי נֹעַם יְהוָֹה אֱלֹהֵינוּ עָלֵינוּ וּמַעֲשֵׂה
יָדֵינוּ כּוֹנְנָה עָלֵינוּ וּמַעֲשֵׂה
יָדֵינוּ כּוֹנְנֵהוּ :

IV. *Non. Jan.* Serius ad libros accessi, et heus post septimam. Sed non multas postea horas perdidi. Itaque non male annum inchoavimus, cum præsertim uxor meliuscule habeat et tota familia. Tibi, O Deus æterne, æternas gratias.

III. *Non. Jan.* Et hoc die, proh dolor, tardissime et eadem hora vel serius. Deinde accesserunt amici, qui totum eripuerunt diem. O meliora, Domine, da, et studia adjuva. Amen.

Prid. Non. Jan. Paullo maturius surrexeramus, sed absoluta annotatione unica paullo molestiore foras progredi amicorum caussa sumus coacti. Ita parum promovimus. Τῷ Θεῷ χάρις.

Non. Jan. O lætum, spero, diem! Hablonem hodie quidem eo, ut, O Deus, auditione verbi divini animum veris epulis pascam. Vellem iret uxor, sed ignosce, O *σῶτερ*, et da hanc nobis veniam, ut rationem valetudinis ejus habere liceat. Nos ibimus, et de servata Geneva ex animo tibi, Deus æterne, gratias agemus. Quid hoc? *παλινῳδεῖν* cogimur. Nam qui equum se commodaturum heri promiserat, Constantius quidam, inconstans fuit, et fidem non servavit. Doleo, et indignor. O ignosce, Deus, et da majorem *τοῦ θείου λόγου παρρησίαν*. Exaudi, Pater, ad nominis tui gloriam, ecclesiæ tuæ ædificationem, salutem piorum. Amen.

VIII. *Eid. Jan.* Regum dies qui vocatur inter amicos Genevenses actus non sine aliquo studiorum damno. Sed erat tanti. *Τῷ Θεῷ χάρις.*

VII. *Eid. Jan.* O gratias tibi, Deus æterne: hunc diem, qui totus perierat, lucubratione compensavimus utcunque saltem. *Σοὶ ἁ χάρις.*

VI. *Eid. Jan.* Hunc fere diem cum Stephanis affinibus egimus. *Θεῷ χάρις.*

V. *Eid. Jan.* Non male positus dies. Gratias tibi, O Deus, gratissimas.

IV. *Eid. Jan.* *Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ μεγαλὴ χάρις.*

III. *Eid. Jan.* *Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ μεγίστη χάρις. Ἀμήν.*

Prid. Eid. Jan. O Deus, Pater misericordiarum, ignosce. Hablonem hodie non ivimus, cum tempus putaremus incommodius, quod tamen fere

accidit. Itaque dolemus, et veniam te supplices oramus. Da, Pater, vehementiore zelo te colamus, tibi serviamus. Amen.

Eid. Jan. Nescio quomodo hodie ad studia bene comparatus non eram: et fuere varia impedimenta per amicos. Promovi tamen nonnihil. Θεῷ χάρις.

XIX. *Kal. Feb.* Sero ad studia et leniter: postea ab amicis impedimenta: fecimus tamen aliquid. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Feb.* Sero et extra ordinem multa impedimenta: tamen aliquantum promovimus. Tibi, ὦ σῶτερ, gloria gratiaque.

XVII. *Kal. Feb.* Mane quidem satis; sed multa postea impedimenta oblata; nec tamen periit hic nobis dies. O gratias tibi, Deus æterne.

XVI. *Kal. Feb.* Hic vero pene periit; non quod fini appropinquamus, animo fimus omissiores. Sed, O σῶτερ, da lætum finem mihi ac meis.

XV. *Kal. Feb.* O Deus, tu nobis hæc otia facis; da modo bene uti beneficio tuo: da, ut proxima hebdomade pro absoluto opere gratias tibi possim agere. Amen.

XIV. *Kal. Feb.* O Pater benignissime, ne in justo furore tuo me et meos corripias. Tertius dies est Dominicus jam exactus, et Hablonem tamen adhuc non vidi anno hoc. Peccavi, et indignus sum beneficiis tuis. Ignosce, oro te supplex, et, si vitam dederis tu, proxima die Dominica in cœtu piorum tibi gratias agam. O fac et velle, et posse

per Dominum nostrum Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat, æternumque regnabit. Amen.

XIII. *Kal. Feb.* Mane nihil; a prandio nihil. O dolorem! Respice nos, O Deus.

XII. *Kal. Feb.* Non periit dies hic gratia Dei Opt. Max., cui honos et laus εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

XI. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ τῷ πανελέῳ πᾶσα χάρις.

IX. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια non ut debui, sed ut potui. Θεῷ χάρις. Hodie accepi a magno Scaligero literas, quibus me hortatur ad liberam scriptionem adversus Venetensem illum amicum. Utinam esset par facultas voluntati. Sed regat nos ὁ ὑπερουράνιος Πατήρ.

VIII. *Kal. Feb.* O Deus æterne, O Deus omnipotens, quas ego tibi gratias agam? Absolvi enim curare ipsum molestum jam opus istud: quod, O Pater, da ad tui nominis gloriam pertinere. Tibi honos, tibi gloria, tibi decus, qui una cum Domino nostro Jesu Christo et Domino Spiritu Sancto tuo ἄχρονος καὶ πρόχρονος regnas, regnabis æternum. Amen.

Notæ in Spartianum.

VII. *Kal. Feb.* Hablonem eo, O σῶτερ. O serva, si placet. Et vero servasti, ὦ πολυέλεε Θεός. Nam pedibus ivi, redivi, defessus quidem supra modum, sed tamen, ut spero, ἀπήμαντος. Tibi honos, ὦ παναγία Τριάς, εἰς αἰῶνας αἰώνων. Ἀμήν.

VI. *Kal. Feb.* Amici hodie Geneva advenerunt, et diem fere cum illis consumsi. O Deus, quantum est hoc bonitatis tuæ argumentum, quod urbem ita salutis suæ prodigam servasti. O serva illam, et nos cum illis. Da mihi, Pater, ut meis possim esse non inutilis. Amen.

V. *Kal. Feb.* Multum amicis dedi, parum studiis. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Feb.* Non multum profecimus. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Feb.* Domo non exii; sed non feci tamen quod volui. Τῷ Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Feb. O Deo gratias magnas: exactus est primus hic mensis, sine ulla molestia magna, et non sine gaudio. Uxor valet, spero et mater, nos quoque, et liberi, et soror, atque omnes nostri. Deo sit laus et gloria. Amen.

Kal. Feb. Alter hic jam mensis anni hujus est, quem una cum cæteris ut fortunare velis, et familiæ studiisque meis benedicere, supplex te, æterne Deus, oro, obsecro. Te favente, te faciente quicquid superest instituti operis κατὰ νοῦν χωρήσει, quod, O Deus æterne, da. Amen. Accepi hodie a Præside Thuano de ira legati Venetensis propter epistolam quandam nostram ad Tilenum. Ille quidem non irascitur, sed furit; misitque, ut nobis noceret, per omnes oras exempla ejus epistolæ, quare nisi tu nos protegis, O Deus, præsto noxa est. Sed in te speramus, neque metuimus confundi.

IV. *Non. Feb.* Diem Domino sacrum lectione sacrorum librorum vel certe sanctorum patrum exegimus, O utinam cum progressu ad pietatem veram aliquo! Tu, Deus, mihi meisque omnibus benedic. Amen.

III. *Non. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, non studia sed impedimenta propter summum frigus. Σοὶ ὦ Θεὸς δόξα καὶ χάρις. Amen.

Prid. Non. Feb. Ob frigus et culpam nihil admodum egi. O serva, et da melius tempus collocare. Amen.

Non. Feb. Et propter nutantem valetudinem, et propter frigus egimus nihil. Accessit domestica molestia ob nutricem probam fœminam in carcerem conjectam ob æs alienum. Sed statim amicorum ope, diligentia uxoris liberata est. Itaque tibi honos, O Deus, et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VIII. *Eid. Feb.* Totus dies literis periit, cum nos lectus habuerit ob morbum, cui, O σῶτερ, brevi lætum exitum duis.

VII. *Eid. Feb.* Et hoc die nos lectus habuit, etsi remissa febri Θεοῦ χάριτι.

VI. *Eid. Feb.* Etiam hodie κλινήρεις sine libris fuimus, quod ne diutius simus effice tu, O Domine Jesu Christe. Amen.

V. *Eid. Feb.* Et hunc diem in lecto egimus: sed fere tamen omni ex parte jam restituti meliori valetudini. Itaque gratias tibi, æterne et immortalis Parens. En te supplex oro, des quod

superest vitæ mihi meisque in tui nominis laude celebranda occupatum habeamus. Ναὶ δέομαί σου, ὦ πανέλεε Θεὸς, διὰ τοῦ μονογενοῦς σοῦ Υἱοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἀμήν.

IV. *Eid. Feb.* Hodie cepimus surgere Dei Opt. Max. beneficio. Tu serva nos, Domine Deus. Amen.

III. *Eid. Feb.* Et hodie surreximus, et habebamus melius: sed totus tamen dies solide studiis nostris periit. Da ne tales eant multi, O æterne Deus.

Prid. Eid. Feb. Ceperamus ad museum ire; sed nullo profectu, cum toto die fuerimus occupati: sub vesperam ceperam synodum Remiensem legere magna cum voluptate: modo allatæ a Scaligero literæ cum interpretatione Proverbiorum Arabicorum quæ illi miseramus nuper. O Deum immortalem, quis ille vir est? Quæ tua, O Pater, in illum beneficia? gratias tibi, æterne, immortalis Deus.

Eid. Feb. Medicinam hodie sumseramus, sed casu rejecimus. Itaque μάτην ἐσκύλθημεν: aliquid tamen adjuti sumus, spero. Cætera Dominus perficiet.

XVI. *Kal. Mar.* Ceperamus libros inspicere: sed amici vetuerunt quicquam mihi prodesse. At meliora in tua, O σῶτερ, benignitate speramus.

XV. *Kal. Mar.* Amicis et studiis eorum hunc fere diem impendi. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Mar.* Diem sacrum ex parte lectioni

librorum ecclesiasticorum impendimus. Benedic, O Pater, et ceptis et studiis. Amen.

XIII. *Kal. Mar.* Non omnino periit studiis nostris hic dies, dies insignis benignitate Dei erga nos: annum enim vitæ quadragesimum quartum hodie implemus; quo nomine magnas, maximas tibi, sancte Parens, toto animo, mente tota gratias agimus. Certe utut misera est hominum vita, longiora tamen illius spatia in parte divinæ benedictionis ponunt sapientes. Quanquam, O clementissime Domine, cum me respicio, cum ad peccata mea attendo, non possum quin illos prædicem beatos, quos brevior vita fasce leviore peccatorum oneratos ad te transmisit. Quod miserrimum in vita est, id sæpe evenire nobis, O miserum me, et experimur et fatemur, ut beneficium maleficio rependamus, ingratique erga supremum Numen per ingrata ipsi opera longiorem hanc vitam exigamus. Sic est, æterne Deus, agnosco, fateor, confiteor et supplex delictorum veniam te oro obtestorque. Quin tu da potius nobis, ut præteritorum seria ducti pœnitentia, quod superest vitæ, pie, sancte et ex Lege tua peragamus. Da sic priorum in nos beneficiorum memoriam colere, ut in dicendis laudibus tuis et mentem et linguam semper occupatam habeamus. Aliarum rerum et *τῶν βιωτικῶν*, O Deus, nihil te nominatim posco. Scis tu, Pater, quid matri meæ, quid mihi, quid uxori, quid liberis sororique expediat, cum ad procurandam tui

nominis gloriam, tum ad salutem nostram omnium. Hoc te γονυπετήσας oro, humilique prece a te contendo, ut consuetum præsidium tuum adversus ærumnas hujus vitæ, continuo pro tua infinita bonitate impertiri nobis digneris per Jesum Christum Dominum nostrum, Filium unicum tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto sine fine vivit, regnat, imperat, vivet, regnabit, imperabit. Γένοιτο, γένοιτο, γένοιτο.

ANNUS VITÆ XLV^us^.

XII. *Kal. Mar.* Quem quidem unde melius auspicer, quam a tui Numinis, τρισάγιε Πάτερ, compellatione? sive enim præterita respiciam, sive ad futura oculos referam, ingens utrinque se ostentat seges, qua εὐχαριστιῶν, qua δεήσεων. Certe quidem, æterne Deus, si numerum inire parem beneficiorum quæ benigna largaque manu ἀδιαλείπτως spatio tot jam annorum in me contulisti, non dies sed anni me deficiant. Quis enim dies, quæ ῥοπὴ καιροῦ sine luculento aliquo benignitatis in nos tuæ testimonio præteriit? Nam quod vitam in hac corporis infirmitate per tot tantaque variorum casuum discrimina ad hanc tamen diem perduximus, quod piis parentibus orti, liberaliter educati, mature ad publicam functionem vocati, in studiis vitam hactenus egimus, omnibus prope βιωτικαῖς curis ἀποταξάμενοι; quod vivit adhuc (sic enim confido) mater optima; quod gratissimo fruimur conjugio; quodque liberorum

numerosa sobole gaudemus; quod sororem adhuc superstitem habemus; quod fructus fortasse aliquis vigiliarum nostrarum ad literarum studiosos aliquando pervenit, quod hic, id est, in illustrissimo regni hujus loco Regi non ingrati, bonis omnibus grati et chari degimus, totum hoc et alia *μυρία ὅσα* quæ singillatim recensere *οὐδ' ἐμοῦ ἐστι νόου, οὐδ' ἑτέρων στομάτων*, tui, O clementissime Pater, et benignissime here, tui muneris est. Quid ego nunc alia *ἐγκύκλια* tua *εὐεργετήματα* in me meosque commemorem? Utinam quidem, Deus æterne, vel ingenii mei ea esset felicitas, vel is pietatis zelus, ut singulorum quæ a te ego meique accepimus beneficiorum possem meminisse, singula *καθ' εἱρμόν* possem recensere; assiduaque eorum enumeratione memet ipse ad Numen tuum celebrandum *νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα* stimularem. Sed neque omnium memoria suppetit: *πολλοῦ γε καὶ δεῖ*, quæ mea est, fateor, insignis vel ingenii *ἀδυναμία*, vel negligentia et culpa: neque si velim id conari, unde incipiam, ubi desinam, sim inventurus. Igitur quod unum possum pro omnibus præteritis bonis quæ in me meosque hactenus liberalitas, O Deus, tua illa infinita congessit, supplices nunc tibi gratias habemus, agimus, non quantas quidem debemus, sed quantas certe maximas possumus; neque aliud quicquam ardentioribus votis a te petimus, Deus æterne, quam ut des mihi, des omnibus meis sic vitam porro instituere, sic nos semper

ἐν πάσαις ταῖς τοῦ βίου περιστάσεσι gerere, ut memores τῆς ἄνωθεν κλήσεως, et tuarum in nos εὐεργεσιῶν rebus et operibus bonis, quando verbis non possumus, nos præstemus. O da, æterne, immortalis Deus, sic colere memoriam τῶν παρῳχηκότων ἀγαθῶν ut et in posterum τῆς σῆς κηδεμονίας ἀξιωθῶμεν. Scis tu, Parens benignissime, quo loco sint res hujus domus. Scis qua in re, vel quibus potius in rebus, præsenti auxilio tuo opus habeamus; quam multa hic me jure terreant, notum habes; quæ necessitas incumbat suscipiendi ad matrem itineris, vides; et simul illud, quam parum necessariis in eam rem præsidiis simus instructi: alia incommoda quibus urgemur, sileo. Nihil enim te fugit, ὦ καρδιογνῶστα, neque τῶν πρὸς ψυχὴν, καὶ τὰ πνευματικὰ, neque τῶν πρὸς τὴν τοῦ βίου ῥᾳστώνην ξυντεινόντων. Equidem cum incumbens humeris meis onus hoc tueor, totus horreo, et præ sollicitudinis magnitudine deficio. Sed recreor, Deus, simulac oculos sursum retuli. Maximum quidem hoc, fateor, onus et prorsus virium non istarum, sed si tua benignitas, quod fecit hactenus, porro etiam pergat illud ἐπικουφίζειν adeo illo non obruemur, ut voluptati cessurum sit hoc quicquid est curarum. En ades igitur, Deus æterne, et languenti manum porrige propitius. Præsta hoc mihi, O Domine, ut res piæ matris semel in tuto possim collocare; duc euntem, reduc redeuntem, et totum illud iter, quod ego uxorque cogitamus, εὐόδωσον. Præsta

firmam conjugis valetudinem, meam item, liberorum etiam, sororisque et reliquorum *συγγενῶν*. *Ἐνίσταξον, ὦ Πάτερ, ταῖς ἁπάντων ψυχαῖς δεινὸν ἔρωτα παντοίας ἀρετῆς, τὸ δὲ μέγιστον, ὑπὲρ τῆς σῆς ἐκκλησίας τῆς ταλαιπώρου, δέομαί σε καὶ λιτανεύω. Ὁρᾷς γὰρ, ὁρᾷς τὰς τῶν ἐξ ἐναντίας δολορραφίας, τὰς ἐπιβουλὰς, τὴν λύτταν. Ἰδοὺ βυθίζεται ἤδη τῶν πιστῶν ἡ ναῦς. Ἐπιφανήθητι, ὦ σῶτερ, καὶ σωθησόμεθα. Ναὶ Κύριε, καὶ κοινῇ, καὶ ἰδίᾳ τοῖς τὸ σὸν ὄνομα ἐπικαλουμένοις βοήθει. Ναὶ ἔρχου, Κύριε· ναὶ δέομαί σου πρὸς τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ σοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ, γῆς ὅλης δεσπότου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς ἅμα σὺν σοὶ καὶ τῷ ἁγίῳ σου Πνεύματι πρὸ τοῦ αἰῶνος εἰς αἰῶνας αἰώνων ζῇ, κρατεῖ, βασιλεύει. Ἀμήν. Ἀμήν. Ἀμήν.* Cum hæc maxime scriberem, essemque in his cogitationibus, venit ad me charissima uxor, et, En, inquit, munus natalitium tibi, quod assidua cura beneficio Dei in hanc diem tibi paravi. Erat id munus aureorum centum, et paullo amplius, quos tuæ, O Deus, liberalitati fero acceptos, eoque gratiores habeo, quod frugalitate et *οἰκονομίᾳ τῆς φιλτάτης* novi esse paullatim congestos. O serva illam mihi, liberisque nostris, benignissime Domine. Amen.

XI. *Kal. Mar.* Neque nihil neque multum promovimus. *Θεῷ χάρις.*

X. *Kal. Mar.* Totum fere diem afui. Tu, Deus, ades. Amen.

IX. *Kal. Mar.* Aliis non mihi fere vixi. *Θεῷ χάρις*, cui O curæ sit *πανταχόθεν ἐπιβουλευθεῖσα* ipsius

ecclesia, mater item, ego, uxor, liberi, et omnes mei. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Pars maxima diei periit: pars posita in cogitatione, quam nisi Dei benignitas expediat, hæremus. Sed nondum querendi tempus. Σὺ δὲ βοήθει, ὦ πανέλεε Θεός.

VII. *Kal. Mar.* O ignosce, Domine, et propitius veniam supplici indulge. Ecce dies cultui tuo dicatus erat, isque non incommodus. Et tamen Hablonem ivit nemo meorum, et, quod maxime doleo, non ipse. O rem acerbam et lacrimis dignam! etsi cupiditatem meam nosti tu, Deus æterne. Ego vero magno hodie a te beneficio, quod de matre ex ipsius literis, fere ut vellem, læta omnia intellexi, sum affectus. Illud unum superest, Pater πολυέλεε, ut quo me pietas in matrem vocat et compellit ire, eo me deducas et des præstare, quod filium tui timentem decet. Exaudi, sancte Parens, meque cum matre, uxore, liberis, et sorore atque omnibus meis serva per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo ima, summa nutu temperat. Amen.

VI. *Kal. Mar.* O Pater, et curæ aliæ ex aliis me mihi abripiunt, et ista, quæ imminet, jam incipit nos urgere. Sed respice nos propitius, facilis et clemens. Amen.

V. *Kal. Mar.* Benigne Deus, Pater clementissime, en, vocatus ades: nam quid nos urgeat scis ipse: qui si auxilium non tuleris, deficimus.

Sed, O Deus, in te spes nostra, quæ ne confundatur, vide. Amen.

IV. *Kal. Mar.* Deus æterne, clemens, et misericors, hæret nostra in salo navis. Tu nos deseres? O serva potius, et propitius ades; nam alioquin deficimus. En respice nos, O spes nostra unica. Amen.

Proprid. Kal. Mar. Ἰδοὺ, ὦ Πάτερ, ὦ σῶτερ, ἐκ τῆς ἄγαν θλίψεως καὶ στενοχωρίας λέλυταί μου τὰ γόνατα· πιεζόμεθα γὰρ, ὦ πολυέλεε Θεός· ἡ δὲ παρά σου βοηθεία λείπει. Ναὶ βοήθει, δέομαί σου, καὶ ἀντιβολῶ πρός σε τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σοῦ, ὃς μετὰ σοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου σοῦ Πνεύματος πρὸ χρόνων καὶ αἰώνων εἰς ἀτελευτήτους αἰῶνας αἰώνων καὶ βασιλεύει, καὶ βασιλεύσει. Γένοιτο, γένοιτο, γένοιτο.

Prid. Kal. Mar. Cum mane post primam noctis surrexissemus, in studiis plusculas horas posuimus: deinde impedimenta sunt oblata diversa, sed ex æquo molesta. Quare hoc unum, æterne Deus, te supplex oro, ut perficias tuam in nobis voluntatem. Amen.

Kal. Mar. Quem quidem mensem, O Deus, qui dedisti sic satis lætum inchoare, da cum cæteris omnibus lætum exire cum mihi, tum omnibus affectibus meis. Amen.

VI. *Non. Mar.* Ne hodie quidem Hablonem sumus profecti; neque sane aut tempus, aut valetudo permittebat vel mihi, vel uxori, de qua sollicitudinem meam leva, O Deus æterne. Amen.

V. *Non. Mar.* Totus dies male positus in servili

opera editioni hujus libri necessaria. Tu, O Deus, quod restat da feliciter exequi. Amen.

IV. *Non. Mar.* Κύριε βοήθει, βοήθει Κύριε. Τὸ ἐπεῖγον οἶσθα· ἔλπις δὲ ἡ ἐμὴ ἐν τῇ σῇ ἀγαθότητι πᾶσα. Ἵλεως εἴης, ὦ Πάτερ. Amen.

III. *Non. Mar.* Ἤλπικα εἰς τὸν Θεὸν, καὶ παρέστη ἡ ἐκ Θεοῦ βοήθεια· ἀλλὰ δὸς τὰ πάντα, ὦ Πάτερ, ἐκτέλεσαι. Amen.

Prid. Non. Mar. Hic quidem dies lætus illuxit, quo verbi Dei auditione ego et tota domus frui potuimus mira Dei benignitate. Tibi, O Deus, honos, laus et gloria. Amen.

Infans amici suscipiente uxore baptizatus.

Non. Mar. Et hic lætus dies: nam ultimus est curarum et molestiarum propter Historiæ Augustæ scriptores, quæ me aliquot menses exercuerat. Quod igitur lætus ad lætum finem pervenerim, tui hoc, O Deus, muneris est. Tibi honos, et gloria, qui una cum Domino nostro Jesu Christo et Spiritu Sancto tuo sine fine et principio regnas, imperas. Amen. O serva, Deus benignissime, matrem, uxorem, liberos, sororem, meque cum his, et omnes meos. Solare etiam optimum amicum D. Sarracenum, qui adhuc tristem domus suæ casum, et uxoris obitum nescit, de quo nos hodie cognovimus.

VIII. *Eid. Mar.* Amici, literæ Genevam: prætereaque nihil. Deo laus.

Prestè a M. Turquet Marm. et Hisp.

VII. *Eid. Mar.* Ne hodie quidem Hablonem ivi-

mus, quod dolemus; atque utinam ne sæpius ejus doloris caussam habeamus. Tu potes, O Deus, tu, si placuerit bonitati tuæ, facies. Amen.

VI. *Eid. Mar.* Quod Deus vertat bene, hodie Arabicis Evangeliis operam cepi ponere. Θεὸς εὐμενὴς εἴη. Amen.

V. *Eid. Mar.* Sarraceno optimo adfui hodie, et totum amisi mane, etiam a prandio. Τῷ Θεῷ πᾶσα χάρις.

IV. *Eid. Mar.* In instituto pergebamus, et partem bonam εὐαγγελίου κατὰ Matthæum ex interpretatione Arabica legimus cum summa voluptate, τὰ πάντα, Θεοῦ διδόντος, lecturi. Ita velit Dominus qui casu quodam videtur languentis uxoris valetudinem hodie nonnihil firmasse, quo nomine plurimas illi gratias.

III. *Eid. Mar.* In Novi Testamenti Arabici lectione diem fere egimus, et, O Deus, ceptis benedic. Amen.

Prid. Eid. Mar. Τὰ ἐγκύκλια in jucundissimo penso. Deo laus et honos. Amen.

Eid. Mar. Τὰ ἐγκύκλια, saltem per aliquot horas, in studio isto gratissimo. O Deus, respice me et meos, μάλιστα δὲ τὴν σεβασμίαν μητέρα, καὶ τὴν φιλτάτην γυναῖκα. Amen.

XVII. *Kal. Apr.* Ah dolor! Nam quis non doleat diem Deo sacrum egisse nos domi; quanquam domi non egimus: sed in Lutetiano luto hæsimus occasione libri editi vel eo nomine molestissimi. Hæc sunt gaudia hominum quæ plus aloes ferun-

tur quam mellis habere. Da, O Pater, ista spernere, te spectare. Amen.

Σὺν Θεῷ cum Drouardo συναίρειν λόγον· scribere ad amicos.

XVI. *Kal. Apr.* Adhuc dividendis libris nostris fuimus impediti. Hic fructus nostrarum vigiliarum: quas postquam in lucem emisimus nullo commodo nostro, ingens occurrit numerus eorum quibus necessario dandi sint. Sed non parvam hodie molestiam exanclavimus ex variis caussis, cum foras exiissemus. Tibi, O Deus, omnia mea fore confido curæ, et ut sint oro supplex. Amen.

Preste a Mons[r] D'Albin Cambdenus de Anglia.

XV. *Kal. Apr.* O Deus, da exitum ærumnosissimæ curæ, cujus tu mihi conscius. Matrem enim cupio visere, et angunt me in ea deliberatione multa. Sed O tu, qui πόρον ἐξ ἀπόρων εὑρίσκειν δεινὸς εἶ, solve hunc nodum, et da mihi esse pio. Amen.

XIV. *Kal. Apr.* Parum aut omnino nihil in studiis: cum quasi repentina mutatione non tam morbo præpediti simus, quam si quis morbi vultus insessus ἐπισήμως. Nec caussam scio. Tu scis, O Deus, et meos meque servabis. Amen.

XIII. *Kal. Apr.* Et hodie languor hic ἐπίσημος nos tenuit, et a studiis avocavit. Medere, O Deus, et meos, meque serva. Amen.

XII. *Kal. Apr.* Languor idem fere ac κόπος: sed quid in nobis paret ἡ φύσις brevi, opinor, sciemus.

Nam urina hæc rubens quid sibi vult? De calculo suspicionem movent medici. Fiat, O Deus, voluntas tua. Tantum ne ὁ πειρασμὸς sit ultra vires. Amen.

Morbus regius sive ἴκτερος apparuit.

XI. *Kal. Apr.* Nihil hodie partim ob valetudinem, partim ob negotia et amicos. En respice nos, O Deus.

X. *Kal. Apr.* Uxor et pars familiæ Hablonem ivit, redivit gratia Dei. Nos potionem sumsimus, utinam utilem, certe, quæ hactenus non multum profuit. Ὁ δὲ Θεὸς βοηθήσει.

IX. *Kal. Apr.* Museo exulavimus ob valetudinem. Θεὸς εὐμενὴς εἴη.

VIII. *Kal. Apr.* Etiam hodie libris abstinemus. Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή.

VII. *Kal. Apr.* Idem exitus diei hujus. O ades, O Deus. Amen.

VI. *Kal. Apr.* Et hodie potionem sumsimus, quam multum ad valetudinem conducturam speramus non æque ac optamus. Sed sapientissimus medicus atque exercitatissimus Faber sic tractandas vires hujus infirmi corpusculi judicat. At tu, O Deus, benedic ceptis. Amen.

V. *Kal. Apr.* Hodie quidem librum non vidimus, et magis magisque languemus. Tu ades, O Deus, ὦ σῶτερ.

IV. *Kal. Apr.* O Deus, τὰ χερείονα adhuc νικᾷ, pessime enim affecti hæc scribimus, nosque ac nostros omnes tibi, O Pater, permittimus. Amen.

III. *Kal. Apr.* Uxor, filia, et pars aliqua familiæ Hablone sacrosancto mysterio cœnæ Domini participavit: nos in lecto jacuimus hausto pharmaco, quod tamen vix aliquid purgavit. Domine Deus, tu, qui fecisti nos, refice. Amen.

Prid. Kal. Apr. Et hodie pharmacum sumsimus, non plane ut speramus inutile: sed morbi hujus mira obstinatio. Nam in dies flaviores sumus, urinæ fœdiores. At libri jam a multis diebus ne inspecti quidem. Ita mensis Martius exactus non sane studiorum nostrorum magno compendio. Sed potis, O Domine, tu hanc jacturam, si lubet, sarcire. O ades, magne *σῶτερ*, mihi meisque omnibus. Amen.

Kal. Apr. Diem hunc a venæ sectione inchoavimus. Urget enim morbus remittens aut medicamentis cedens *οὐδὲ γρύ*. Oro supplex tuam, O Deus, majestatem ut postrema hujus mensis mihi meisque omnibus velis esse lætiora quam hoc initium. Da matri, ut fiamus ego atque illa communis voti compotes, possimus saltem sub finem mensis ad illam iter instituere. Da uxori mihique et liberis in corpore sano mentem vere sanam, hoc est vere piam; idem et sorori meæ et omnibus opto petoque a tuo Numine per Dominum nostrum Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat, *ἄχρονος εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

IV. *Non. Apr.* Τὰ *μὲν μέλλοντα ὁ* Θεὸς *οἶδε*. Ἡ *δὲ δὴ νόσος οὔπω λωφᾷ*. Τὰ *μέντοι οὐρημένα ταραχώδη*

ὄντα καὶ ἰοειδέα πανύ τε δυσειδῆ οὐκ οἶδ' ὅτι σημαίνει. ὄψεται δὲ ὁ πανάριστος Θεός.

III. *Non. Apr.* An fallit nos spes blandiens? An sanitati, favente Deo, propinqui sumus? O ita velis, Domine Deus, ad tui nominis gloriam. Amen.

Prid. Non. Apr. Et, spero, voles Deus Opt. Max. Amen.

Non. Apr. Hodie tamen visa spes omnis retrocedere. Gravissima enim febri laboravimus, quod nondum acciderat hoc toto morbo. Quare tibi, *ὦ σῶτερ,* nos permittimus. O ades, et nos nostrosque serva. Amen.

VIII. *Eid. Apr.* Meliuscule hodie: sed non ut Hablonem iremus, quod molestissimum nobis accidit. Sed æquum est, O Deus; fiat tua voluntas. Amen.

VII. *Eid. Apr.* Et hodie satis belle. *Τὸ δ' εὖ νικάτω, τοῦ Θεοῦ διδόντος. Γένοιτο, γένοιτο.*

VI. *Eid. Apr.* An feliciter, hodie unam horam studiis impendimus. Ita velis, O Pater, *ὦ σῶτερ.* Amen.

V. *Eid. Apr.* O Deus, gratias tibi; melius enim valemus. Tibi honos et gratia.

IV. *Eid. Apr.* Jam cum possemus libros inspicere, amici molesti esse incipiunt: nihil enim hodie egimus die toto. Da meliora, Deus.

III. *Eid. Apr.* Plusculas horas hodie studiis aut literis scribendis impendimus. *Θεῷ χάρις.*

Prid. Eid. Apr. Spero valetudinem *σὺν τῷ Θεῷ*

in dies confirmari; sed non audemus dare nos studiis. Tu adjuva, O σῶτερ. Amen.

Eid. Apr. Valetudo, ut heri, Dei benignitate. Fuimus hodie in lectione Hieronymi et Nov. Test. Arabici horas aliquot. Quam mallem Hablonem ivisse? Sed ibimus, te faciente, O Deus. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* Mane nonnihil: postea in bibliotheca fuimus totum fere diem. Ita periit tempus. Sed medere, O Deus. Amen.

Hodie R. St. librum dedi, hoc est, emi ut darem. Nunc ita est.

XVII. *Kal. Mai.* Mane τὸ καδδύναμιν: a prandio fere amicis vacavimus. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Mai.* Hodie cassiam quam vocant μαλακτικὴν, sive Ægyptiam siliquam cepimus; et, spero, proderit: ξύν γε τῷ Θεῷ εἰπεῖν.

XV. *Kal. Mai.* Dudum inceptum N. T. Arabicum sed ob morbum intermissum, hodie Θεοῦ χάριτι absolvimus, non sine impedimento et sensu doloris in lumbis, ut puto, ex inclusis ventis. O sana nos, O Deus.

XIV. *Kal. Mai.* Leniter aliquid; sed quam pene nihili, aut plane nihil. O Deus, ades, et serva meque et meos. Amen.

XIII. *Kal. Mai.* Ut prioribus diebus. Et vereor ne ita æstas pereat. Τὸ δ' εὖ νικάτω, σοῦ διδόντος, ὦ Θεός. Amen.

XII. *Kal. Mai.* Gratias tibi, O æterne et immortalis Deus, quod dedisti hodie mihi longo intervallo sacras conciones repetere, unde voluptatem

cepi incredibilem. Nunc quid incumbat mihi, O Deus, tu nosti, et ut adsis mihi, te supplex oro.

XI. *Kal. Mai.* Hodie parum aut omnino nihil, cum dies perierit fere *ἐν τῇ αὔλῃ διατρίβοντι.* Nam hodie Historiam Augustam nostram Regi obtulimus, qui, ut solet, benigno vultu excepit. Tibi, O Deus, tibi soli honos et gratia. Amen.

X. *Kal. Mai.* Regi Angliæ et Scotiæ hodie scripsimus. Deinde totum diem, hoc est, horas sex septem componendæ liti quæ diu duravit inter nutricem et maritum ipsius operam dedimus, et aliis amicorum officiis. Sic vita aliud agentibus abit. O miserere, Deus Opt. Max. Amen.

IX. *Kal. Mai.* Hodie scriptas heri literas ad Regem Scotiæ et jam Angliæ misimus, Deum venerati pia mente, ut principem illum gloriæ suæ velit esse instrumentum. Pauculas horas in Arabicis posuimus cum doctissimo Hadriano nostro. *Θεῷ χάρις.*

VIII. *Kal. Mai.* Adhuc hodie sennam cepimus: ardet enim jecur adhuc. Tu medeberis, O Deus, si placet, et quando placebit. Amen.

VII. *Kal. Mai.* Hic quidem pene totus inter amicos periit dies. Tu me serva et meos, O *σῶτερ.* Amen.

VI. *Kal. Mai.* Amici, et studia leniter. *Θεοῦ αὕτη γε ἡ χάρις, ᾧ δόξα εἰς αἰῶνας αἰώνων.*

V. *Kal. Mai.* Diem Deo sacrum lectioni ecclesiasticorum auctorum magna ex parte impendi-

mus. Sed gravissimo dolore hodie sumus percussi, cum de tristissimo casu D. Machesei renunciatum est. Erat ille vir doctissimus et præstantissimus ecclesiæ Dei pastor, quæ Semuri Mandubiorum (sic quidam Saumur vocant) est coacta. Venerat autem huc privatæ litis gratia, et est hic quartus dies, ex quo domum huc ad me venit veteris notitiæ caussa. At O vanas hominum spes, postridie ejus diei cum ad Bunæum pictorem regium hominem pium venisset, et inconsultius pegma quoddam a fabris extructum in palatio regio conscendisset assere fracto concidit, et vitam hanc cum morte commutavit repente ex ipso casu, et in ipso momento extinctus. Observatum est virum pium cum fabulas excellentissimi pictoris spectaret, quasi præsagum instantis fati, ex singulis occasionem sumsisse gravissimarum admonitionum, quas ad circumstantes habuit, multa præsertim de contemptu mortis et cupiditate melioris vitæ disserens. Deus Opt. Max. familiam illius respiciat, et multo magis ecclesiam, quæ magnum virum amisit, et gravissimam hoc casu jacturam fecit. Idem Pater et σωτήρ noster me et meos omnes regat, servetque in horas momentaque. Amen.

IV. *Kal. Mai.* Egimus aliquid: sed non multum. Θεῷ χάρις. Amen.

III. *Kal. Mai.* Amici diem totum eripuerunt, aut morbi metus; sed amici magis. Itaque da, Deus, meliora. Amen.

Prid. Kal. Mai. Valetudinis statum tu, Deus, nosti: nos quid sperare aut metuere debeamus, nescimus. Urimur enim calore quodam interno, cujus caussa jecoris intemperies, certe non e vini potu, cujus fere abstemii sumus aliquot jam annos. Sed de his, et omnibus quæ ad me ac meos pertinent, ὁ Θεὸς ὄψεται, cui honos et laus εἰς αἰῶνας.

Kal. Mai. Quod bene Deus Opt. Max. vertat, initio hujus mensis iterum iterumque curare corpus πόσεσι sumus coacti, et quidem casiæ simul ac sennæ. Tu, O Pater cælestis, benedice. Amen.

VI. *Non. Mai.* Ut itineri me pararem, ex suasu et imperio medicorum corpus hodie lavi, et mane duas, a prandio totidem in solio aquæ egelidæ fui. Tu, O σῶτερ, si placet, hæc remedia adjuva benedictione tua. Amen.

V. *Non. Mai.* Quatuor horas amplius in balneo egimus. Inde an in posterum fructus aliquis valetudini firmandæ sit perventurus ἐν Θεοῦ κεῖται γοῦνασι, certe τὸ νῦν εἶναι dolorem capitis et aliquam μαλακίαν reportavimus. Ὁ Θεὸς ὄψεται.

IV. *Non. Mai.* Parabam Hablonem ire; sed febris et stomachi ἀρρωστία impediit. Uxor et pars domus iverunt, redierunt. Τῷ Θεῷ χάρις.

III. *Non. Mai.* Et hoc die nihil vel ob valetudinem, vel ob amicos et imminentem profectionem, cui tu, O Pater itineri benedic. Amen.

Hadriano Guilielmo a nobis Aureliam discedenti Alco-

ranum dedimus utendum triplex Arabicum cum interpretatione Latina: omnia manuscripta.

Prid. Non. Mai. Amici nos avocarunt, et hoc iter, cui, O Deus benedice. Amen.

Non. Mai. Sperabamus cras nos profecturos: sed differimur adhuc. Tu, O Deus, sive maneamus, sive abeamus, nos serva. Amen.

VIII. *Eid. Mai.* Et hunc diem vel literæ, quas scripsimus ad varios, nobis eripuerunt, vel amicorum officia. Tu aderis, Deus. Amen.

VII. *Eid. Mai.* Tandem igitur illa exoptata dies venit, cum iter ad piam matrem instituo. O diem lætum et gratum. Hodie enim ego uxorque, te duce, Christe σῶτερ, domo proficiscimur σὺν Θεῷ ad matrem quæ in Delphinatu, et liberos qui adhuc Genevæ. Reliquos hic relinquimus cum tota familia. Te igitur, O Deus, oro venerorque supplex, benedicas incepto, serves nos in itinere, serves eos quo itur, serves eos a quibus proficiscimur. Da consilio lætum exitum, da ut reversi gratias tibi agere possimus. Miserere denique omnium nostrum per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo ἄχρονος πρὸ αἰώνων εἰς αἰῶνας αἰώνων κρατεῖ, βασιλεύει, κρίνει, κρατήσει, βασιλεύσει, κρινεῖ. Γένοιτο, γένοιτο, γένοιτο. Eisonæ pransi Milium venimus. Deus cæterum iter sic fortunet. Amen.

VI. *Eid. Mai.* Pransi vico, vel potius separata domo cui nomen *Maison rouge*, venimus Montargis. Θεῷ χάρις.

v. *Eid. Mai.* Pransi *a la Buissiere* venimus ad oppidulum Boni dictum, et quidem ἀπήμαντοι. Θεῷ χάρις.

iv. *Eid. Mai.* Pransi *à Boni* venimus ad Charitatensium oppidum χαίροντες καὶ ἀπήμαντοι. Deo honos et laus.

iii. *Eid. Mai.* Pransi sumus in oppido Niverniorum, ubi vidimus Ducis Niverniorum magnificum sepulcrum, et opifices vitrorum atque operis quod vocant *esmail* et similium operum. Mansimus in oppidulo *S. Pierre du Moutier.* Θεῷ χάρις.

Prid. Eid. Mai. Molinum venimus urbem elegantem et sane quam amœnam cum intra mœnia, tum in suburbiis, quæ longe ampliora sunt ipsa urbe. Hic vidimus Præsidem Duretum et convenimus, ob famam de eo acceptam, quod peregrinarum linguarum esset peritus. Θεῷ χάρις.

Eid. Mai. Pransi in burgo clauso, omnium quos vidi minimo, *Varenes* illi nomen, venimus ad oppidum *La Palice,* hactenus usi benignitate singulari tua, O Deus, ὦ σῶτερ. Gratias tibi.

xvii. *Kal. Jun.* Pransi in amœno pago *la Pacaudiere,* venimus inde Roanam feliciter. Tui hoc muneris est, O Deus, tibi honos et gloria. Amen.

xvi. *Kal. Jun.* Pransi in pago S[ti]. Saphorini (sive is est Favorinus) venimus Tararam superato monte satis difficili, quem pedibus descendimus. Deo laus et honos. Amen.

xv. *Kal. Jun.* Lugdunum appulimus læti atque

hilares Dei Opt. Max. beneficio. Speramus crastino die iter nos ad matrem in Delphinatum arrepturos, cui itineri, O Deus, benedice. Amen.

XIV. *Kal. Jun.* Lugduno profecti hodie Turnonio oppositum vicum, *Tein* vocant, appulimus, cum secundo flumine Rhodanum navigassemus. Is fluvius natura sua rapidus, nunc, quia valde humilis fluit, eo periculosior est. Sed accessit alia pestis ab arte et malitia hominum. Nam ubique collocati sunt exactores publicani, qui transeuntes non mediocriter vexant. Primum Lugduno ut portu excedens quicquam auferas, tyranni isti multis precibus, vel potius multo auro sunt exorandi. Nec loquor de mercibus, quibus imposita sunt portoria, sed de viatoria supellectili quæ indignis modis excutitur ut sit locus calumniæ. Lugdunum sequitur Vienna. Utrobique actum nobiscum est benigne propter D. Calignonis uxorem, feminam primariam, quæ una vehebatur nobiscum eadem navi. Viennense τελώνιον excipiunt tria aut quatuor alia Teinum usque: ubique post lenem contentionem actum clementer, ut sunt tempora, uno excepto. Andancam vocant pagum supra S. Valerii oppidum, unum miliare. Ibi instituerunt novum pensitationis genus, quod *Foraine* dixerunt. Ei negotio præfectus est homo ferox barbarus, et prædandi avidus, qui simul navim nostram πόρρωθεν conspexit, terram tenere jussit. Cum paruisset navis magister, atque ille quod a nobis extorquere nihil

posset (nam in navi mercium *οὐδὲ γρὺ*) irasci primo et dentibus *βρύκειν* ac frendere; tum alloqui nos cepit insolentissime, se explorare velle quam verum esset quod diceremus. Responsum est, veniret igitur, ingrederetur et omnia tentaret. Ille vero, veniam, inquit, cum lubebit, non ex commodo vestro, sed vel hodie vel cras. Tulimus nos moleste vesani homuncionis arrogantiam, et de prædandi cupiditate ipsius leniter sumus questi. Ex quo tanta illi concitata ira ut ægre sine noxa inde discesserimus. Hæc pericula sunt *ὁδευόντων*, a quibus omnibus tu, *ὦ σῶτερ*, serva nos ac penitus libera. Amen.

XIII. *Kal. Jun.* Teino Valentiam venimus, ubi totum diem inviti egimus, cum reperiri equi non potuissent. *Θεῷ χάρις.*

XII. *Kal. Jun.* Valentia Christam venimus, ubi veterum optimi parentis amicorum copia nobis reperta. Suave eorum alloquium nobis, et locorum ubi fuimus pueri olim educati aspectus. Christa Burdigalam ad matrem optimam pervenimus. Quod igitur valentem illam pro ætate et fratrem charissimum atque familiam totam invenimus, tibi, O Deus, O Pater benignissime, pro eo ac debeo æternas tibi soli gratias agimus, acturi semper, dum spiritus hos reget artus.

XI. *Kal. Jun.* Et hunc diem læti hilaresque cum matre, fratre, et cæteris meis egimus ego atque uxor. At libri omnes *φροῦδοι.* Tu dabis, O Deus, otia alibi et alias ad studia. *Γένοιτο, γένοιτο.*

x. *Kal. Jun.* Et hujus diei eadem ratio. Θεὸς εὐμενὴς εἴη.

ix. *Kal. Jun.* Unam aut alteram horam studiis vix dedimus. Θεῷ χάρις.

viii. *Kal. Jun.* Ponetum hodie ivi, ut sacræ Domini cœnæ fierem particeps: quo nomine tibi, Deus æterne, gratias ago.

vii. *Kal. Jun.* Mompelium hodie misimus, qui Johannam filiam huc adferrent. Tu, O σῶτερ, euntes redeuntes et omnes ubique nostros serva. Γένοιτο.

vi. *Kal. Jun.* Leniter in libris fuimus. Da, Pater, lætum itineri huic universo exitum. Amen.

v. *Kal. Jun.* O benedic, Domine, tot locis dissipatæ huic familiæ. Amen.

iv. *Kal. Jun.* Hodie inspiciebamus reliquias naufragii quod reculæ patriæ sunt passæ. Parens meus, vir sapientissimus, sic satis mediocres, cum moreretur, facultates matri meæ et nobis liberis reliquerat. Sed variis casibus attritum patrimonium est, ac prope jam exhaustum est totum. In quo hanc capimus consolationem, ego et pia mater quod neque mea, qui semper manus abstinui, neque illius, quæ sanctissima fœmina est, culpa quicquam detritum est. Quare æquo animo, jacturam quamvis maximam facere quod supererat spectabamus, et rationem inibamus omnium summularum. Constant facultates nostris in nominibus omnes fere, quæ universæ

summam efficiunt aureorum quadringentorum quadraginta novem. Hanc efficiunt obligationum inscriptiones, quas infra descripsi.

Memoire des obligations appartenantes a ma mere, comme appart par ses papiers quelle m'a communique ce Jeudi 29 May, 1603, estant ici a Bourdeaux.

Obligation	de	230 escus	contre Messrs. de la Ville de Bourdeaux	230.	∇̄
Oblig.	de	10 esc.	contre Guillame Bit de Besandun	10.	
Oblig.	de	10 esc.	contre Estienne Maire de Crupies	10.	
Oblig.	de	12 esc.	contre Abraham Goutard de Mornans	12.	
Oblig.	de	7 esc.	contre Francois Ogyer de Crupies	7.	∇̄ 42s.
Oblig.	de	6 esc.	contre Jehan Mounier de Bourdeaux	6.	
Oblig.	de	2 5s.	contre Philibert Brachet de Gumiane	2.	∇̄ 5s.
Oblig.	de	19 5s.	contre Pierre Chatfil de Bourdeaux	4.	∇ 45s.
Oblig.	de	60 esc.	contre Laurens Plan de Bourdeaux	60.	
				342	

Outre ce que dessus il i a une obligation contre Estienne Maire de Crupies pour 35 brebis, qu'il tient a certaines conditions i contenues, desquelles touteffois quelques unes sont mortes. Item une obligation de 20 escus, qui n'a encores este tireè de chez le not. Item la ville lui doibt les apports de sa partie des deux ans et cinq mois, qui monte jusque a la fin de la 3me anneè 44 ∇̄ comme appart par le compte mesme de Messrs. les Consuls, lesquels outre de lui sont tenus de 15 ou 16 esc. quils ont fait despendre a ma mere pour avoir ses deniers. Vrai est que sur ceste somme faut valatre ce qu'ils disent avoir este autrefois plus paie qu'il n'etoit deu qui est la principale cause du proces aujourdui pendant.

III. *Kal. Jun.* Concioni ut semper hic, cum licuit, et habita est, interfuimus: reliquum tempus inter matrem et studia sumus partiti. Tu, O Deus, respice nos, et peccata nostra benignus tege, ac dirige omnes nos et nostros in viam rectorum. Amen.

Prid. Kal. Jun. Et hujus diei pars magna optimæ matri est impensa; pars curæ valetudinis; pars item studiis et lectioni Psalmorum Hebr. cujus libri divinitatem quis potest aut lingua eloqui, aut animo concipere? Atque inter hæc de discessu cogitabamus: quem tu, O Deus Opt. Max. fortuna, ut læti ad lætos et valentes perveniamus. Amen. Amen.

Kal. Jun. Quem mensem et reliquos omnes velis, O Deus, mihi meisque faustos ac felices illucescere. Hunc quidem lætum egimus cum matre, uxore, affine et viro nobili D. de Courci, et nobili item matrona Da. de St. Pont, qui omnes in re pietatis ὁμοφρονοῦντες ecclesiam hujus loci assidue celebravimus. Inter alios sermones quos habui cum Da. de St. Pont de ministro provinciæ Vivarelii sumus locuti, cui nomen Mercero. Regit ille in eo tractu plures parvas ecclesias; habitat autem in loco qui dicitur *Chasteau double.* Acceperam de eo ex vulgi rumoribus, quod vim dæmones ejiciendi haberet. Quæsivi ἀκριβέστερον de D. de St. Pont quid rei esset. Illa serio affirmavit plures dæmoniacos (decem aut circiter) in ecclesiam adductos, eo concionante primum, dein orante, palam e confessione omnium fuisse sanatos: quosdam dæmones ita certis cum signis erupisse, ut res apud omnes fieret testatissima, porro autem omnes qui sanati sunt religionem catholicam Romanam ante semper professos: Mercerum vero impatientissime ferre, si quis

inter loquendum, ut fit, diceret Mercerum diabolos ejicere, non enim se, verum ecclesiam Dei esse nominandam cujus precibus ardentissimis Dei aures patuerint. Dominus et illi et universo gregi suorum benedicat. Amen.

IV. *Non. Jun.* Quod Deus Opt. Max. bene vertat, hodie matri meæ, optimæ et lectissimæ fœminæ, deque liberis suis optime meritæ, de me autem eximie, domunculam emi, angustam illam quidem, sed amplam tamen satis pro loco et cæteris hujus oppiduli domibus. Quinetiam hortus ei adnexus est. Velis tu faxisque, O Pater et Domine, ut bene illi, bene mihi et meis eveniat hæc emptio. Γένοιτο, γένοιτο.

III. *Non. Jun.* Filiam quam expectabamus hodie vidimus, et magnas eo nomine tibi, Deus æterne, gratias agimus, O σῶτερ, serva et illam et nos omnes. Amen.

Prid. Non. Jun. Cum et ante concionem et a concione de negotiis nostris ageremus cum Consulibus hujus loci, invenimus ita male affectos civium animos, ut nihil aliud plerique illorum optarent, quam ut æs alienum dissolverent fidei publicæ naufragio. Itaque conati institutam litem redimere jactura summæ non mediocris, tam male consulti fuere isti, ut omnia experiri prius quam æquo jure uti malint. Quod igitur Deus vertat bene, inviti Gratianopolim ad supremos provinciæ judices iter instituere cogimur.

Scis tu, animi καρδιογνῶστα, quam inviti, quam reluctante animo ad hæc consilia descendamus. Sed cogit nos improbitas quorundam ab uxore nos sejungere, et Lugdunum non qua venimus via redire, sed παρόδου ἔργον Gratianopolim recta proficisci. Quod superest, te supplex oro, æterne ac omnipotens Deus, iter utriusque fortunes; serves nos euntes, serves matrem hic cum omnibus nostris quique hic sunt, quique Genevæ, et qui Lutetiæ. Amen.

Non. Jun. Oro supplex τὸ ἔλεος τὸ σὸν, ὦ Πάτερ, instituto hodie itineri, cum a matre discessimus, benedicas. O serva in longos annos illam, serva et nos atque omnes nostros. Amen. Burdigala Christam veterem parentis mei sedem venimus, inde Valentiam.

VIII. *Eid. Jun.* Pransi in oppido S[ti]. Valerii ad oppidulum vel vicum potius venimus, cui nomen *Peage de Rousillon.* Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Jun.* Viennam mediam transgressi venimus ad oppidulum *S[t]. Saphorin* et inde Lugdunum per continuas pluvias probe madefacti, sed ἀπήμαντοι cætera. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Jun.* Lullinum pagum vicinum Lugduno hodie ivimus, et utramque concionem audivimus, nam ibi habetur nostrorum σύναξις. Deus Opt. Max. et hanc et omnes alias ecclesias suas servet. Amen. Amen.

V. *Eid. Jun.* Lugdunum et hanc diem nos

habuit, et negotiola heic nostra quædam constituimus atque ad amicos literas dedimus, cras σὺν τῷ Θεῷ profecturi Genevam. Θεὸς ἵλεως εἴη.

IV. *Eid. Jun.* Genevam hodie proficiscimur, O Deus. Tu incepto itineri per Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum benedice, supplices te oramus, obsecramus. Amen.

Pransi in viculo *la Verbone* noctem transegimus in pago *S. Jehan le vieux.* Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Jun.* Nantuæ meridianum cibum sumsimus, deinde Sangermanum prætereuntes venimus Castillonem. Θεῷ χάρις.

Prid. Eid. Jun. Leni prandiolo Rosini sumto altera leuca ἀπὸ τῶν πυλῶν, quas vocant Clusas nomine veteri, Genevam paullo post meridiem pervenimus: ubi valentes meos omnes inveni, et magno gaudio ab illis omnibus et aliis viris probis sumus excepti; maxime autem a sene reverendo D. Beza, cujus vegeta senectus incredibili gaudio me meamque uxorem affecit. O Deus æterne, et illum virum optimum, et omnes qui hic vivunt pietatis veræ veri φωστῆρες, atque ante alios affinem Stephanum et omnem ejus domum, et sororem Rigotiam serva, et benedictionibus tuis cumula. Γένοιτο, γένοιτο.

Eid. Jun. Et hunc diem qua auditioni verbi divini qua salutandis amicis impendimus. Θεὸς εὐμενὴς εἴη. Amen.

XVIII. *Kal. Jul.* Ne hodie quidem librum vel

aspeximus, sed posthac faciemus, si volet ὁ παντοδύναμος Θεός. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Sacræ synaxi hodie interfuimus: cæterum omne tempus impensum colloquio τῶν φιλτάτων. Deus nos servet omnes. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Lætum diem et gratum. Concionantem Goulardum audivimus, Professorem Theologum quoque. Dein convivio excepti sumus publico, quod exhibebat Schola, sive pastorum cætus venerandus. Serva illos, O Deus καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ, et me ac meos cum illis. Amen.

XV. *Kal. Jul.* Concio, amici, literæ. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Jul.* Concio, literæ, amici. Θεῷ χάρις. Legebam hodie διαγωγῆς χάριν, potius quam serio, Cornelii Agrippæ opus, *De incertitudine et vanitate scientiarum declamatio invectiva.* Miratus sum viro docto tantum abs re sua fuisse otii, ut iis scribendis vacaret: nam aliter ipsum sensisse et scientiarum peritissimum ad scientias expugnandas accessisse, nemini potest esse dubium. Qui igitur non habent pro ludicro id scriptum, sed pro serio, falluntur serio. Nam palam est Agrippam id egisse ut ἀγώνισμα πρὸς δόξαν, non κτῆμα πρὸς παιδείαν componeret. Apparet studium hominis et lectio multa, quo nomine pœniteat neminem semel inspexisse; etsi in multis fallitur, neque usquam τὸ ἀκριβὲς διαφαίνεται. Orditur ab ipsis literarum elementis, deinde separatim singulas vel scientias, vel artes vitæ, vel ἐπιτηδεύματα (vo-

cationes vocant Galli) examinat. Ubique errorem admittit eundem, et in eundem lapidem offendit semper. Nam ex varietate sententiarum super aliqua disciplina vanitatem illius et *ματαιότητα* arguit. In quo fallitur, fallitque turpissime et periculosissime. Nam si huic argumentationis generi locus dari debet, *ἄνω ποταμῶν χωρήσουσι παγαί.* Omnia erunt incerta, et summæ *ἀταξίας* plenissima. Quid? Deus ipse, nefas dictu, non erit Deus, si perversa hominum judicia sunt tanti. Sed hæc non hujus loci. Quod diximus parum accurate res ab eo tractari, multa confundi, et commutari, nemo negabit qui vel caput LXXXI. legerit. Inscribitur illud *De arte Heraldica*, et de heraldis eorumque munere, origineque multa affert, verum ita incerta et indigesta, ut non magnum sit operæ pretium legisse. Habes ibi significationes colorum in nobilium insignibus. Sed vel hoc uno nomine lectu dignissimum, quod homo pontificius de erroribus pontificiorum multa præclare disputat, ut, totis capitibus, de imaginum cultu, de sectis monachicis, et similibus. Librum claudit Asini encomium, declamatio non penitus contemnenda. Hæc igitur hoc die, quem magna ex parte cum Theodoro Beza egimus, qui etiam cœna nos excepit, me, inquam, uxorem et amicissimum Pinaldum. Deus bone, qui vir? Quæ pietas? Quæ doctrina? O vere magnum virum, vere *Θεοφιλῆ* et unice Deo charum. Miratus sum in viro sancto cum alia multa,

tum etiam circa ejus memoriam rem sane ἀξιομνημόνευτον; nam cum senectus ei omnem fere rerum humanarum memoriam ademerit, tamen de sacris rebus et theologicis cum loquitur non senem ἐσχατογήρων putes, verum ætate cum maxime florentem. Omnis ejus vita, omnis oratio de Deo sermonibus consumitur, hujus bonitatem et μεγαλειότητα assidue prædicat, huic vota ἐκτενῶς facit. At quibus Verbis? Quo zelo? Qua facundia? Non possum quin exclamem, O senem beatum! Jam verba sacræ paginæ et Græca et Latina sic innumerato habet, ut stupore sit digna res. Laudetur Deus Opt. Max. ὁ πολυέλεος et misericordiarum Pater. Amen. Narrabat hodie mihi Beza, et confirmabat Pinaldus, se paucis diebus priusquam urbem perfidus Sabaudus ingrederetur de ea re simillimum rei gestæ somnium vidisse. Adjiciebat idem, firmante eodem, qua nocte ante annos triginta unum cæsus est Ammiralius Lutetiæ, in somniis eum vidisse ad Genevæ portas patria extorrem et tabo cruentatum deformiter, cum accurrisset ipse et vulnerum caussam quæsissset, Ammiralium respondisse prope in eum modum ac res ea ipsa nocte gerebatur.

XIII. *Kal. Jul.* Concio, amici, et ita dies exactus ne salutato quidem ullo libro. Miserere O Deus. Amen.

XII. *Kal. Jul.* Concio, amici, libelli leniter inspecti ὦ Θεὸς ἐλέαιρε. Ἀμήν.

XI. *Kal. Jul.* Concio, amici, et Lutetia literæ

gratæ. Gratias tibi, Deus æterne et *πολυέλεε.* אָמֵן וְאָמֵן.

x. *Kal. Jul.* O lætum diem! Mane summo Perrotum audivimus, deinde Faium et sacræ Domini nostri cœnæ participes sumus facti præeunte in ordine reverendo et *ἀξιαγάστῳ* sene D. Beza, ut vel eo nomine jucundissima hujus diei fortuna mihi fuerit. Tum autem inter amicos convivati sumus et in prandio et in cœna. Unum dolemus non interfuisse Goulardi concioni, de qua mira narrabant amici qui audierant. Inter cætera memoriam diei prope funestæ celebrabat, et argumento utebatur sane quam eleganti. Nam hic dies solstitii æstivi est, anni longissimus; ille *ἀποφρὺς* et nefastus brevissimus anni fuit. Illo igitur pene periimus; hoc in imaginem servati sumus facti corporis Christi participes. Adde quod brumale Solstitium *ἦρχε κακοῦ*, et teterrimi belli initium fecit; æstivum istud *εἰρήνης ἄρχει.* Sunt enim in urbe, atque adeo concioni ex parte intersunt legati Helvetici qua pontificiæ, qua nostræ religionis, qui pacem inter Ducem et Genevenses sperantur conciliaturi. O det Deus Opt. Max. optimam et firmissimam pacem.

ix. *Kal. Jul.* Inspiciebam reliquias supellectilis librariæ Henrici Stephani. Incidi in codicem MS. optimæ notæ B. Chrysostomi cujus est index, *Χρυσοστόμου εἰς τὴν παλαίαν γραφὴν ἐξήγησις*, et sunt omnino in eo volumine *λόγοι κὴ.* *Τοῦ ά* subjecta

hæc verba sunt καὶ εἶπεν, ὁ Θεὸς, γενηθήτωσαν φωστῆρες ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ εἰς φαῦσιν, etc. Incipit, Βούλομαι τῆς συνηθοῦς ἅψασθαι διδασκαλίας, etc. Ὁ κη est in illa verba καὶ εἶπεν, ὁ Θεὸς τῷ Νωὲ καὶ τοῖς υἱοῖς, etc. Incipit, Τὴν εὐλογίαν εἰς τὸ μέσον προθέντες χθὲς ἧς ὁ Ν. etc. Percurri etiam hodie Thomæ Smithi Angli, *De recta et emendata linguæ Græcæ pronuntiatione ad Vintoniensem Episcopum Epistola.* Distincta est hæc epistola novo exemplo in libellos tres, quod adversus illum ipsum scripsit cui προσεφώνησε. Cum in Academia Cantabrigiana emendationem pronuntiationis linguæ Græcæ publice recipiendam curassent Chæcus, Smithus, Ponetus et pauci alii, facileque res obtinuisset, ecce septimo post anno, edicto Cancellarii Academiæ, qui ille ipse fuit Episcopus Vintoniensis, vetatur hæc emendatio, et graves querimoniæ adversus ejus auctores instituuntur. Edicto huic et querimoniis respondet Smithus sane quam eleganter et erudite. Apparet hujus novæ pronuntiationis Erasmo primum venisse in mentem, deinde Anglos argutius et accuratius id argumentum tractasse. Ab his igitur habent docti viri qui postea variis locis tractarunt. Nam qui Ramum faciunt auctorem ineptissime falluntur. Multa disputat Smithus contra vetustatem hujus erroris, tum enim cepisse, cum oppressa est Græcia a Barbaris; antea aliter fuisse pronuntiatum semper; non esse autem eorum temporum habendam rationem, quibus omnia

erant depravata et ἐκβεβαρβαρωμένα. Liber est lectu dignus. P. 27. b. locus emendatur Theonis: quem vide. Adjectus est et liber ejusdem, *De recta et emendata linguæ Anglicæ scriptione.* Et ille liber dignus lectu. Hæc scriptitabam, dum res cum leviro componuntur, quod O tu velis, Deus æterne. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Cum leviro hodie de nostris negotiis cepi agere serio, et adhuc ἐν δοίῃ θυμός. Quicquid sit futurum, te oro, Deus æterne, nos rege, nos serva, nobis benedice. Amen.

VII. *Kal. Jul.* Et hodie cum leviro, etiam præsente Lectio, multum egimus: sed non multa, imo nihil plane. Sororis etiam negotia diligentius inspexi; et O iniquos judices! O sedem rapacium Genevam. Misella pro fratribus mariti sui debita multa solvit, et eorum nomine exigere ab illis aliquid non potest; etsi favet hac quidem in parte Senatus: sed hactenus ut decernat. Nam ut decreta executioni mandentur, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Adde schedulas, ut vocant, prælatas legitimis obligationibus. O miserere Deus. Amen. Nos quidem ista scribimus ex ipsis monumentis quæ hodie inspeximus.

VI. *Kal. Jul.* Concioni interfuimus; negotia non tam nostra, quam affinis et sororis curavimus. Libri ne minimum quidem inspecti. Tu, O Deus, miserere. Amen.

V. *Kal. Jul.* O Deus, quanta hæc est jactura temporis? Sed da tu melius alias collocare. Amen.

IV. *Kal. Jul.* Scripsimus literas; negotia, ut poteramus, confecimus. Sed illud permolestum, quod Francisco Lepreux 100 libras coacti sumus solvere plane indebitas, et quæ magno constant nobis. Poteramus jus nostrum apud Prætorem defendere; sed ille schedam et χειρόγραφον nostrum urgebat. Maluimus igitur solvere quam litigare. Tu, Deus æterne, restitues, si libebit, et cum libebit. Amen.

100 libræ indebitæ solutæ.

III. *Kal. Jul.* Quod Deus bene vertat, hodie Genevam relinquimus, sub vesperam enim auditis concionibus proficiscimur. O σῶτερ, te supplex oro, serves et civitatem hanc, et magis in ea pietatem ac virtutum omnium ἄσκησιν serves. Simul te oro, O Deus æterne, familiam hanc benignitate tua prosequaris, nos omnes regas, et incepta fortunes nostra. Exaudi, Deus Opt. Max. A cœna Copetum venimus.

Prid. Kal. Jul. Copeto profecti Rollam venimus, ibique pransi levirum Paulum Stephanum, qui eo usque nos prosecutus fuerat, dimisimus, confectis cum eo negotiis plane ex ipsius sententia magis quam ex mea aut meorum utilitate, sed, si quid benefecimus, benefacti non pœnitet. Deus modo illam domum servet, et nostram cum illa. Morgias transivimus, et in pago Bernatium *Cousenet* noctem egimus. Θεῷ χάρις.

Kal. Jul. Deo duce iter institutum bene mane ursimus, et per oppidulum *La Serra* venimus ad

miserum vicum *Eclai:* locus est in montibus mediis situs, qui pars Juræ montis sunt. Atque hactenus ditio extenditur Bernensium et ultra *Eclai* ad tria aut quatuor millia passuum. Deinde sequitur comitatus Burgundiæ, cujus occurrit primum oppidum *Joigne*, difficillimi aditus oppidum in alto situm. Inde venimus ad ulteriora comitatus, petentes urbem *Pontarli:* sed deficiente die substitimus in radicibus montis, ubi est trajectus quem vocant *L'Ecluse.* Clausas Latini, et Græci recentiores κλεισούρας nominant. Duo montes hinc, inde, sibi occurrunt, et angustum in medio transitum relinquunt, ut vere possis πύλας cum antiquioribus Græcis dicere. Hæ πύλαι Burgundici comitatus plures eodem loci sunt. Sed munitio uno tantum loco instituta. Nam in summo vertice montis qui nobis ad lævam erat, arx fuit structa, ubi Hispanus præsidiarios triginta milites alit. In imo est portorium, et ibidem hospitium sic satis commodum. Ibi noctem egimus. Θεῷ χάρις.

Ste. Anne nisi fallor vocatur locus.

VI. *Non. Jul.* A Clusura discedentes Italicam leucam confecimus, et oppidum *Pontarli* ingressi sumus sane elegans et modo ædificiorum Genevensium structum. Nam in præcipua τῶν ῥυμῶν tecta longe prominent, et ut Genevæ, viam triplicem præstant, quæ in aliis urbibus est simplex. Inde per aspera et fere inculta loca venimus ad vicum oppido magnum, nec invenustum, *Le Vieil*,

boum armentis abundantem. Post prandium ὁδεύσαντες ad ipsum crepusculum, Salinas tandem pervenimus. Multa in eo oppido ἀξιομνημόνευτα. Magnitudo primum insignis. Nam in longum porrigitur, credo, ad unum milliare integrum, aut eo amplius, si a suburbiorum unius initio rationem ineas ad alterius finem. Accedit elegantia urbis et privatarum domorum. Postremo aquæ salsæ scaturigines dignam urbem reddunt quæ inter præcipuas numeretur. Sunt in comitatu Burgundico fontes plures aquæ salsæ. Sed jam olim Principes contenti duos exercere, sub gravissima pœna vetuerunt aliis uti, veriti scilicet ne ita vectigal sibi periret, quod ex duobus illis percipiunt maximum. Hi duo fontes in hac urbe continentur. Sunt autem uterque mirabilium ædificiorum mole magna exstructi, quæ omnia lustravimus, et magna cum voluptate cum Naturæ prudentissimam benignitatem, tum hominum industriam in structura illorum ædificiorum sumus mirati. Alterum accurate inspeximus. In imo est fons ille θαυμάσιος salsæ et dulcis aquæ. Nam indidem erumpunt salsa et dulcis. Sed in diversa πηδύουσαι feruntur. Multis autem machinis dulcis ex depressissimo illo loco in altum sustollitur, ut extra ædificium ejiciatur. At salsa magna item machinatione in altum sublata ἐν λάκκῳ χειροποιητῷ colligitur, atque inde in labrum miræ amplitudinis defertur, cui subjectus est ignis maximus. Ibi coquitur, et in tenuissimum salem

evadit, qui, dum adhuc madet, in eam fingitur formam, qua sunt panes salum quibus Helvetia, Geneva, cum universo comitatu Burgundico utuntur. In Ducatum quidem id genus salis inferre capitale crimen est. Ταῦτα μὲν οὖν ταύτῃ. Τῷ δὲ ὑψίστῳ Θεῷ χάρις.

V. *Non. Jul.* Serius Salinis discessimus, parte magna temporis matutini consumta in spectandis salsis aquis et universo illo artificio. Pransi in viculo Chambla Dolam venimus. Θεῷ χάρις.

Hanc præterlabitur Dubis fl.

IV. *Non. Jul.* Dola profecturi summo mane, aliquandiu detenti sumus improbitate hospitæ. Inde tribus leucis confectis Auxonam venimus quæ prima urbs est Ducatus et regii dominatus. Urbs est non magna, satis munita, in palustri loco sita, et proinde, qua porta exibamus, pons occurrit ad dimidium fere leucæ unius perductus, ut nunc quidem est, per siccam planitiem, sed in quam sæpe fluvius Araris ingentem copiam aquarum exundat. Exeuntibus nobis magnus injectus erat metus ob latrocinia, eadem die, quod sæpe accidit, commissa in proxima Silva *de Boleran* dicta. Narrabatur mulier suspensa, et mercatores spoliati fortunis suis; atque ea gesta ante paucissimas horas. Auctores sceleris dicebantur esse milites præsidiarii in urbe non longe remota *St. Jehan de Laune* collocati. Nam hi stipendiis suis fraudati, assiduis latrociniis injurias suas ulciscuntur, atque ita victum misere quæritant. Hic

vero nobis vere ἀπὸ μηχάνης Θεός. Nam porta urbis Auxonæ egredientibus occurrerunt duo milites Genevenses probe nobis noti, qui nos sylvam transeuntes stipati sunt, ut plane eo nomine magnas tibi, O Deus, et habeamus et agamus gratias. Ita Divionum venimus.

Araris, *La Saone,* is est fl. qui Lugdunum influit.

III. *Non. Jul.* Divioni totum diem hæsimus, et literas Genevam scripsimus. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Jul. Dies erat Domino sacer; quem non, ut optabamus, in audiendo ejus Verbo transegimus, sed in amicorum tamen piorum piis sermonibus. Urbem etiam spectavimus magnam satis, et ob curiam supremam insignem, nec minus ob tot tam elegantia templa. Nam septemdecim, nisi fallor, in ea urbe visuntur. Unum ex his non cæterorum more structum, sed sine porticibus ad dextram aut sinistram, et, ut ipsi dicere solent, *comme une grande Chapelle.* Proprium hujus templi, ut fastigium operis tanquam e ligno structum ventorum mediocri flatu agitetur. Cerneres fastigiatam illam structuram (Galli vocant *l'aiguille*) nutantem, et huc illuc ἐπισήμως se inclinantem. Θεῷ χάρις.

Non. Jul. Diviono profecturis oblatum impedimentum a multis viris honestis et præcipui loci, qui audito in urbe nos esse, visendi caussa ad nos venerunt sane multi. Unus etiam, medicus Regis *M. le Maistre,* ad tertium fere lapidem nos est secutus. Vix urbe exieramus, cum frigus ingens,

et, ut tempus anni est, mirabile sumus experti. Pransi sumus in viculo *Pasques*. Inde venimus a *Chanceau* octo leucas emensi. Θεοῦ χάριτι.

VIII. *Eid. Jul.* Per spurcissimam tempestatem frigore, imbre et vento molestissimam confectis novem leucis, venimus ad urbem satis magnam *Chastillon sur Seine*. Nec procul inde Sequana ortum habet. Habetur enim fons illius supra *Chanceau* ad lapidem unum aut alterum. A prandio 3 leucæ supererant ad pervenustum oppidum *Mussi l'Evesque*. In hoc tractu observabamus domos omnes tegi non lateribus aut scindulis aut stipula, sed prælatis πλαξὶ lapidum quas ipsorum vetus sermo appellat *labres*. Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Jul.* Pransi in mediocri urbe *Bar sur Seine*, ad urbem Tricassinam, *Troies* vocant, pervenimus ibi αὐλισόμενοι. Urbs est permagna, sed quæ elegantia superet magnitudinem suam. Imo totum hujus diei iter suavissimum fuit; cum passim occurrerent maximi et amœnissimi pagi ad Sequanam siti; etsi adhuc rivum pene potius quam fluvium. Mira vicorum frequentia. Nam sæpe cum unius porta exeas, ecce in conspectum alterius oppiduli aut pagi portam, vel turrim, vel templum. Ita sunt ἐν συνόψει, alter pagus alterius, siti. Tricassibus pernoctavimus. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Jul.* Per planitiem ἄξυλον et ferme ἄλιθον, si silices nigros excipias qui in via non

pauci, leucas septem confecimus, et in viculo pransi sumus cui ex re nomen Tres tabernæ, *Trois maisons.* Post prandium quinque leucas emensi in oppido *Nougent* ηὐλισάμεθα. Χάρις τῷ Θεῷ.

v. *Eid. Jul.* Novem leucas mane confecimus. Sed in medio fere itinere interjunximus, et urbem *Provins* vastissimam et in convalle porrectam longissime spectavimus. Hæc antiquissima urbs est, et, ut putant eruditi, Agendicum Cæsaris ac Geographorum; etsi alii putant esse potius *Milli en Gastinois* ad decimum ab urbe lapidem situm vicum amplissimum. Hodie *Provins* sedes est otiosorum monachorum quam plurimorum. Hic optimæ rosæ nascuntur; neque alia res magis hanc urbem nobilitat, quod et nomen testatur. Atque hic conficitur e rosis optimum pharmacum, quod vulgo dicitur, *Confecture de Roses.* Pransi prope *Magni,* nam urbem non sumus ingressi, ad unius lapidis jactum distantem, pernoctavimus in vico *Guigne.* Θεῷ χάρις.

iv. *Eid. Jul.* Novem supererant ad metam sane quam optatam leucæ. Has feliciter confecimus, et post secundam, aut non multo ante, domum salvi pervenimus nos qui equo vehebamur; uxor et familia, quæ curru Divionico, aliquot post horis. Ita confectum est iter diu optatum et multis nominibus gratissimum. Cum igitur tantum iter ego, uxor, liberi salvi et modis omnibus ἀπήμαντοι absolverimus, cum illi ad quos ieramus

salvi sint a nobis relicti, mater imprimis *ἡ σεβασμία*, cum familia omnis sit hic salva inventa, quas tibi, O Deus, grates ego meique agemus aut habebimus? Sed næ verba deficiunt. Itaque hoc misso officio, cui præstando impar sum, te oro, te supplex veneror, æterne Deus, pergas benignitate tua servare, protegere hanc domum. Spiritu etiam tuo me, meam, ac liberos nostros regas, ut omnia dicta, facta, cogitata etiam nostra ad gloriam tui nominis, ad ecclesiæ ædificationem, ad salutem nostram referantur. O exaudi Pater, per Jesum Christum *τὸν μονογενῆ* Filium tuum, qui una tecum et cum Spiritu Sancto tuo regnat *πρὸ αἰώνων εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

III. *Eid. Jul.* Dies erat sacer et Deo dicatus; quem cum non possemus inter fratres in ecclesia agere, at in museo magnam partem egimus, grata recordatione acceptorum hoc itinere beneficiorum, quod ea fine heic describebamus hodie, ut extaret in his *ἐφημερίσιν* memoria tuæ, O Deus, in me ac meos beneficentiæ. At tu, O Pater, propter ipsum te, nos serva etiam porro. Amen.

Prid. Eid. Jul. Ne inspeximus quidem hodie librum ullum; sed amicos visimus, et ita diem totum contrivimus. O da tu meliora, Deus. Amen.

Eid. Jul. O Deus, qualis hæc vita? Ne per transennam quidem librum aspicimus; amici enim impediunt, et officia ista *ἐγκύκλια*. Tu miserere, O Deus, nostri. Amen.

xvii. *Kal. Aug.* O Deus, ades, nam perit omne tempus nobis, et nos cum illo abimus, neque proficimus hilum. Tu miserere. Amen.

xvi. *Kal. Aug.* Ne hodie quidem cepimus admodum. Tu Deus, miserere. Amen.

xv. *Kal. Aug.* Jam quidem a literis plane sumus alieni. Tu, Deus, nos respice. Amen.

xiv. *Kal. Aug.* Bene est. Diem hodie non male posuimus. Libros quidem leniter aspeximus. Sed literas ad matrem scripsimus, cui etiam ducentos aureos non sane ἐκ τῆς περιουσίας, sed ex tenui censu nostro misimus. Utinam gratum Deus habeat hoc cuicuimodi officium. Illum veneror, et matri et uxori, et mihi ac liberis benedicat et nunc et porro etiam. Amen.

xiii. *Kal. Aug.* Hablonem ivi, redii. Θεῷ ἡ χάρις. Vidi baptizari catechumenum natione Indicum, post redditam fidei rationem. Πάλιν αὖ καὶ πάλιν Θεῷ χάρις.

xii. *Kal. Aug.* Pauculæ saltem horæ hodie studiis datæ. Deo laus et honos.

xi. *Kal. Aug.* Literas ad piam matrem et alios multos scripsimus. Deinde amici nos occuparunt. Ita fere dies actus. O nos, Deus, respice.

x. *Kal. Aug.* Hodie incipiebamus serio de literis cogitare, sed amici vetuerunt magna ex parte. Tu, O Deus, ades.

ix. *Kal. Aug.* Mane studia; a prandio ne inspecti quidem libri, sed literæ per Genevam ad Regem Angliæ scriptæ, et quidem raptim fere,

cum amici vix respirare permitterent. O serva illam urbem, Deus. Amen.

VIII. *Kal. Aug.* Regem hodie convenimus, et literas Bezæ venerandi ei tradidimus. Sumus ab eo moniti sane quam benevole de literis ad Tilenum a nobis scriptis. Nam ad ejus aures pervenit res improbitate Fraxinei. Respondi quod erat, aliud nihil. Tu, O σῶτερ unice, nos serva. Amen.

VII. *Kal. Aug.* Neque nihil, neque multum. Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Aug.* Hablonem uxor auditum Chouelum ivit. Audivit et rediit. O voluptatem animi veram et ἄφατον quam retulit ipsa. Nos nescio quibus modis occupati parum ex animi sententia diem egimus. Tu miserere, O Deus, et mihi esto vere βουληφόρος. Amen.

V. *Kal. Aug.* Mane aliquid: deinde nihil. O respice nos, Deus. Amen.

IV. *Kal. Aug.* Mane aliquid: deinde nihil. O respice me et meos, O Deus. Amen.

III. *Kal. Aug.* Gratias tibi, Deus æterne, quod mensem hunc exigere et mihi et meis dedisti sine noxa. Spero enim valere et matrem, et sororem, et affines meos alios; quos tu omnes et me cum ipsis serva. Amen.

Prid. Kal. Aug. Atqui hic, non autem hesternus dies, ultimus est hujus mensis. Hunc vero eximus partim in studiis, partim colloquiis cum magno viro Chouelo, et item àlio Dei ministro

Du Tiloir, et magno Herexto de la Noues. Tibi igitur, O Deus, honos et gloria in æternum. Amen.

Kal. Aug. Quod Deus bene vertat, cum erudito viro D. du Tiloir verbi Dei Pastore partem diei transegimus non inutiliter. O servet Deus omnes qui ejus timore sunt præditi, et nos in his, cum matre, uxore, liberis, sorore et affinibus. Γένοιτο, γένοιτο.

IV. *Non. Aug.* Aliquot horas hodie in intelligendo computo posuimus, utinam non male. Deus benedicat studiis. Amen.

III. *Non. Aug.* Hablonem ituri hæc scribebamus, et te, Deus æterne, supplices orabamus, ut per obscœnam tempestatem pluviæ nos duceres, reduceres ἀπημάντους. Amen. Sed quomodo tibi, O Deus, ἀνταξίας gratias agam? Nam pluvia, cum discederemus, desiit, fuitque tempestas serenissima. Tum autem divinum virum D. Chouelum audivimus mira ubertate scientiæ τῆς ὄντως ἐπιστήμης. Exposuit hæc Matth. XI. 10. Καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον εἶπεν αὐτοῖς, Ἀκούετε καὶ συνίετε· οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον· ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον, etc. Multa ille de variis Christi cognominibus, et maxime quod consiliarius et Λόγος dicatur, deinde quid sit ἀκούειν, quid ξυνιέναι doctissime exposuit, et quod in ecclesia Pontificia sit quidem τὸ ἀκούειν, at τὸ ξυνιέναι minime: postremo de mente præcepti hujus quod explicatur in Actis, ubi linteum videtur Petro in visione.

Quid multa? Hora visa mihi punctum temporis. Gratias igitur tibi, in meo et uxoris ac liberorum nomine, O Deus, ὦ σῶτερ.

Prid. Non. Aug. Nihil admodum, certe parum. Tu, Deus æterne, et πολυέλεε, miserere mei et meorum. Amen.

Non. Aug. Mane non segniter in literis fuimus: a prandio cum amicis. Σὺν δὲ τῷ Θεῷ posthac diligentius. Ita faxis, O Deus. Amen.

VIII. *Eid. Aug.* Mane aliquid: dein literæ et nugæ. Gloria Deo. Amen.

VII. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια per pauculas horas. Θεῷ χάρις.

Hodie dedi a Mons[r]. Du Tiloir ministre de Sedan, deux livres Hebrieux. 1. Kalendarium Hebræolatinum. 2. Azarias tout Hebrieu. Eodem die dedi Hadriano Flessingensi in hac urbe commoranti utendum Alcoranum Arabicum et quædam folia MS. interpret. Latini.

VI. *Eid. Aug.* Lente proficimus, atque utinam proficiamus. Amen.

V. *Eid. Aug.* Forte aliquid hodie; etsi valde districti in literis scribendis, cum hodie Matthæum Planum Galuram ad matrem miserimus. Deus ceptis fortunet illius, meisque et meorum omnium. Amen.

IV. *Eid. Aug.* Die sacro Hablonem non ivimus: sed domi studia sacra curavimus. Miserere, Deus, et nos serva. Amen.

III. *Eid. Aug.* Arabica studia hodie repetiimus. Tu cepta, O Deus, fortuna, et regendis liberis da

vires idoneas. Jam enim experior ingens esse onus; sed tu, O Deus, sublevabis. Γένοιτο, γένοιτο.

Prid. Eid. Aug. Quod potuimus studiis Arabicis impendimus. Θεῷ χάρις.

Eid. Aug. Τὰ ἐγκύκλια, id est, Lexicon institutum. Deo laus et honos. Is nos servet ab imminentibus (ita vereor) molestiis et difficultatibus. En ades, ὦ σῶτερ. Amen.

xix. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια et auctum nostrum Lexicon Arabicum. Θεῷ χάρις.

xviii. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

xvii. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια dum per amicos licuit, deinde illi nos impedierunt, nec minus Genevam literæ. Θεῷ χάρις. Amen.

xvi. *Kal. Sept.* Cum Hablonem ire non possemus, domi studia curavimus; ac mane pauxillulum quod supererat descriptionis Arabici Lexici inchoati nobis absolvimus: dein ad meliora studia nos convertimus. Τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις.

xv. *Kal. Sept.* Adhuc in Arabico Lexico locupletando fuimus. Magnum et lentum opus: sed cum Deo potest omnia tempus. Θεῷ χάρις.

xiv. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια leniter. Tu miserere, Deus, et rectam inde mentem. Amen.

xiii. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Θεῷ χάρις.

xii. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ πᾶσα ἡ χάρις. Ἀμήν.

xi. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ ἁ χάρις.

x. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Deus, ceptis faveas.

N. T. Arab. dedi commodato D. Hadriano Belgæ.

IX. *Kal. Sept.* Hablonem ibamus, ego cum uxore et parte familiæ, teque, æterne Deus, per Jesum Christum Filium tuum unicum illum mundi servatorem, supplices orabamus, ut nos ab omni πημάτων genere servares, nobisque Spiritum Sanctum tuum communicare dignareris, qui εἰς ἐπίγνωσίν τε καὶ πρᾶξιν παντὸς ἀγαθοῦ nos dirigat. Amen. Ecce rediimus, et gratias tibi gratissimo animo, O æterne Deus, agimus; eo quidem impensius, quod casus hodiernus me et meos admonet, ut supremo Numini in horas et horarum momenta nos et animas nostras commendemus. Frigenilla quidem fuit homo pius, quod vita docuit, et hic ejus extremus actus, sed mentis non omni ex parte sanæ. Multa enim in literis ausus est, plane supra vires. Olim adversus magnum Scaligerum in chronologia librum scripsit et edidit; nunc et a multis quidem jam annis in conversione Judæorum erat occupatus. Superiore anno cum certam spem suis fecisset perficiendi quod mente versabat, iter instituit ad eas regiones ubi sunt Judæi. Francofurdum igitur venit, et, ut puto, Venetias, ut Christum illis prædicaret. Egregia prorsus voluntas, quæ tamen exitu corruit. Ac memini sæpius eum mihi dicere, ideo irritum fuisse ejus conatum, quod neminem inter Judæos invenisset, qui de rebus theologicis secum aut vellet aut posset in disputationem venire. Lutetiam vero ex eo itinere reversus eundem semper urgens lapidem, Novi Testamenti libros

Hebraice vertere instituerat, admirabilia quædam sibi vir optimus spondens de hac versione, ubi semel in Judæorum manus foret perlata. Hoc ante sex septem dies mihi ille narrabat, cum forte obviam essem ipsi factus. Hoc etiam hodie in navi, quæ ecclesiæ hujus partem, ut moris est, Hablonem deferebat, assidentibus hilaris et plenus spei dicebat, cum ecce tantum inceptum animo volventem repentina mors, et quidem præter naturam oppressit. Ad pagum *Choisi* exibat e majore navigio, et naviculam erat ingressus, ut in terram deferretur. Insilit in eum lembum mulier, quæ lembum evertit, et eos, qui erant ingressi, κυμβάχους in flumen fecit cadere. In his fuit Frigenilla: cæteri evaserunt tandem omnes. Solus ille vere in portum impegit, et vitam ærumnosissimam meliore mutavit. At tu, Domine, da proficere in tristi adeo exemplo ad nominis tui gloriam et salutem nostram.

VIII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις. Ἀμήν.

VII. *Kal. Sept.* Non multum promovimus ab amicis impediti: neque enim nobis viximus. Sed pridem studia nostra eluximus. Itaque fiat tua, O Deus, voluntas. Amen.

V. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, deinde ad Scaligerum literæ, quarum da responsum ferre, O Deus; de studiis enim cum ipso agimus, et doceri petimus, quod tu præsertim, O summe Doctor, face, et in viam tuæ legis me dirige. Γένοιτο, γένοιτο.

IV. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Amen.

III. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια ut potuimus, in literis scribendis multum occupati. Θεῷ χάρις.

Prid. Kal. Sept. Ergo mensem exegi, et magnam, cur tuum nomen celebrem, O Deus, et tibi gratias agam, caussam habeo. Atque utinam Hablone id potuissem hodie. Quod non ibi feci, hic facio, et æternas tuo Numini gratias ago. Amen. Amen.

Kal. Sept. Quem diem, O Deus, velis faustum illuxisse, et illi ac porro omnibus benedic, ut ἀπήμαντοι sint exiganturque a matre, uxore una mecum, et liberis, ac sorore et omnibus affinibus per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat æternum regnaturus. Amen.

Ce Lundi preste a M. Hadrian Paulus et Aetius, et Gr.

IV. *Non. Sept.* Mane in Arabicis tantum fuimus: a prandio cum amicis. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

Presté a Mon^sr Florence Præceptum de Mon^sr le Conte de Sab. Cimchi in psalm. item MS. collatus. Fasti Romani a Frisio Sacana editi.

III. *Non. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια per multa impedimenta. Θεῷ χάρις.

Prid. Non. Sept. Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

Non. Sept. Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις: hodie a matre literæ. Πάλιν Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Atque utinam, O Deus, des hodie nobis in crastinum diem nos parare. Amen.

VII. *Eid. Sept.* Hablonem hodie cum familia

ivimus, et sacrosanctæ *τοῦ Κυρίου* cœnæ communicavimus. Itaque, O æterne et immortalis Deus, gratias eo nomine tibi supplices agimus. *Δὸς δὲ, ὦ Πάτερ, οὐκ ἀναξίως τῶν σῶν μετασχεῖν μυστηρίων* per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo sine principio sine fine regnat, regnabit. Amen.

VI. *Eid. Sept.* Τὰ *ἐγκύκλια*, sed magis literæ in Italiam, et nugæ. Tu, Deus æterne, et in universum huic domui, et studiis meis ac filii benedice. Amen.

V. IV. III. *Prid. Eid. Sept.* Τὰ *ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.*

Eid. Sept. Τὰ *ἐγκύκλια· τῷ παναρίστῳ Θεῷ ἡ χάρις.*

XVIII. *Kal. Oct.* Hablonem pars familiæ ivit: nos remansimus, et fere literis scribendis occupati fuimus. Τῷ *Θεῷ δόξα καὶ χάρις.*

XVII. *Kal. Oct.* Τὰ *ἐγκύκλια* quantum licuit per impedimenta. *Θεῷ ἡ χάρις τοῦ διδομένου.*

XVI. *Kal. Oct.* Τὰ *ἐγκύκλια·* mane quidem Arabica: postea vero continuata lectio Scaligeri Emendationum, nec sine admiratione lecta diatriba de vitibus paschatis. Serva illum, Deus æterne, et nos cum omnibus nostris. Amen.

Dedi hodie utendum Serapionem D. Hadriano.

XV. *Kal. Oct.* Τὰ *ἐγκύκλια* per horas non multas. *Θεῷ χάρις.*

XIV. *Kal. Oct.* Τὰ *ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.*

XIII. *Kal. Oct.* Τὰ *ἐγκύκλια* pæne omissa propter amicos parum nostris studiis æquos. Tu, Deus, miserere. Amen.

XII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Oct.* Diem Deo sacrum hic agimus inter libros quidem magna ex parte sacros aut de sacris. Sed quam mallemus Hablone sacræ synaxi interfuisse. Sed non adeo beati sumus. Deus miserere.

X. *Kal. Oct.* Literæ, et utcunque studia. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Oct.* O dolor! totus dies fere amissus culpa amicorum. Unum recte, imo ὑπερεῦ, quod sacræ Dei concioni interfuimus cum familia. Gratias igitur tibi, O Deus. Et de matre quam valet cognovimus.

VII. *Kal. Oct.* Heu tristem diem! Mane amisimus fere totum. Deinde uxoris ὑστερικὴ valetudo gravissime nos afflixit. Accedit filii in literis infelix ingenium. Itaque ad te, O Deus, confugimus, te unum spectamus, a te opem poscimus. O ades. Amen.

VI. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque hodie. Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Laus Deo Opt. Max.

IV. *Kal. Oct.* Et hodie dolor, gemitus, et alia præter quæ optabamus. Nam Hablonem non ivimus; et uxoris valetudo gravis me angere incipit. Sed, O Deus, in te spes mea omnis. Tibi honos et gloria. Amen.

III. *Kal. Oct.* Uxori, quæ potione curata fuerat,

totum fere diem adfui. O illam, Deus, serva, et totam cum illa ac pia matre domum. Amen.

Prid. Kal. Oct. O Deus, ades languenti domui: nam et ipsi parum videmur adjuti hodierna potione; et uxor graviter sic satis ægrotat. Sed, O Deus, te unum spectamus, ego, illa, liberi. Tu ades per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum cui una tecum et Spiritu Sancto tuo honos et laus sine fine. Amen.

Kal. Oct. Hodie pensum Arabicum iniimus, quod ut brevi absolvamus, te supplices, æterne Deus, oramus, utque domum hanc præstes incolumem et πημάτων ἐκτὸς ad tui nominis gloriam per Dominum nostrum Jesum Christum qui una tecum et Spiritu Sancto tuo *ἄχρονος, ἀτελεύτητος βασιλεύει, βασιλεύσει.* Amen.

VI. *Non. Oct.* Uxor Dei gratia meliuscule hodie. Sed isti studiorum meorum hostes quorsum me torquent suis visitationibus? Tu, Deus, miserere. Amen.

V. *Non. Oct.* Uxoris morbus proditur. Tu nos respice, O Deus. Amen.

IV. *Non. Oct.* Hodie vix libros aspeximus, varie impediti. Nam et uxori adfuimus, cum præsertim illi, etsi uterum gerenti, sanguis iterum mitteretur, quod, O Deus, velis illi esse σωτήριον. Amen.

Presté a M. Hadrian Demosthen. Gr. et Lat.

III. *Non. Oct.* Hablonem pars aliqua familiæ ivit. Utinam tota potius, atque ego in primis

cum uxore et liberis. Quod, O Deus immortalis, da brevi possimus. Amen.

Prid. Non. Oct. Mane librum ne aspeximus quidem. Deinde amici. Ita dies periit. O tristem atque ærumnosam vitam! Sed acquiescendum in tua, O Deus, voluntate. Amen.

Non. Oct. Mane utcunque bene: etiam a prandio, et a cœna. Itaque tibi, O Deus, gratias. Amen.

VIII. *Eid. Oct.* Mane cum Hadriano meo ἠραβίσαμεν; deinde amici fere diem ut periret fecerunt. Θεῷ laus et honos.

Presté a M. Hadrian Dioscorides Sarraceni, Definitiones Gorræi.

VII. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, tuo, mi Deus, immortali beneficio.

VI. *Eid. Oct.* Mane aliquid pusillum: a prandio nihil ob negotia domestica. Sed tu, O Deus, domum hanc serva, et nos respice. Amen.

V. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Deo laus et honos.

IV. *Eid. Oct.* Hablonem aliqui e familia iverunt. At quanto satius ut ivissemus omnes, quod O da, Pater æterne. Amen.

III. *Eid. Oct.* Etsi non parum occupati multum tamen hodie in penso Arabico promovimus, cui incepto O benedic tu, Deus æterne.

Pag. N. T. 70. σὺν Θεῷ ad 190. Presté a M. Hadrian Geograph. Arab.

Prid. Eid. Oct. Literis hodie in totum renunciavimus. Dionysii fanum visimus et miranda

adhuc ejus ædis κειμήλια magna cum voluptate spectavimus. Inter cætera illud fuit miræ longitudinis cornu, quod unicornis animalis (*licorne* vulgo) fuisse narrant, res digna admiratione, et de qua plura alibi. Hæc igitur hodie. Tu nos, O Deus, duxisti, reduxisti, me inquam, uxorem et liberos. Tibi honos et gloria. Amen.

Eid. Oct. Pauca adhuc hodie; aliquid tamen Dei gratia.

XVII. *Kal. Nov.* Deo gratia, aliquid promovimus, et ad Scaligerum longas de literis literas misimus.

XVI. *Kal. Nov.* Pensum utcunque hodie in Arabicis profecimus non sine multis impedimentis, et nutante valetudine, quam tu, O Deus, firma et mihi et meis. Amen.

XV. *Kal. Nov.* Et hodie benignitate tua, O Deus, pensum absolvimus: etsi plerumque museo abstinuimus, ob valetudinem palam nutantem: sed tu eam firma, O Deus, maxime ut die crastina Hablonem cum uxore et liberis eam. Velis hoc et facias, qui solus potes. Amen.

XIV. *Kal. Nov.* Hodie pars familiæ, uxor cum liberis Hablonem ivit ac rediit. Ego non ivi ob hesternam febrim satis vehementem, quæ ne deinceps redeat, velis tu, O Deus. Amen.

XIII. *Kal. Nov.* Turbat nos leniter minus belle habens corculum nostrum Anna: sed et ipsi parum valetudine firma utimur. At tu firmabis, O Deus, qui das nihilominus ut pauculas saltem

horas studiis impendamus. Tibi honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

XII. *Kal. Nov.* Hodie propter curam corporis pausam cogimur facere in opere instituto. Quæ ut diuturna ne sit, oro te supplex, æterne Deus, per misericordiam tuam, et merita Filii tui Domini nostri Jesu Christi qui una tecum et Spiritu Sancto tuo πρὸ αἰώνων εἰς αἰῶνας αἰώνων regnat. Amen.

XI. *Kal. Nov.* Vix hodie adhuc libros πόρρωθεν aspeximus ob valetudinem, et assiduitatem amicorum. Miserere, Deus. Amen.

X. *Kal. Nov.* Redieram beneficio Dei ad τὰ ἐγκύκλια. Sed impeditus ab amicis totum, proh dolor, pomeridianum tempus amisi. Miserere, Deus.

IX. *Kal. Nov.* Per multa impedimenta aliquid profectum. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Nov.* Et hujus diei par fortuna: nam et bibliotheca regia ex negotio fuit adeunda, et literæ Genevam scribendæ. Tu, Deus, benedice. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Hablonem ivit hodie nostrum nemo varias ob caussas; si tamen caussas. Tu, Deus πολυέλεε, ignosce, et da veniam, atque hanc domum rege, tege: ac serva, si ita voluntas tua, extra noxam, matrem, me cum uxore, liberis, et sorore atque affinibus per Jesum Christum Dominum nostrum τὸν μονογενῆ Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo (ἡ παναγία

ἐν τριάδι μονάς) regnat πρὸ αἰῶνος εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VI. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi parum firma valetudine. Sed tu firmabis, Optime Maxime Deus. Amen.

A p. N. T. 210 ad 312.

V. *Kal. Nov.* Pars maxima diei data otio ob valetudinem. Pusillum aliquid profecimus; eoque nomine tibi, Deus æterne, gratias agimus.

Misi hodie Sedanum ad Dom. Du Tiloir Gr. Cod. MS. antiquiss. cujus sunt τετράδια CI.

IV. *Kal. Nov.* Hoc vero die vix museum sumus ingressi ob sumtum pharmacum, cui tu, O Deus, benedice. Amen.

III. *Kal. Nov.* Neque plane nihil, sed exiguissimum aliquid. Tibi tamen, O Deus, gloria et laus. Amen.

Prid. Kal. Nov. Gratias tibi, O Deus, pro exacto mense, per nonnulla quidem adversa, nutante mea et uxoris valetudine. Sed, O Deus, quam benigne actum est nobiscum? Itaque te supplex oro, misericordias tuas ne abrumpas, et nos pro nostris meritis ne habeas, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit regnatque. Amen.

Kal. Nov. Non segniter pro valetudine et impedimentis fuimus in penso Arabico, quod superiore mense susceptum, necdum est perfectum. At brevi perficietur, te faciente, Deus æterne, qui. salutis meæ auctor. spem firmioris valetudinis

cum facias, da illa bene uti ad gloriam τῆς ὑπεραγίας ἐν μονάδι τριάδος, et meam meorumque salutem. Amen.

IV. *Non. Nov.* Hablonem ibam lætus atque hilaris; teque, O σῶτερ, orabam, me meosque omnes servares ἀπημάντους. Redii sane lætans quod Montignium pastorem hujus ecclesiæ audiissem docte et fideliter de verbo Dei disserentem. Itaque gratias tibi, Deus æterne.

III. *Non. Nov.* Leniter ob valetudinem et amicos promovimus. Laus Deo Opt. Max.

Prid. Non. Nov. Τὰ ἐγκύκλια, etsi multos jam dies διαρροίᾳ vexatus. Τῷ Θεῷ χάρις.

Non. Nov. Τὰ ἐγκύκλια supra valetudinem. Sed vicit amor literarum. Tu, O Deus, benedic. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* Pergit hic morbus: nos quoque in studiis, tuo, O Deus, insigni et immortali beneficio; quod, O, si tibi ita placet, velis esse diuturnius: matri quoque ades, O σῶτερ, et da illi solatium aliquod per me ad nominis tui gloriam, et meum ac meæ et meorum gaudium. Amen.

VII. *Eid. Nov.* Literæ ad piam matrem et alios diversos, in his ad magnum Scaligerum: deinde et studia quod per valetudinem licuit. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Nov.* Διάρροια quæ nos integrum fere mensem vexavit (ut et ante biennium eodem anni tempore) ne hodie quidem remisit. Sed

paucula tamen promovimus et Arabicum pensum explevimus. Laus Deo.

v. *Eid. Nov.* Gratias tibi, Domine, quod, etsi durat hæc *διάρροια*, nos tamen studia nostra non penitus intermittimus. Fac, O Pater, et mea, et meorum omnium *σπουδάσματα* ad nominis tui gloriam, ædificationem ecclesiæ, et salutem nostram referantur. Amen.

Literas ad Scaligerum misi via Autun per amicum Pomeranum.

iv. *Eid. Nov.* Urgemur *τῇ διαρροίᾳ*, magis tamen amicorum mutuis officiis, quæ meorum pestis studiorum. Sed fiat, O Deus, tua voluntas. Amen.

iii. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Θεῷ χάρις.

A M. Hadrian *σχ.* Gr. in Eurip. et historias mirabiles Goulartii.

Prid. Eid. Nov. Etsi medicamento usi studia tamen non deseruimus. Θεῷ χάρις.

Eid. Nov. Amici multum nos occupatos habuerunt. Aliquantulum tamen promovimus. Da meliora, Deus. Amen.

xviii. *Kal. Dec.* Et hoc die non multum promovimus. Da meliora, Deus. Amen.

xvii. *Kal. Dec.* Pauca hodie; et turbat valetudo, quam O firma tu, Deus.

xvi. *Kal. Dec.* Filia et pars familiæ hodie Hablonem. Nos remansimus cum uxore ambo invalentes. Tu firmabis, O Deus, et facies nos ac nostros valentes. Amen.

XV. *Kal. Dec.* Pro otio et valetudine *τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.*

XIV. *Kal. Dec.* Cum mane satis surrexissem, et aliquot in museo horas studiis impendissem, postea ad Molineum adii *τὸν ποιμένα*, recens e synodo in Delphinatu habita reducem. Suaves cum eo sermones habui. Deinde quod potui, otiosus non fui. Tu, O Deus, benedic. Amen.

XIII. *Kal. Dec.* Et valetudo et amici ferme totum hunc studiis nostris eripuerunt diem. Aliquid actum tamen. *Τῷ Θεῷ χάρις.*

XII. *Kal. Dec.* *Τὰ ἐγκύκλια* pro valetudine quæ videtur paululum confirmari. Quod O da, Deus æterne, ad tui nominis gloriam. Amen.

XI. *Kal. Dec.* In Origenis *κατὰ Κέλσου* eruditissimis libris hodie fuimus, nec piget operæ. *Θεῷ χάρις.*

X. *Kal. Dec.* Amicos visimus necessario. Tamen non penitus neglecta studia, tuo, mi Deus, beneficio, cui honos et gloria. Amen.

IX. *Kal. Dec.* Diem Deo sacrum domi egimus. *Τῷ καὶ μάλιστα λυπούμεθα, σὺ δὲ σύγγνωθι, ὦ Πάτερ, καὶ δὸς ἐν παρρησίᾳ καὶ ῥαστώνῃ σοὶ δουλεύειν καὶ ἐκτενῶς σοὶ λατρεύειν. Γένοιτο, γένοιτο.*

VIII. *Kal. Dec.* Mane periit totum: a prandio amici: O dolor! Vix aliquid in lucubratione nocturna. *Θεῷ χάρις.*

VII. *Kal. Dec.* Et hodie fere periit. Reversus autem est qui in Angliam a *συμβιώταις* nobilibus

fuerat missus: utinam sine periculo aut noxa, quod, O Deus, præsta; simul ut quæ ad me scripta sunt, instar aculei sint ad incendendum in animis meo et meorum tui unius amorem. Amen.

VI. *Kal. Dec.* Cum diem unum morbus hic jam *χρόνιος* intermisisset, qui et me simul et uxorem vexat *τὸν τῆς διαρροίας λέγω*, hodie ambo vehementer ab illo sumus vexati, ut illa etiam pharmaco curari necesse habuerit. Tu, O Deus, fac medicinam. Te spectamus. Amen.

V. *Kal. Dec.* O juva nos, O *σῶτερ*, nam et mea et uxoris valetudo valde adflicta. In te igitur omnis spes. Amen.

IV. *Kal. Dec.* In totum a libris hodie abstinuimus, sumpta ob difficilem morbum potione, cui tu, O magne *σῶτερ*, benedic. Amen.

III. *Kal. Dec.* Diem absumsit fere totum vel valetudinis respectus vel amicorum frequentia. Tu, O Deus, ades, et nos rege. Amen.

Prid. Kal. Dec. Dies erat Domino sacra, et mensis hujus ultima; quæ duæ caussæ monebant nos ut Hablonem iremus, si tam felicibus esse licuisset. Non licuit, et caussas non affero apud te, magne Deus, qui pro tua infinita bonitate lentitudinem nostram in tui cultu benigne condonabis nobis et nostram valetudinem omnium matris, meam, uxoris, liberorum et omnium qui nos attingunt firmam, si placet, præstabis ad

nominis tui gloriam cui una cum Filio unico Domino Jesu Christo et Sancto Spiritu tuo sit honos, laus et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

Kal. Dec. Quod bene Deus vertat mensem hunc institui Persio impendere; quem olim expositum a nobis tandem edere constituimus. Tu, benigne Deus, da opusculum hoc ad exitum brevi perducere, et tibi hoc quoque nomine post paucos dies posse *εὐχαριστεῖν*, quod ut fiat, meam et uxoris valetudinem ut firmes, nosque ut præsidio tuo regas, et omnes nostros, supplex te, *ὦ σῶτερ*, oro. Amen.

IV. *Non. Dec.* Tota nox misere acta per valetudinem adversam uxoris; deinde totum diem ferme amici eripuerunt. Tu, O Deus, miserere. Amen.

III. *Non. Dec.* Utcunque *τὰ ἐγκύκλια*, Deo laus et honos.

Prid. Non. Dec. Mane parum: a prandio nonnihil. Deo gratia magna magno. Amen.

Non. Dec. Gratias tibi, Domine, quod non parva hujus diei pars studiis est impensa. Tibi honos et gloria. Amen.

VIII. *Eid. Dec.* O quas ego tibi, æterne Deus, gratias ago, quod hunc diem lætiuscule transegi, uxore meliuscule habente, me si per amicos liceret totum diem in studiis consumente. Gratias igitur tibi, O Deus. Amen.

Presté a M. Hadrian Geograph. Arab. et Alcoranum Lat.

VII. *Eid. Dec.* Hablonem saltem aliqua pars

familiæ ivit. Quam mallem universa, aut ego saltem? Da hoc, Deus, et nos serva. Amen.

VI. *Eid. Dec.* Mane in regia fere periit, quod eo molestius, quia jussi sumus redire ab ipso Rege, quem serva, O regum Rex maxime. Amen.

V. *Eid. Dec.* Mane totum in aula amisimus, a Rege humanissimis sermonibus excepti, cui tu, O Deus, et nobis omnibus benedic. Amen.

IV. *Eid. Dec.* Mane studia: a prandio regia Bibliotheca nos habuit occupatos. Ibi jussu Regis Cottonum Loyolitanum salutavimus. Quid dicam? Hoc unum te, O Deus, oro, serves Regem a mala mente et consiliis malis.

III. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

Prid. Eid. Dec. Mane nihil ob valetudinem recrudescentem, et amicos: a prandio nihil aut minimum. O ades, Domine, et serva. Amen.

Eid. Dec. Et hunc fere totum diem regia Bibliotheca ademit. Θεῷ χάρις.

Presté a Mon^sr Hadrian Mappa mundi Turcica, non colée, en six pieces, et le lendemain Leo Africanus.

XIX. *Kal. Jan.* Proh dolor, ne hodie quidem Hablonem ivi; etsi et domo et urbe exii, ac casu quodam Madridum ivi. Deus miserere. Amen.

XVIII. *Kal. Jan.* Serius surreximus, et multum postea amici nobis fuerunt molesti. Tu nos serva, æterne Deus. Amen.

XVII. *Kal. Jan.* Hodie quidem serius surreximus; sed nobis viximus et studiis, quæ da per-

sequi, O Pater, ad nominis tui gloriam, et salutem nostram. Amen.

XVI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια satis diligenter, etsi remoræ multæ. Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Jan.* Mane pauca: deinde amicos invisimus. Tu, Deus, ades et mentem firma, nam premimur non tam præsentibus angustiis, quam jamjam imminentibus. Sed O, tu, Deus æterne, ades, et serva. Amen.

XIV. *Kal. Jan.* Mane aliquid: deinde ad Rosnium: sed frustra. Nam etsi præsentem et feriantem, alloqui tamen non potuimus hominem plane δυσπρόσιτον καὶ δυσπροσήγορον, sed valeat. Tu, ὦ σῶτερ, nos serva, et afflictis rebus prospice. Amen.

XIII. *Kal. Jan.* Per multa etiam hodie incommoda plusculas tamen horas non libris quidem impendi, quos ne vidi quidem, sed literis Genevam et Lugdunum Batavorum scribendis. Θεὸς εὐμενὴς εἴη. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Quod vertat bene Hablonem hodie proficiscor, etsi per fœdam valde tempestatem. Sed religioni est, cum meliuscule valeamus, non hoc pietatis officio fungi. O si valeret uxor! Quod da tu, Deus Opt. Max., ac me, illam, cum matre et omnibus nostris serva in timore tui. Amen. Redii sub quartam tuo, mi Deus, beneficio ἀπήμαντος. Tibi honos et gloria. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Ad Rosnium hodie ivimus et hominem allocuti tandem sumus, non sine sensu

doloris vel propter jacturam temporis in talibus necessario ponendi, imo perdendi. Sed ita vivitur. Tu da meliora, O Deus. Amen.

X. *Kal. Jan.* Mane fere totum misere periit propter aulica officia. Etiam a prandio non multum in museo fui. Utinam cum fructu aliquo literarum. Amen.

IX. VIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Jan.* Mane aliquid: a prandio parum ob amicos. Θεῷ δὲ τῷ παναρίστῳ χάρις καὶ δόξα. Amen.

VI. *Kal. Jan.* Mane studia officium pium interpellavit, et amici ægrotantis ἐπίσκεψις: a prandio varia genera nugarum, non enim dico officiorum. Paucas tamen horas studiis impendimus. Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Jan.* Hablonem hodie non ivimus, etsi vocabat nos sacra Domini cœna quæ ibi celebrata est; sed coacti ad proximam κυριακὴν differre, in lectione patrum horas non paucas posuimus. Te oro, τρισάγιε Pater, velis et studiis benedicere, et universæ huic domui. O tege peccata nostra, O Deus, per meritum Jesu Christi Domini nostri Filii tui, et per tuum Sanctum Spiritum nos rege. Amen.

IV. *Kal. Jan.* Mane aliquid; deinde amici; tum lucubrationem produximus ad multam noctem, et ad matrem quoque piam scripsimus. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Jan.* Non penitus, sed magna tamen ex parte dies prope periit, propter amicos, qui

me a studiis avocarunt. Atque ita vita truditur, quam tu, O Deus, da exigere ad nominis tui gloriam et ecclesiæ tuæ ædificationem. Amen.

Prid. Kal. Jan. Negotiosum admodum hunc diem sumus experti. Susceperamus Kalendis hujus mensis Persium recensendum, quo in negotio cum partem curarum nostrarum toto mense impenderimus, alia multa velut ex transverso inciderunt, quæ nos habuerunt occupatos. Hactenus igitur veteres schedas in eum Poetam nostras evolvimus, et composuimus; quod quidem hodie demum est peractum. Neque aliud fere jam restat, nisi ut retexantur quæ pridem sunt congesta, nunc etiam disposita, et foras quam primum ξὺν Θεῷ mittantur. At quota ea pars hodiernæ operæ? Nam et in Arabicis studiis ex occasione, cum venisset ad me Hadrianus meus, multi fuimus et literas scripsimus ad Brochtonum, quem sanæ mentis esse opto magis quam credo, aut spero. Taceo jam alia. Ita igitur dies actus, et simul annus exactus.

Itaque ad te, Deus immortalis, convertor. Teque in hoc articulo temporis cum jam τοῦ ἐνισταμένου ἐνιαυτοῦ finis appetit, compello. Ingratus impiusque sim, si taceam, et tam insignem diem silentio transmittam. Enimvero æterne, τρισάγιε, ὑπεράρρητε Deus, quo te sermone infantia mea affabitur? aut quibus verbis vel millesimam tuorum in me ac meos beneficiorum partem, quæ hoc anno sumus experti, exprimam? Quoquo mentem

animi meam ac cogitationem referam, obruit me benignitatis tuæ, qua mecum et cum meis anno isto es usus, recordatio. Matrem, piam matrem, non solum valentem et supra annos firmam præstitisti; verum illud quoque mihi atque illi tamdiu expetitum votum perfecisti, ut videre invicem et mutuo amplecti nos possemus. Quæ illa, bone Deus, gaudia fuerunt, cum ego atque uxor ad optimam feminarum pervenissemus, longum adeo iter emensi, et in mutuis amplexibus hæreremus? Quam erant illæ lacrymæ jocundæ quibus ora invicem rigabamus nostra? Tantum hoc gaudium poteramus anni hujus initio sperare, aut nobis certo promittere? cum et uxoris et mea valetudo afflictior esse videretur, quam ut vel cogitare de longo adeo itinere possemus. Et erant alia præterea, cum multa, tum gravia, quæ spes nostras hujus generis in angustum cogerent. Tua, tua, sancte Parens, benignitate *ἀφάτῳ* est factum, ut ingredi viam, et voti compotes fieri, et totum illud iter ex animi sententia, cum multiplici gaudio, noxa autem nulla, possemus perficere. Quod si nullum aliud beneficium in nos hoc anno tuum extitisset præter istud, verba tamen me deficerent, quibus tibi *ἀξίως τῆσδε τῆς χάριτος* gratias agerem. Quid nunc? cum dies nulla, hora nulla, momentum nullum illuxerit, non aliquo tuæ in me meosque *χρηστότητος καὶ μακροθυμίας* argumento *ἀξιομνημόνευτον*. Tu hæc nobis honesta otia facis, quæ animo concipere olim, nedum spe-

rare, nisi per furorem non potui. Quid enim nos sumus, cur huc arcesseremur? Tu animi tranquillitatem, nisi ipsi *ἀτασθαλίῃσι νόοιο* eam turbamus, nobis præstas. Tu das libere et sine periculo, inter veritatis osores tuæ, veritatem lingua pariter atque animo profiteri. Tu studia mea non leniter hoc anno fortunasti. Tu matrem, (ita spero, et opto) uxorem, meque, et liberos, ut annum hunc læti clauderemus, fecisti. Quid singula persequor? nam id quidem *οὐδ' ἐμοῦ ἐστι νόου, οὐδ' ἑτέρων στομάτων.* Parce, Deus magne, mihi. Τὸ *πλῆθος τῶν σῶν εὐεργετημάτων* ne mente quidem capere, nedum verbis possum exequi. Sentio tamen utcunque quanta mole beneficiorum tuorum ego meique premamur. Atque utinam serio sic de his dies noctesque cogitemus, ut ingratorum crimen effugiamus, et vitæ sanctimonia bonisque omne genus operibus tibi placeamus. O da hoc, benigissime *σῶτερ*: da posse exuere *ἐνεσκιρρωμένα ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν* vitia: da præteritarum omnium offensarum seriam et efficacem pœnitentiam: da vitam ita deinceps instituere, ita nos componere, ut facta, dicta, cogitata nostra omnium ad Legis tuæ obrussam semper exigantur. Esto illa mihi ac meis in corde, in animo, in oro, et ob oculos semper *καὶ ἀδιαλείπτως.* Crescat illius veneratio apud nos in dies magis magisque. Ac quoniam homines sumus, sine tua ope ab omnibus rebus nudi, illud te postremo supplex oro, *δέσποτα προσηνέ-*

στατε, ἄρτον ἡμῖν τὸν ἐπιούσιον καθ' ἡμέραν matri, mihi, uxori, liberis, sorori jam unicæ, et omnibus meis velis largiri. Exaudi, æterne atque immortalis Deus, per Jesum Christum Dominum nostrum Filium illum *μονογενῆ* tuum, qui una tecum, et cum Spiritu Sancto tuo *πρὸ αἰώνων εἰς αἰῶνας αἰώνων* regnat, vivit, triumphat. Amen. Amen. Amen.

FINIS FASCICULI TERTII.

FINIS TOMI PRIMI.

NOTÆ

IN

ISAACI CASAUBONI

ΕΦΗΜΕΡΙΔΑΣ.

2, 2. XVIII.] Veteri supputatione VIII. "Ex charta scripta manu b. m. avi Arnaldi Casauboni. L'an mil cinq cent cinquante neuf Jehanne, mensnie Rousseau, s'accoucha au dict Geneve d'un fils le 8e de Feburier et fust presenté au baptesme par Sr. Francois Mazieres, qui le nomma Isaac, et fust bapt. par Mr. Raymond." *Mericus Casaubonus in prima ἐφημερίδων pagina.*

2, 11. *docuimus*] Ad R. Thomsonem Ep. 115 scribit: "Professionis nostræ per hos dies τὰ ἐγκαίνια celebravimus. Quid multa? multorum opinio est, illatas in hanc provinciam Musas adventu nostro. Ego me pede meo metiri et olim didici, et nunquam obliviscar sanus."

Bezæ Ep. 116 gratulatus florere Genevensem Scholam recens auctam accessione Lignaridi, Deodati, et Laurentii Gaspari, hæc scribit: "Nos hic professionem nostram hac ipsa hebdomade auspicati sumus. Si cætera respondeant, est cur speremus non fore in his locis inutilem operam nostram. Suscepimus tractandum antiquitatis Romanæ locum de Magistratibus ejus Reipublicæ: opus profecto arduum et virium prorsus non istarum. Sed erat parendum Pindarico præcepto quod jubet πρόθυρον θέμεν τηλαυγές. Tantum ut valetudo nostra labores consuetos ferat: nam continua et contumax defluxio nescio quid minitatur. Verum hoc atque omnino πάντα τὰ μέλλοντα Θεῷ μελήσει. Non excidere mihi sermones, quos una habuimus de pellenda scholis obscœnitate: habendæ ejus argumenti orationi tempus erit cum dedicanda fuerit ea quæ nunc instituitur schola."

2, 27. *Dorotheus*] "Archimandrita Palæstinus sæculo VI. exeunte clarus."

3, 30. *G. Ranchinum*, Juris Professorem in Schola Monspeliensi, et inter eos quorum suasu Casaubonus Geneva migraverat.

4, 29. *Feb.* 24.] Ad Præsidem Philippum Canaium de Fraxinis, Casserone, ubi Casaubonum hospitio exceperat, Lutetiam profecturum Ep. 117 scribit: "Philologia nostra Dei beneficio excepta blande et benigne ab omnibus, doctissimi cujusque et æquissimi judicio stat, et, spero, stabit.——Possem referre duorum summorum virorum elogia Præsidis Philippi illius optimi et doctissimi senis, et D. de Massilan vere eruditi et nostras literas callentis: possem chori totius musici, cujus longe princeps Ranchinus noster, consensum et ἐπισημασίας commemorare.——Eo ventum ut sine existimationis tuæ imminutione frigere nostra studia non possint.——Equidem ad docendum nunquam accedo, quin ob oculos mihi obverseris, ut si possim tua quoque approbatione digna promam: eo quidem magis, quod Zoïlum mihi non deesse terræ filium nescio quem Philosophi nomen ementientem per hosce dies compertum. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. De schedis sic habe. Concio quam primum habuimus, ea nobis perscripta est, ut fere est habita: quam die altera habuimus, ea jacet in schedis, quæ ὕλην τοῦ τοιούτου λόγου continent. Erat animus polire utrumque sermonem, et si ita videretur tibi in vulgus edere. Sed me multa adhuc qua terrent, qua impediunt. Terret exspectatio tua et aliorum, quæ summa est: impediunt quotidianæ ἀκροάσεις tanta elaborandæ cura, ut multis non Philologus, sed Consultus Juris videar. Hoc postulat susceptum argumentum. Leges enim exponimus quas Cicero lib. III. de legibus conscripsit." De Corpore Juris Accursiano, de Cujacio, de itinere Canaii, "Cum Lutetiam veneris mei memor esto. Literas ad Præsides amplissimos Harlæum, et Thuanum, et ad Gillottum brevi mittam." De Psalmi μδ′ epigrapha. Ep. 118 commendat nescio quem sibi a Bernardino commendatum.

5, 27. *Kal. Mar.*] Ad Jacobum Bongarsium, qui Henrici Regis orator cum Canaio in Germaniam delegatus fuerat, Ep. 119 de pluribus ad illum scriptis, et missis fasciculis ali-

quot Canaii, et de aliquot Polybiis sibi ab Aubrio Wecheliano promissis. "Nunc in ἀκροάσεσι nostris toti sumus. Tractamus enim publice in eruditissimorum hominum et maximæ dignitatis cœtu Leges a Cicerone scriptas, lib. III. de legibus, quibus descriptio continetur omnium Populi Romani Magistratuum."

8, 26. *fratrem*] Petrum Chabanæum. Casaubono erat nullus frater germanus: sorores erant duæ, Sara major natu, uxor Petri Chabanæi Burdigalæ degens; Genevæ Anna, uxor olim Rigotii, jam vidua. Mater Burdigalæ degebat.

9, 4. *acceptis*] Canaii Ep. 14 respondentis, res εὐοδοῦσθαι gratulantis; consilio Philippi, Ranchini selectorumque utendum monentis, et ut ne ad Grammaticorum subsellia deduci se patiatur; discessum suum Lutetiam rejici. "Tuas igitur ad Semones illos Parisienses" (Harlæum, Thuanum et Gillottum) "interea parabis, et meum hoc consilium apud te premes donec literas ad Consules vestros mittam." Filiolam suam variolis ægrotare: ex Medicis post magnum Harserum plurimi se facere Vareudalium.

9, 8. *literis*] Ad Bongarsium Ep. 120. de accepto Polybiorum fasciculo; de missis ad Bongarsium et alios in Germania literis Canaii volentis vendere bonorum patriorum partem ut ære se alieno liberet:

Bezam Ep. 1012. literas se ejus accepisse:

C. Perrottum Ep. 121. Dionysium ejus filium studia medicinæ olim ingressum, quum Monspelium venerit, immutatum esse et ab eo consilio prorsus aversum:

R. Thomsonem Ep. 122. illum unum amicorum nullas dedisse:

Isaiam Colladonum Ep. 123. literas se quotidie daturum si per otium liceret: "Sed omnem ejus rei facultatem adimunt mihi studia et professio quanto honestior tanto onerosior: non enim cum pueris ac ne cum adolescentibus quidem hic nobis res est."

9, 13. *literis*] Ad Thuanum Ep. 124, de Pithœi obitu; de sua Professione: "Athenæum cum Mss. collatum et locis infinitis emendatum Geneva discedens reliqui pene ad umbilicum perductum. Annotationes nostræ supersunt perficiendæ edendæque.——Dein ad Polybium et alias curas animum

convertemus.——Adest in hac provincia assiduus hortator et ἐργοδιώκτης Præses a Fraxinis, vir laudatione nostra major: qui si quod φρεσὶν ᾗσι μενοινᾷ perficere aliquando potuerit, næ fecerit ille ut otium tandem nacti fiamus, absit dicto invidia, αὐτοὶ αὐτῶν κρείττονες. Est et in hac urbe literarum nostrarum amator cultorque insignis, ut cæteros taceam, Gulielmus Ranchinus, cui has literas tibi perferendas tradidi, vir, sine dolo dicam, veterum morum et altæ eruditionis, qui ad munus suum, quo in supremo hic senatu fungitur, Regis Advocatum agens, publicam juris interpretationem junxit, magnamque ex ea re sibi laudem peperit."

Ad Gillottum Ep. 125, de obitu Pithœi.

9, 15. *literis*] Ad Canaium Ep. 126: commendat Jobertum: Bongarsii sponsam diu speratam, quæ fuerat Odella Spifama filia Domini de Chalonges, cum tandem Argentinam advenisset, quatriduo post ipsa hora quæ celebrationi nuptiarum fuerat destinata peste correptam obiisse.

9, 18. *literæ*] Ad Canaium Ep. 127: orat ut caussam advocati nescio cujus suscipiat cognoscendam.

9, 19. *literæ*] Jacobo Lectio Ep. 128 conjugem Estheram Christianam Guilliaud asciscenti gratulatur.

Ναὶ μά· σοφὴν σοφὸς εἶλ', ὅτε Λέκτιος ἠγάγετ' Ἐσθὴρ
  Ἐς δόμον· οὐκ ἀθεεὶ τοῖος ἔγεντο γάμος.
Τῶς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει Θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον,
  Τῶς ἀεὶ εὐσεβέων κήδεται ὑψιμέδων.
Δηρὸν δὴ θάλλοιτε φίλοι ἅμα· χὠ Θεὸς ὑμῖν,
  Καὶ παισὶν παίδων ἄφθονα πάντα νέμοι.

Bongarsium Ep. 129 monet ut sponsæ obitu ne omnino dejiciatur.

9, 23. *jusjurandum*] Novi consules Monspelii inaugurabantur.

9, 30. *literæ*] Ad Colladonum Ep. 130, de officio suo; de Schola Genevensi florente; de literarum præstantia.

10, 1. *literæ*] Ad Bezam Ep. 131, de loco Matthæi xxviii. 17. ubi οἱ δὲ pro τινὲς δέ. commendat sorores, suam, quæ olim Joanni Rigoto nupserat, uxoris, Dionysiam, Stephani filiam:

Canaium Ep. 133, amici caussæ ut faveat rogat:

Pinaldum Ep. 134, ob servatum amorem gratum se esse:

"Res nostræ quo hic loco sint, ne pluribus nunc scribam, facit tabellarius istarum, qui omnia de nobis si operæ est sciscitari, certa referet. Verbo tantum dicam, postquam Geneva discedere Deus me voluit non videri posse fieri, ut magis ex animi sententia usquam collocarer. Floret hic, si usquam in Galliis Ecclesia Dei: zelus et pietas, etsi longe infra præscriptum *ὅρον*, sic tamen vigent ut nondum plane conclamatam esse religionem vel unius hujus Ecclesiæ argumento queat intelligi. Jam erga nos tanta omnium comitas, humanitas et benevolentia, quantum ne speraveramus quidem."

12, 4. *liberis*] Tres tum supererant; Philippa nata Jul. 23, 1589. Joannes Oct. 12, 1590. Elizabetha Feb. 20, 1595.

Hæc sunt in Museo Britannico 366, 67 (*Burney MSS.*) transcripta manu, ut dicitur, Jacobi Casauboni:

"S'ensuivent les nativités des enfans qu'il a pleu a nostre Dieu donner tant a moy qu'a ma femme Florence Estienne.

"Premierement l'an 1588, et le 28me de Juillet ma femme s'affoula d'un fils qui nacquit mort, et la mere estant en un tres grand dangier, feust delivrée par un singulier benefice de notre Dieu.

"L'an 1589, et le Mercredy 23 Juillet nasquit notre premiere fille par la grace de Dieu. Elle a esté presentée au baptesme par M^{r}. Jaquenot au nom de Monsieur de Fresne, duquel elle porte le nom *Philippe*.

"L'an 1590, et le 12me d'Octobre environ ung quart d'heure avant midy nacquit nostre fils par la grace de Dieu. Iceluy a este presenté au s^{t}. baptesme par M^{r}. Pinauld, duquel il porte le nom *Jehan*.

"L'an 1592, et le 15 Aoust sur le soir, ma femme commenca a se sentir mal d'enfant, duquel tres heureusement, Dieu en soit loüée, elle feust delivrée a une heure et $\frac{1}{4}$ apres minuict et faist une fille. Elle a esté presentée au s^{t}. baptesme par Monsr. Estienne, et a eu nom *Abigail*. La dicte fille aiant veceu pres de quatre ans, et donné beaucoup de tesmoignage en ce bas aage d'appartenir a l'election de Dieu, ayant esté pres de deux ans impotente des jambes, n'ayant pleu a Dieu benir les remedes qui avons appliqué a nous possible, en fin est allée a Dieu le Sabmedy 10 Juillet 1596.

environ neuf heures de nuict et quart, nous laissant une grande affliction.

"L'an 1593, Lundy 24me de Decb^{re} entre trois et quatre heures apres midy est née par la grace de nostre Dieu, nostre fille qui depuis presentée au baptesme par M. Lect, le Jeudy 3me Janvier 1594 a este nommée Esther Chrestiene, combien que Monsr. David suivant les coustumes de ceste Eglise, refusant luy donner double nom, l'ait seulement appellée *Esther*. La dicte fille a esté retirée par nostre Dieu, estant encore chez sa nourrice femme honneste, le Dimanche 14me de Septembre 1595 (propre jour de l'equinoxe) laissant a son pere et mere indicible regret pour la bonne esperance qu'en ce petit aage elle nous donnoit de joye et consolation en Dieu. *Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή.*

"Die xxii^{do} Feb. 1594. Ad perpetuam memoriam.

"Hodie Deus Opt. Max. nobis iterum dedit Johannem filiolum nostrum: quem hoc die vere nobis renatum dicere possumus ob immortale Dei beneficium, quo a morte liberatus est. Assidebat ad fores vestibulares gymnasii puellis aliquot et mulieribus. Urbs tota armis ob frequentiam nundinarum perstrepebat. Juvenis quidam (nomen illi Joanni Bonnefoy) per lasciviam tormentum militare grandius in cœtum illum intendit, et laxavit. Emissa glans quam *serio?* filioli galerum attigit nec perforavit solum, sed etiam foramen in longitudinem digitorum fere quatuor produxit: inde emergens virginem honestissimam Susannam Denieram letali vulnere affecit quæ et postridie obiit. Tibi, Domine, tibi grates immortales ob tantum istud super infinita alia beneficium. Te, Domine, supplices pater materque veneramur quem tam insigni ex periculo liberasti, eundem velis esse per tuam gratiam insignem tui cultorem, quique tuam Majestatem insigniter et revereatur et timeat. *Γένοιτο· γένοιτο.*

"L'an 1595. Ce Jeudy 20me de Febrier à 9 heures et demi, est née par la grace de nostre Dieu nostre quatriesme fille; laquelle depuis à esté presentée a s^{t}. baptesme par Monsieur le Comte de Hanno le puisné estant pour lors en ceste ville estudiant, et me demontrant beaucoup d'amitié. Il luy a donné le nom de Mad^{me} sa soeur Elizabeth; et feust bap-

tizée le dimanche second jour de Mars. Dieu luy donne sa crainte et a ses freres et soeurs. Le 27me d'Aoust au nouveau compte (1597), Dieu à retiré a soy ladicte Elizabeth par flux de ventre et desvoyement d'estomach ; nous laissant ung regret inenarrable de soy : tant a esté grande l'esperance qu'elle nous avoit donnée. O Seigneur Dieu, ta volonté soit reigle à nos volontés.

"L'an 1596. Le Mercredy 9me Mars ma femme s'est affoulée d'une fille, estant seulement entrée au 8me mois. La mere ayant par la grace de Dieu esté delivrée heureusement, ung peu avant dix heures, m'ayant faict appeller, comme je lisois en l'auditoire, qui ja avois passé la demie de neuf heures. L'enfant est né vif, et a esté receu en l'eglise de Dieu, portée au baptesme par mon frere Paul Estienne : qui luy a donné nom *Pauline*. C'a esté aux prieres d'ou souddain estant emportée, est tantost decedée avant le retour de la compagnie qui attendismes la fin des prieres, ung peu avant 4 heures. Telle a esté la volonté de Dieu, a qui soit honneur et gloire.

"L'an 1597, le Sabmedy 12me d'Avril, au nouveau compte ma femme s'est accouchée en ce lieu de Montpellier d'une fille sur les 5 heures apres midy ; et a esté sa delivrance tres soudaine par la bonté et benignité de nostre Dieu. Depuis ladicte fille a esté presentée au baptesme par Monsr. Sarrasin Maistre de la Chambre des Comptes, et Mad^{elle} Ranchin femme de Monsr. Ranchin Advocat du Roy en la Chambre des Aydes, et a esté nommée *Gentille* du nom de sa marraine. Le Seigneur par sa bonté infinie veuille la remplir et son frere et soeurs de son S^{t}. Esprit, et la doüer de ses sainctes graces et benedictions. Ainsy soit il.

"Le Vendredy 8me de May 1598 est née nostre *Jehanne* entre huict et neuf heures de matin par la grace de Dieu tres-heureusement et sans grandes douleurs de sa mere. Le nom du Seign^{r}. en soit benit. Ladicte a depuis esté baptizée et portée par ma mere, et mon beau frere Chabane, qui luy ont mis nom *Jehanne*. Dieu veuille luy donner sa grace ; et la faire instrument pour le servir et loüer estant venue en aage. Amen. A Montpellier.

"Ce Sabmedy 14 Aoust nouveau style 1599, nacquit a

Geneve *Meric* nostre fils, Dieu ayant faict la grace a sa mere de s'accoucher heureusement du milieu des maux qu'elle avoit pour son indisposition outre l'accouchement. Entre dix et onze elle feust delivrée de ce fils; qui estant presenté au baptesme le Jeudy 26me du dict au temple de la Paroisse qui est la Mayle au soir feust baptizé par Mr. Pinauld, et nommé *Meric* du nom de Monsieur de Vic, au nom duquel Monsr. de Brosse la tenu. Deus Opt. Max. et huic et cæteris benedicat in timore nominis sui. Amen.

"Le Jeudy 2d de Novembre 1600, est née par la grace de Dieu dans ceste ville de Paris la fille qu'il luy a pleu nous donner. Laquelle avec ses freres et soeurs, pere et mere ont consacrée de toute leur affection et devotion au service et a la gloire du Seigneur. Elle a esté baptizée a Hablon en l'eglise de Paris et a esté nommée par Monsr. Josias Mercerus et Madselle Camille [de Morel] sa tante *Anne*. Θεῷ χάρις.

"Le Jeudy 28me, Decembre 1601, peu devant 6 heures du matin est né icy a Paris le treizieme enfant que Dieu nous a donné, qui a ce coup nous a faict naistre ung fils comme il semble assez vif, et vigoureux. A luy en soit l'honneur, la gloire et la louange deüe tant a present, qu'a jamais. Nous le supplions pere et mere tres humblement, que comme il est a luy, il le veuille aussy se l'approprier, et rendre un jour serviteur non inutile. Il a esté baptizé a Hablon ce dimanche jour de cene 7 de Janvier 1602 presenté par Monsr. de Calignon Chevalier de Navarre et Madame de Chanlinan, desquels il a esté nommé *Paul.*

"Le Jeudy 8me de Janvier 1604. Ma femme s'accoucha d'un fils qui nacquist mort: et eust beaucoup de peine a estre delivrée, l'enfant n'estant a terme. Toutefois Dieu l'en delivra, qui aussy par sa bonté la gardée en la grande et dangereuse maladie qui a accompagne ceste couche.

"Le Lundy matin 16 Janvier 1606, ma femme s'accoucha heureusement, Dieu mercy, d'une fille forte et pleine, qui portée au baptesme par Monsr. Adée et Madamoiselle Esther Arnauld feust appellée *Esther*. Le baptesme a esté faict en la maison en celebre compagnie le Sabmedy prochain. La

lendemain dimanche sa nourrice l'emporta en son village pres Madri, par un temps fort beau et fort temperé pour la saison. Depuis Dieu nous l'a ostée bien soudainement, car la mesme nuict qu'elle arriva la, elle deceda vers une heure apres minuict, et de la feust rapportée icy: et non sans difficulté inhumée sur les 8 heures de nuict. Le Seigneur soit loué en tout ce qu'il faict. Amen.

"Le Jeudy 18me de Janvier 1607 entre onze et douze de nuict ma femme s'est accouchée apres longues douleurs d'un enfant masle qui n'a vescue que trois heures environ. Laudetur Deus in omnibus operibus suis. Amen."

17, 2. *recepta*] Suscipientibus Sarraceno et G. Ranchini uxore, Gentilis nominata.

17, 24. *scripsi*] Ad P. Canaium de Fraxinis Ep. 132 et 1013. De valetudine sua; de lecto Seneca; de aucta familia; "De codicillis a Rege impetrandis ut dignitati nostræ consulatur ne *γρὺ* quidem ad amicos Parisienses scripsi: cujus tamen negligentiæ non ita me pœnitet ac dolet, ut quod de privilegio impetrando nihil mandaverim Ranchino nostro, cum absque eo multa quæ habemus, quæque *σὺν Θεῷ* vel projicere mortalitatis memores statuimus, edi vix possint commode.—— Mihi sane *ἀθυμία* quædam et summa de nostra Gallia desperatio. Nam si post trimestre Concilium omnium Galliæ procerum, novi nihil præter luctuosam et deflendam Ambianorum jacturam obsecro te quid bonæ spei est super?—— Iter tuum putamus hoc rerum statu te esse dilaturum. ——Philologia nostra Dei beneficio stat, et videtur aliquam consequi dignitatem posse in his locis, nisi immineret nox atra, quæ suis tenebris omnia involvens *γῆν πυρὶ* sit mistura." Samarobriga nempe (*Amiens*) Ambianorum gentis caput, astu fuerat ab hoste Hispano intercepta. "Accedebat," ait Thuanus 118, 7, "Protestantium veluti secessio; qui porrecto ante annum in Faræ obsidione supplici libello ab eo tempore permissum a Rege conventum variis protelationibus continuabant, ex eaque occasione præcipui belli duces a regiis castris aberant. Nusquam tristior in regno facies, quasi illo ictu regia majestas et Gallicum nomen concidissent, attonitis ubique animis et in omnem eventum suspensis, sive urbs dolo

militari capta in potestate Hispanorum maneret, sive a Rege vi reciperetur: nam ex eo successu aut imperii dissolutionem, aut regii fastigii instaurationem secuturam."

Canaius respondens Ep. 16. "Etsi stamus omnes in eadem navi, scis tamen, mi Casaubone, nostrum parietem ardere, et in ἀπροσδοκήτῳ hoc incendio et rei meæ privatæ partem non exiguam, et sororis charissimæ et sanctissimæ fortunas omnes et consanguineorum ac affinium populum non exiguum conflagrasse.——Quid enim Regis Regnive statum doleam per lascivias et jocos tam secure tam libenter pereuntis? Ego scilicet homuncio Galliæ vicem defleam, in qua Gallum nullum testiculum video? Ego ex Reipublicæ curatione ad inopiam redactus publicam calamitatem lugeam, cum Ætolos istos ærarii nostri Charybdes *ἀχιλλείων ἀπομάττειν,* et luxu ac deliciis plusquam regiis fortunæ publicæ insultantes aspiciam?" Simul de Fabro Casauboni adventum gratulante; de dilato discessu; de codicillis a Rege obtinendis; de expectatis prolegomenis. "Si typi vobis desint, ut splendide in lucem exeat quicquid miseris, providebo."

17, 28. *Lucæ* XXII. 20.] "Hæc ejus doctrinæ summa videtur esse, Realiter nos, credendo corporis et sanguinis Christi fieri participes, atque cum ipso conjungi: hujus autem nostræ cum Christo conjunctionis et communionis signa seu symbola esse in Eucharistia: quæ nos non tantum signa, sed instrumenta ipsa, mediaque, per quæ Christo conjungimur, esse credimus. Hæc doctrina veteris Ecclesiæ, hæc Ecclesiæ Anglicanæ doctrina; hæc Casauboni fides fuit." *Mericus Casaubonus in vindicatione Patris*, p. 120.

18, 8. *literæ*] Ad Petrum Fabrum in Senatu Tolosano (*Toulouse*) Præsidem Ep. 135. Amicitiam ejus sollicitat.

19, 25. *literis*] Ep. 136 testatur officium suum atque observantiam erga Patres synodi Salviensis, congregatos Salviis in Gallia Narbonensi non procul a Massilia sitis, qui 363, 40 (*Burn. MSS.*) respondentes gratulantur illi adventum petuntque ut sanctas literas studiosos doceat.

19, 28. *migrationem*] Ad Canaium Ep. 137. "Quod sit felix et faustum hodie in ædes Verchantianas migravimus. Si verum est rerum principia habere omen, gymnasium hoc

mihi futurum video, in quo ad patientiam exercear.——Scripsit ad me clarissimus Ranchinus se, postquam in aulam venit, omnem movisse lapidem ut codicillos quales nosti mihi impetraret: amplius tamen efficere nihil potuisse, quam ut pretio aureorum quinquaginta eos liceat mihi redimere; hoc mihi ab aulæ Proceribus pro summo beneficio concedi. Ego vero, magnæ animæ, beneficii hujus gratiam vobis facio: habete, servate vobis codicillos quibus equidem eo solum nomine fateor me indignum, quod tam fatuus fui ut expeterem.——De privilegio impetrando scriptis nostris non est quod cogitemus; bis enim in eundem lapidem impingere sapientis non est.——Fieri fortasse poterit ut tua nobis opus sit commendatione apud nunc Consules."

20, 25. *Magistratibus*] Ep. 116. 2, 11. Ep. 117. 5, 2.

22, 29. *amicos*] Lectium, Ep. 138, Pinaldum, Ep. 139, Tremuleum, Ep. 140, Bezam, Ep. 141, silere querens.

23, 26. *literis*] Ad D. Gothofredum Ep. 142. De acceptis literis: "Tu si animum huc appellere volueris, non erit, spero, cur te pœniteat.——Habeo quod gaudeam in eam me venisse urbem, ubi et pietas viget si usquam in Galliis; et ubi quantum humanis rationibus provideri potest, habitatio securissima, ubi denique honestissimorum et literarum amantissimorum virorum magna copia est."

25, 28. VII. *Eid.*] Scripsit ad J. Scaligerum, Ep. 143. "Animo deficio——quoties cogito ea tempora imminere, exigua ut spes sit aut nulla exercendi inter nos literarum commercium. Itaque in solas terras venisse mihi videor.——Adjice eo quod nulla hic prorsus librorum edendorum facultas. Cogitabam de Lugduno aut Geneva: sed et locorum intervallum magnum, et pericula multa, ut taceam sic tractari eam artem in utroque loco ut abstinere satius sit, quam typographorum hoc genus opera uti.——Mars ubique pridem furens Musarum cultum et amorem ex animis fere omnium sustulit——veræ doctrinæ loco ἡ ἐριστικὴ καὶ σοφιστικὴ σὺν τῇ χρηματιστικῇ regnum hodie obtinet."

26, 5. *σύνοψιν*] Inceptam Mai. XIII. 22, 17.

26, 24. *literæ*] Ad Gothofredum Ep. 144: G. Ranchinum Ep. 145: amicitiam suam testatur.

27, 8. *literæ*] Ad J. Lectium Ep. 146, quem Monspelium vocabat: Bezam Ep. 147, de vocibus ἀντέχεσθαι et οἰκουρός.

30, 3. *doloris*] Ad Canaium Ep. 148. "Scito——Consules de nobis hactenus ita male meritos, ut certum consilium sit, nisi tu impedias, in veterem patriam pedem quam primum referre.——Domum erant daturi: eam impetrare nunquam potui, nisi veniret in partem pensionis. Ita hyems tota miserrime transacta in angustissimis cubiculis duobus, ut filiolum quem habeo unicum extrudere magnis impensis fuerim coactus. Tandem Verchantianæ ædes datæ; sed ea lege, ut decem ipse annuos aureos darem: atque ii statim exacti. Suppellectilis nomine promissis aureis centum et quinquaginta detracto triente, redacta summa est ad centum. Ligni spes facta: vix adhuc quasi convitio extorquere decimam partem quitus sum. In antecessum semestre stipendium erant repræsentaturi: hoc nec factum in priore semestri quod per minutas partes acceptum, et in isto nuper inchoato plane ostensum mihi, quid in posterum sperandum haberem: nummus enim exprimi adhuc ab illis non potuit."

Iterum Ep. 149. "Noli putare——resipuisse ad quos ista cura pertinet: constant sibi et nos nostrasque æquissimas δεήσεις animo obstinato insuper habent.——Quid ergo consilii capiam?——Utinam tantum bibliotheca nostra hac occasione non male pereat: in multis variisque curis meis nihil habeo quod me angat vehementius. Scis enim absque nostris libris vitam nobis nullam vitalem.——Lutetiæ quod nostra caussa agas, jam unum superest, si tu nobis deserendæ Galliæ auctor, vel certe suasor. Literas enim quibus civitatis Gallicæ jure donor quorsum expetam hoc statu rerum mearum? Minus codicillis dignitatis nobis futurum opus, si opera nostra nullum opus Magalonensibus nostris. Solum privilegium est de quo te exoratum velim, ut illud quam optima lege et conditione fieri poterit mihi impetres."

Post quinque dies Ep. 150. "Tandem——inita ratio est, qua nobis debitum stipendium præstaretur.——Cœptum numerari hac ipsa die."

31, 3. *amicis*] Eleazar Perealdo, sive Oleagro Berealdo Ep. 16 expectante literas quibus respondet Ep. 1014. "Prius-

quam huc advenirem Pastores hujus urbis ad Bercherium Scholæ Sedanensis Gymnasiarcham literas dederant.—— Licet spes illa decollavit——quid tamen pollicear tibi de hac Schola nescio. Nam ad curam nostram nihil omnino ea res pertinet. Nobis vita in libris nostris. In iis sumus toti. Summa muneris nostri est quater in hebdomade suggestum conscendere. Id quoque ægre facimus, licet addat in dies animos doctorum omnium amor nostri et nostrarum literarum."

31, 7. *variæ*] Ad Pacium Ep. 151. "Adventum tuum in hanc provinciam, Paci clarissime, omnes literarum amantes cupidissime expectant. Equidem, etsi tui videndi desiderio nemini concessero, doleo tamen Genevæ, suavissimæ mihi patriæ, vicem, quæ talem necessario suo tempore jacturam faciat. Quid autem Schola illa fiet te abeunte?——Postquam *κέκρικας* et jacta alea est,——adducas tecum, si fieri potest, typographum aliquem, typis præsertim Græcis instructum. Nullus enim in his locis qui aut tibi aut mihi operam navare possit, penuria Græci characteris. Huic incommodo si medicinam, admonitus a me, feceris, cur te unquam mutationis hujus possit pœnitere nullus video:"

Scaligerum Ep. 152, J. Bongarsium Ep. 153 typographum desiderari.

33, 8. *Serranus*] Quum Consules stipendium non solverent, Serranus suos ipse Casaubono loculos aperuit.

33, 13. *scribenda*] Ad Ranchinum Ep. 1015, pro elegantissimo munere gratias se agere; mirari ingenium ejus; Athenæo totum dari.

35, 3. *πῦρ καὶ ὕδωρ γίνομαι ὅλος*] Sic plane scriptum.

35, 12. *Marnixius*] Philippus Aldegrondius nobilis Belga, qui fœderis contra Inquisitionem initi verba Proceribus dictavit; Antverpiæ Præfectus 1584, obiit 1598. Scripsit vernacula lingua librum elegantem *Brenekorb* contra Pontificios. (*Hoffman*). "J'ay veu Philippe de Marnix de Sainte Aldegonde au siege de Paris, et ay logé trois mois en mesme logis que luy,——Marnix etoit poli, mais ce n'estoit pas grand chose. Il estoit Chancelier de Gueldres. Il a mis Religion en rabelaiserie; ce qui est tres mal fait." *Thuana*, p. 197.

37, 14. *tres*] Philippa, Johannes, Gentilis.

39, 13. *literis*] Ad C. Rittershusium Ep. 154, vix dimidium epistolarum quas in Germaniam aut Helvetiam scripsit, tuto fuisse perlatas; de suo Athenæo, Rittershusii Oppiano.

41, 19. *od*] Corrige "ob."

42, 1. *domesticam*] 57, 9.

44, 23. *literas*] Ad J. Bongarsium Ep. 153: "Typographum hic habemus, cujus opera utamur, nullum: qui adest Græcis literis caret."

48, 23. *Verchantianis*] Inhabitare ceperat Maii 6. 19, 28.

52, 15. *scriptæ*] Ad Scaligerum Ep. 156 de Typographo, et opere ipsius de Emendatione Temporum.

52, 17. *Sarraceni*] Medici optimi. 122, 17.

55, 29. *etstuduimus*] "et studuimus."

57, 8. *notam*] 42, 1.

57, 29. *literis*] Ad Scaligerum Ep. 157 de acceptis a Thomsone Athenæi mechanicis. "Quia typographo hic caremus, lente in iis poliendis pergimus quæ olim edituri sumus."

58, 17. *literis*] Ad Gillottum Ep. 160. "Amari a Thuanis, Gillottis, Pithœis quantum est?" De recensito Athenæo, lucem, ut sperat, aliquando visuro. "Sed id prius video mihi esse faciendum ut a Rege impetrem privilegium, qua in re si tua gratia opus fuerit——quæso te——ut amicum hunc meum (*Ranchinum*) qui has tibi reddidit, adjuves."

Bongarsium Ep. 159 de acceptis unis literis, amisso fasciculo, et impetrando a Rege privilegio.

60, 25. *Rhutenorum*] Populi in Gallia Aquitanica, cui Regio dicitur *Roverque*, urbs *Rodes*.

61, 14. *Petrus*] Sororis ejus Saræ atque Petri Chabanei filius.

63, 13. *Serrano*] Vid. 33, 7. 90, 30.

65, 11. *Latara* (*Latte*) vicum Occitaniæ juxta stagnum Magalonense.

67, 25. *Henrici Stephani*] Ad R. Thomsonem scripserat Genevæ 1594. Ep. 12. "Nosti hominem, nosti mores; nosti quid apud eum possim, hoc est, quam nihil possim, qui videtur in suam perniciem conjurasse. Nam quod tu putas eum hic esse, falleris. Postquam semel abiit ante menses octo aut novem, ex illo semper non quidem per Elysios campos,

sed per Germaniam ἀλᾶται, πλανᾶται καὶ ἀλύει. Ita enim plane audio ἀλύειν eum, ut neque domum redire, neque alibi aptas sedes reperire queat."

Ad C. Rittershusium 1594. Ep. 15. "Quem amiseras, vereque perdideras ingenii tui fœtum ecce eum tibi mea opera et fide redivivum. Postea enim quam de tua re et injuria quæ tibi facta erat, literis tuis sum certior factus, constitui illico omnem mihi machinam esse adhibendam, omnem lapidem movendum, ut tibi per me satisfieret. Quin hoc vere possum affirmare, antequam ulla inter nos intercederet notitia sæpius me tuam vicem cum [H. Stephano] expostulasse: quod non eo dico ut mihi gratiæ apponatur; neque enim captare illo facto tuam gratiam potui, cum tu mihi adhuc notus non esses; sed enim quia jus et fas ab amico violari intelligebam, quod in me fuit obstiti. Falleris vero toto cælo, totaque terra, si me putas apud senem illum optimum quicquam posse, aut ad ipsius bibliothecam ullum habere aditum: æque ac tu, mi Rittershusi, qui tanto intervallo abes: nam etsi amicissime et conjunctissime vivimus, tamen ea hominis morositas est, ne dicam aliud, ut plane sit mirabilis in multis ejus vita. Quod igitur eo absente ausi sumus claustra revellere et omnia διφᾶν, ut tuum librum tibi mitteremus repertum, mihi crede, Ilium expugnavimus. An tu nescis qua difficultate, quo annorum spatio, Xenophontem suum Leunclavius ab illo receperit? Deterior tua erat futura conditio, ni παρὰ προσδοκίαν meam audaciam Deus adjuvisset. Tu nunc mimum tuum agas, vide: hoc est caveas ne tua opera de hac re resciscat [Stephanus] noster, cujus ingenium sic est, ut si non refrices memoriam de ea re verbum nullum sit facturus: sin facturus, sin ulla via quod conscia ejus uxore et filio gestum a me est resciscat, dici nequit quantum turbarum sit excitaturus."

Ad Petrum Pithœum 1595. Ep. 40. "Noster, etsi vivens valensque pridem numero hominum, certe doctorum eximi meruit: ea est illius inhumanitas, et quod invitus dico, delirium, qui libros quos habet veteres, ut Indici gryphi aurum aliis invidet, sibi perire sinit, sed quid ille habeat aut non, juxta scio ego cum ignarissimo."

70, 28. *Commelini*] "Hier. Commelinus, alias Santandreanus

dictus, natione Gallus, translato e patria Genevam primum, deinde Heidelbergam domicilio, rem literariam multum juvit, editis tum veterum Græcorum plurimis nunquam antea editis monumentis, tum Athanasio inprimis et beati Jo. Chrysostomi magna operum parte, in quibus et propria industria multum contulit, et immatura morte hoc anno (1598) exeunte nobis ereptus, filiis eandem curam quasi hæreditario jure demandavit." *Thuan.* 119.

73, 16. *literis*] Ad P. Canaium Ep. 162: iniquum et angustum queritur esse locum, qui pro Museo est. "De ædibus, spero, brevi prospicietur." P. S. de verbo πρασιάζεσθαι.

75, 10. *Rhutenorum Præside*] 60, 25.

76, 19. *literas*] Canaii 364, 50 (*Burn. MSS.*) de privilegio typographico: Merceri 365, 130 (*Burn. MSS.*): Gillotti Ep. 12. "——Vous avez tant de mérites pour être estimé, aimé et admiré que ceux qui ne le font point se peuvent mettre hors du rang des hommes.——Nous attendons de vous tout le secours contre la barbarie et l'imposture. Nous aurons le Commentaire sur Athénée fort cher, comme tout ce qui viendra de vous. Si vous avez par delà la commodité de l'impression, ce sera un grand avantage que vous mêmes ayez l'œil sur ce qu'il vous plaira qui sorte en lumiere. Je me suis offert de vous envoyer le privilege tel que vous le pouvez désirer. Mais j'ay esté adverti qu'un de vos amis l'a obtenu, et le vous envoyé.——J'ay vu par une lettre que vous escrivez à un de vos amis (*De Fresne* 30, 4. *Ep.* 149.) que vous desirez une lettre de naturalité, ou une declaration pour assurer l'état de votre famille, et eviter le soupçon d'aubene que vous ne devez aucunement craindre. Nous avons jugé ici en notre Cour de Parlement pour enfans nez, où vous l'estes, desquels les peres et meres d'Orleans s'y etoient retirez, que l'on ne peut leur objicer la nativite, et sont revenus en France partager les biens de leurs parents, comme nez en France, retirez seulement pour la rigeur des edits."

77, 11. *literæ*] Ad Gillottum Ep. 164: gratum se profitetur; "Quod si ostensa mihi spes a Domino de Vicq isthuc peregrinandi, cum ille ad vos redierit, non decollabit, fruar conspectu tuo, vir clarissime, et cæterorum magnorum virorum

qui splendoris vestri lumine Galliam nostram illustratis." De obitu Passeratii, Stephani, Commelini:

Hœschelium Ep. 163. de accepto ejus Lampria (*Plutarchi filio, autore Catalogi operum Plutarchi*); de suo Athenæo. "Ain' tu autem esse te in eo ut Photii Bibliothecam edas?—— Audivi sæpe ab H. Stephano, qui nunc μακαρίτης quiescit a laboribus, habere se Photium MS. integrum. Si Genevæ essem, eum tibi mittendum curarem: et faciam fortasse; nam illuc mihi necessario eundum erit, propter uxoris dotem."

79, 17. *Atilli*] "at illi."

80, 8. *Pacii*] Ad quem Geneva migrare meditantem scripsit 31, 7.

84, 20. xv. *Kal. Mai.*] Ad Scaligerum scripsit Ep. 166. "Dies hic alter est, cum Dei virtute Animadversionibus in Athenæum τὸν κολοφῶνα ἐπεθήκαμεν. Si me amas et ingenii nostri fœtus putas esse tanti, est quod nobis gratuleris.——Magnum æquor sumus emensi; magnis tempestatibus jactati sumus: naufragium sæpe fecimus: tandem portum tenemus. Nunc illud superest ut freti benignitate tua et amore erga nos de locis quibusdam te consulamus, quorum morbus fuit κρείσσων τῆς ἐμῆς ἰατρικῆς."

86, 13. *Prid. K.*] Scripsit ad Jan. Ant. Sarracenum Ep. 167 de suo Genevam itinere a parente ejus (Joanne) invitatus.

88, 14. vi. *Eid. Mai.*] Ad Jac. Gillottum Ep. 168. "Multum sudavimus, multum æstuavimus, multum ausi sumus: nihil denique reliquimus intentatum quo exiret hoc a manibus nostris opus vestra summorum istic virorum expectatione dignum.——Nunc omnis spes mea in Domino de Vicq, qui admolitur ut benignitate sua fœtum hunc χαμαιριφῆ tollat et publico donet."

89, 16. *Petrum*] 61, 14.

89, 22. xiii. *K.*] Scripsit ad Jac. Gillottum Ep. 169. Pro officiis ejus gratiæ: "Gestit animus isthuc peregrinari et semel, priusquam morior, summos qui istic estis viros affari. ——Qui tot annos in colendis Musis desudem, nihil adhuc ex meis laboribus sum consecutus, nisi ut acceptas a patre mediocres fortunas valde labefactarem et imminuerem. Bonus paterfamilias non fui, neque ante hunc diem sollicitus unquam fui alia de re, quam ut spartam ἣν ἔλαχον θεόθεν (sic confido)

pro virili ornarem. Annos ipsos quatuordecim, magnam humanæ vitæ partem, nulla fere mercede literas in ea urbe sum professus quæ nunc absentem magis desiderat, quam præsentem fovit. Quanquam ego de illa non queror: non enim amplius poterat, quam præstabat. Nihilo tamen minus bibliothecam non pro tenuitate nostra nobis comparavimus, cum aliter satisfacere discendi desiderio quo mire flagravimus a puero, non possemus. Ita crescente bibliotheca et familia, etiam minuit res familiaris. Possem hoc non curare, qui ἀφιλοχρηματίας palmam nemini facile concesserim. Sed me amor in liberos, et illa ἄφατος φυσικὴ στοργὴ non sinit esse securum. Verum quid ago? aut quid hæc ad te? Ex his tamen intelligis, Vir optime, ut tanto a tot annis peregrinandi istuc desiderio percitus, domi adhuc hæream. Cogit me tamen typographi inopia, ut brevi pedem domo efferam, et ad clarissimum optimumque virum Dominum de Vicq me conferam, qui opem suam, tuo, opinor, impulsu, et magni Præsidis a Fraxinis, offert ad edendas nostras in Athenæum animadversiones."

92, 11. *P.*] Perolli 89, 4. Hæc ad Bezam Ep. 174: "Mitto tibi——quas mihi Monspelio discedenti vir optimus et Ecclesiæ Dei fidelis ὑπηρέτης Bernardinus dedit. Si dabit mihi is in cujus manu sunt omnia ut priusquam pedem refero coram te possim alloqui, exponam tibi Ecclesiæ Monspelliensis statum omnem, quod ut facerem rogatus sum a Seniorum lectissimo cœtu. ——Dissimulare jam nullo modo possum, eam esse præstantissimæ illius Ecclesiæ conditionem ut rem Deo gratissimam facturi videamini, si aliquam ipsius rationem habueritis. Duos in præsentia Pastores frequentissima et nulli alii e Gallicanis cedens Monspelliensis Ecclesia habet: alterum admodum senem, et non suo sed ætatis vitio languentem: alterum vixdum ἡβάσκοντα, et qui per ætatem Episcopi locum tueri in tam illustri loco non facile possit.——Mitto nunc alia commemorare quæ Seniores nostros impulerunt, ut vos respicerent, meque isthuc proficiscentem orarent, suam Ecclesiam vobis etiam atque etiam commendarem.——Spes illa quam in Perollo viro optimo doctissimo, et quod homo de homine possit pronuntiare εὐσεβεστάτῳ posuerant, eos destituit. Aliter enim visum divinæ providentiæ: cujus etsi caussas non semper

capimus, semper tamen ἀποτελέσματα mirari, et in iis acquiescere debemus. Quare obsecro te, Vir maxime, per Deum immortalem, et studium quo flagras promovendæ ejus gloriæ, siquid hic potes, enitere et demum perfice ut beneficio tuo auctior apud nos sit numerus τῶν τὰ θεῖα λειτουργούντων.—— Omnino opus nobis est eo viro, cujus perspecta et probata sit pietas, eruditio, et illa, quam omnes boni admirantur in tractatione τῶν τοῦ Θεοῦ λογίων, vestra simplicitas."

93, 14. *Frigenille*] 511, 12.

94, 8. VI. *Eid. Jun.*] Datæ sunt literæ Jos. Scaligero Ep. 170: "Athenæi mechanica mitto ecce tibi præstantissime Scaliger.——Qui experiar quotidie itinerum pericula quæ et quanta sint, constitueram non ante e manibus meis illa mittere, quam tu mihi viam indicasses, quæ satis tuta videretur. Cum igitur Nicolaus Gillottus——nuperis suis literis de tua voluntate certiorem me fecisset, morem illi statim, pro eo ac debui, gessi, et libellum Athenæi ad D. de Vicq, qui Lugduni degit, misi, rogavique ut ad Gillottum sine mora curaret perferendum.——Commodum enim accedit ut D. de Montigni finita synodo Lutetiam ad suos rediret. Ei fasciculum commisi Lugduni tradendum D. de Vicq."

95, 19. XV. *Kal. Jul.*] Ad S. Bastidanum scripsit Ep. 171, laudans Epigramma ejus in Athenaicas Casauboni vigilias.

95, 29. *Wouveren*, qui exeunte Novembri Monspelium advenerat literas secum Geneva afferens a Scaligero et Bongarsio. Petronium olim (1596) a se editum dono miserat Casaubono, qui Ep. 80. ἀντίδωρον misit Suetonium minore forma cusum. Vide 528, 8. Ep. 324.

98, 2. *iter*] Hæc ad J. Gillottum Ep. 172. 6 *I. Jul.* "Tandem Lugdunum me attraxit, vir magne, D. Vicquius, in cujus ædibus eram, cum hæc ad te scriberem. Merebatur sane tanti viri eximia virtus, ut rebus relictis ipsum viserem; atque hæc vel præcipua mihi fuit caussa, cur hoc iter susciperem. Nam hæreditas soceri viri de literis quam optime olim meriti non erat fortasse tanti, cujus gratia uxorem relinquerem dum uxoria bona prosequor. Sed de una fidelia plures dealbare frugi hominis esse videtur.——Quando igitur sic fata mea ferunt, ut Typographo carendum mihi sit inter meos

affectus versanti, constitui, ἔαυγε ὁ Θεὸς ἐθέλῃ, Animadversiones in Athenæum prius edere, quam domum redeo; si modo tamen futura mihi ejus rei in hac urbe sit facultas. Neque enim te fugit, quam non magnum usum Græcorum characterum operæ Lugdunenses habeant. Sed illis facit animum nunquam sine honoris præfatione nominandus D. Vicquius. ——Ille me, postquam adveni, mira comitate et humanitate excepit."

Id. Jul. Gillottus ad Casaubonum de animadversionibus ejus in Athenæum et de amico suo Rapino 364, 88 (*Burn. MSS.*)

Pr. Kal. Aug. Ad J. Gillottum Ep. 173. "——Polire impensa cura quæcunque scribam præsertim autem epistolas, et de singulis vocibus ire in consilium diligentioris est hominis, atque ut ingenue dicam πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν φιλοτιμοτέρου quam ego sum, quem natura fecit et institutio etiam ab omni ambitione quam alienissimum.——Condones genio ingenioque meo si tecum per literas non ἐσκεμμένος καὶ ἐσπουδασμένος loquar. Quod gratularis de Animadversionibus in Athenæum ad umbilicum perductis, ago tibi grates gratissimas.——De publicatione καὶ τυπώσει nihil adhuc certi constitutum habemus.——Scito tamen id agere D. Vicquium——ut sublatis omnibus longioris moræ caussis, brevi lucubrationes hæ nostræ publica luce donentur. Quid sit futurum absoluta Characterum nova editione ante dies sex septem inchoata videbimus. ——Ain' tu autem, sapientissimos viros, illa duo Galliæ lumina, Harlæum et Thuanum teque cum his, clarissime Gillotte, spem aliquam de mea istuc peregrinatione concepisse? καί ῥα τὸ βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον εἴη, nisi nos tenuitatis nostræ conscientia vetaret id sperare. Sed mihi crede ἀφελῶς καὶ ἐν ἁπλότητι καρδίας serio affirmanti, neque ii nos sumus, qui eum honorem et locum mereamur, neque ea porro nobis frontis durities, ut onus in nos suscipere velimus, quod ferre humeri recusant.——Enimvero adsuetum et innutritum obscuriorum locorum tenebris tantam repente lucem posse ferre naturæ, ut scis, rerum repugnat.——Rapini tui, viri doctissimi et elegantissimi ingenii oden magna cum voluptate legi. Feceris mihi rem gratissimam si ejus amicitiam mihi conciliaveris. Ego amo illum pridem, et σιγῇ ἀπ' ἐμοῦ colo ex sermonibus

maxime Joannis Pinaldi, quem memini de Rapini popularis sui probitate, integritate et ad omnia magna εὐφυίᾳ multa solitum mihi narrare."

Kal. Aug. Ad Thuanum Ep. 1017.——"Erat animus, si in hac urbe (*Lugduno*) nostræ lucubrationes minus commode propter Græci characteris inopiam possent edi, hanc velut ansam isthuc veniendi arripere et hujus mei voti facere me compotem.——Integrum tamen hunc mensem et quod excurret, puto me hic acturum. Nam etsi Animadversiones in Athenæum posse nunc edi spes non est propter varias caussas quas exponere nunc longum sit; nihilominus Characterum nova editio ante paucos dies instituta totum id quod dixi tempus nos hic occupatos habebit. Deest enim Typographo τῶν τυπουμένων ἐπανορθώτης cujus sit spectata in hoc genere literarum peritia et industria."

v. *Non. Sept.* Hæc ad Scaligerum Ep. 175. "Literas tuas——alteras uxor misit,——alteras——Goulartius noster. Puto etiam magnificum illud tuum munus quo me beasti fuisse meis redditum: quanquam eorum insigni incuria factum, ut id plane adhuc non sciam. Interea dum exspectabam exemplar a te missum aliud mihi impatiens moræ etiam Monspelii paraveram.——Sed omnem spem meam et cogitationes omnes meas longe superavit tui illius admirandi operis lectio. O altam rerum abstrusarum cognitionem! Ὦ βάθος τῆς γνησίου παιδείας! O ingenium plane in exemplum et admirationem natum! Σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα, eo quidem magis quod contigit mihi dum Lugduni otiosus agerem tuum opus cum Baronii Annalibus, nondum mihi tum visis, posse contendere. Ita demum didici verisque argumentis ἐπληροφορήθην inter φιλαλήθειαν et gratiæ aucupium interesse tantum ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.——Lutetiæ hæc scribimus, cum significasset nobis amplissimus Thuanus, simul urbem sumus ingressi, esse qui isthuc proficisceretur——Vicquius cum Lugduno iter facerem Genevam herciscundæ familiæ ergo, et rumor quidam esset (non vanus is quidem) de pestilentia per eas oras grassante, apud se subsistere voluit. Substiti igitur——præsertim cum vehementissime cuperem lucubratiunculas meas diversi generis publicare, quod Monspelii ne facerem Typographi

penuria vetabat. Institui igitur Lugduni alteram Characterum Editionem auctam aliquot capitibus ex MS. et nostra cura paullo factam meliorem. Sed accidit perincommode ut inceptum opus cogerer deserere. Regis enim literis subito revocatus Vicquius omnino itineris hujus comitem me sibi esse voluit. Ita Lutetiam, quod felix sit, hodie primum vidi; et statim magni Thuani museum ingressus quam multa ignorarem, quam parum aut nihil scirem, agnovi.——Aderat Vicquius cum ista scriberem.——Quantum vir ille præstantissimus te amet, et quanti te faciat, potes ex eo cognoscere quod ita vehementer mihi cupiat. Nullam enim caussam habet hujus tanti amoris, nisi quod nostras te esse aliquid putare nugas non ignorat. De Zonaræ Lexico——videbo ——quid possit fieri, et si ulla *μηχανῇ* possum statim id curabo ad te mittendum. Volo tamen scias nondum mihi visam *τοῦ μακαρίτου* Stephani bibliothecam: non dico ab ejus obitu, sed omnino invisam esse eam nobis: tanta fuit in optimo sene *ἀναρμοστία τῶν τρόπων*."

IX. *Kal. Oct.* P. Canaius qui tum Monspelii magistratus sui officia obibat cras Casseronem rediturus ad Casaubonum Ep. 27. "Quid——terrarum orbis cum Lutetia una conferendum continet? ubi tanta literarum subsidia?——Sed cave verbis aut rebus incertis credas, ubi de re nummaria et perpetuo subsidio agitur. Si forte stationem hanc retinendam putas, vide ne longiori absentia hominum nostrorum studia in te minuas, aut in hyemem reditum rejicias."

Non. Oct. Hæc ad Scaligerum, Ep. 176. "Athenæi *μηχανικὰ* tandem fuisse tibi reddita ex novissimis quas mihi clarissimus Gillottus reddidit non mediocri cum meo gaudio intellexi. Eram enim de eo fasciculo nonnihil sollicitus. Assentior autem tibi, vir præstantissime, non respondere figuras in eo libro descriptas Autoris verbis. Suboluerat hoc et nobis cum leviter illas inspiceremus et cum descriptionibus Athenæi contenderemus. Constitui die crastino Servinum adire, et illius exemplaria diligenter tractare.——Est enim, quod tu, credo, non nescis, humanissimus vir, harumque literarum juxta amans et peritus. De Zonaræ lexico, si modo quod optas *ἐκ τῶν ἀδυνάτων* non fuerit, jubeo te securum esse.

Simul Genevam venero agam serio cum affine Paulo Stephano ut liber statim ad te mittatur.

" Omnino eundum mihi illuc esse video, vel herciscundæ familiæ caussa, vel ut Animadversiones in Athenæum liberali tandem manu asserantur, et publici juris aliquando fiant. Infelicem hercle partum, qui suum parentem diuturnis adeo ærumnis cruciaverit, et lucem tamen videre non queat. Sed quid eo nobis sit faciendum viderimus, postquam de loco futuræ deinceps habitationis aliquid certe constituerimus. Certissimum est Regis voluntatem esse, ut relictis Arecomicis Volcis, Lutetiam migrem: an et *τῶν περὶ αὐτὸν* ea sit voluntas, anceps adhuc animi pendebam cum hæc scriberem: imo vero amici mei qui id optant vehementissime ii sunt qui exitum negotii hujus solliciti expectant. Nam ipse, qui ut hoc contingeret neque speravi, neque optavi unquam, *ἐπ' ἀμφότερον καθεύδων*, iter ad meos post diem tertium faciente Deo instituturus; hoc mihi certum et *ἔμπεδον*.

" Neque enim Deus sivit, ut ingenium meum aulicis artibus velim accommodare: *ἀφρήτωρ* ille mihi, *ἀθέμιστος, ἀνέστιος*, qui natus ad majora, eo tamen se dejicit. Egone ut regiorum *γαζοφυλάκων* aditus colam, et limina teram? *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών*. Nosti tamen quomodo hic vivatur, et quibus difficultatibus ad reginam pecuniam perveniatur.——P. S. Heri deduxit me clarissimus Nicolaus Faber in eum pagum ubi educatur Princeps Condæus, magnæ spes altera Romæ. Post prima salutationis verba quæsivit a me Princeps numquid scirem quid valeret Scaliger? quid nunc ageret? an reditum in Galliam cogitaret? Tantum virum non debere abesse Gallia.——Ego illi spospondi facturum me ut scires in ipsius animo esse illustre tuum nomen inscriptum.

" Libri, quos scribis inaudisse te haberi eos a clarissimo Servino, inspecti mihi sunt hoc ipso die: duo sunt satis grandia volumina, autores varios rei militaris continentia; hi sunt Æliani *τακτικὰ*, Onosander, Julius Africanus, Athenæus, Ctesibius, Bithon, Urbicius, et aliquot alii. Libris mechanicis adjectæ figuræ, eæque pictæ variis coloribus. Qui libros illos diutius tractarunt negligentissime scriptos affirmabant; quod et mihi raptim aliquid legenti visum est. Cæte-

rum non Servini sunt ii Codices, sed Regis: pertinent enim ad Mediceam Catharinæ nostræ olim Reginæ bibliothecam."

VI. *Eid. Oct.* In ipso abitu Lutetia ac reditu ad suos Ep. 182, Scaligero nobilissimum adolescentem cum Præceptore ejus Paludio commendat.

XI. *Kal. Nov.* Lugduni navem conscensurus scripsit ad Thuanum Ep. 1018. "Nunc illud te scire volo, Lugdunum pervenisse me, Dei beneficio, nono die post discessum ab urbe. Diem unum hic vel invitus subsistere coactus sum: suadebat valetudo parum firma: amici orabant ἐκτενῶς: equi ex itinere defessi haberi aliquam sui rationem postulabant. Ita frænum injectum est cupiditati meæ domum redeundi μανικὸν ὅσον μεγάλῃ: sed redierimus sat cito, modo omnes meos valentes offendam. De instituto negotio quid actum sit post abitum meum spero me brevi ex tuis literis intellecturum et maximi viri Domini Calignonis."

99, 3. *capillo*] Corrige "lapillo."

101, 14. *S.*] Jano Antonio Sarraceno medico; ad quem hæc Ep. 1061. "Accipe a me et uxore mea, Vir clarissime et amicorum optime, munus tenue et quod aiunt, levidense; sed quod volumus esse pignus aliquod animi grati adversum te et acceptorum a te beneficiorum memoris: tibi enim secundum Deum mea, uxoris et liberorum charissimorum salus a nobis accepta fertur. Sic igitur leviculum hoc δῶρον accipies, ut sis persuasus æternum tibi omnes nos fore devinctos. Vellem minus negotii tibi nostra facesseret domus; sed ut me affectum video brevi tua mihi ope opus erit, non ob præsentem Dei beneficio, valetudinem, sed ob imminentis metum cujus nomen (*pestem*) dicere non audeo. Malo autem τῇ προφυλακτικῇ medicina uti quam τῇ θεραπευτικῇ, neque unquam parcam tua opera uti. Ea enim est amoris tui in me et meos fiducia." Vide 122, 17.

101, 21. *literis*] Ad J. Gillottum Ep. 183, quem rogat ut apud Harlæum Præsidum Principem in gratiam ipsum ponat: Ad Thuanum Ep. 1060. "Felicitatem itineris mei Lugdunum usque ex iis jam intellexisti, Præses amplissime, quas Lugduno discedens exaravi ut ad te mitterentur. Pari felicitate et reliquum iter virtute Dei Opt. Max. confectum nisi

quod viæ longitudo et propter spurcissimas tempestates difficultas equorum nostrorum vires tandem exhausit, et quamvis generosos propemodum *ἀπειπεῖν* ad Nemausum coegit. Nam quæ mihi Lugduni ostensa fuerat navis spes postmodum decollavit. Eo factum ut paullo serius domum ad meos pervenirem: perveni tamen, *Θεοῦ διδόντος*, et salvos valentesque omnes offendi. Optabam *ὡς οἷόν τε μάλιστα* cum libris in gratiam quam primum redire; sed priusquam me illis totum dedo Præsidem a Fraxinis invisere necesse habui. Dies minimum decem id officium studiis nostris eripiet.——Literas interea tuas, Vir doctissime, avidus exspecto, quæ me docebunt in posterum quid opus facto. Inveni tota urbe sparsos rumores ante meum adventum de mea isthuc migratione. Igitur ut in quemque incidi, queri alius et mecum expostulare quod se desererem; gratulari alius, quod eo tandem locorum venturus essem ubi nostræ literæ non ignorarentur. Ego si mature illa fiant, quæ tute scis fieri debere priusquam hinc abeo, constitui sine ulla mora itineri me accingere cum uxore et grandioribus liberis, et necessaria librorum supellectile. Stimulat me dies noctesque desiderium ingens publicandi quæ in Athenæum et alios Scriptores pridem scripsimus. Omnino inter istos probos quidem et mei amantes, sed prorsus, si paucos excipias, *ἀμούσους*, diutius vivere instar mortis est."

101, 22. *Caserstriensi*] Cassero (*Carcassone*) sita in Gallia Narbonensi ad Fluvium Atacem distat Monspelio 30 leucis.

113, 10. Τὰἐ *γκύκλια*] Τὰ *ἐγκύκλια*.

113, 15. *literis*] Datis Thuano Ep. 158, de sua beneficiorum ejus recordatione: se Lugduno atque Monspelio misisse, nullas accepisse. "Regiam pecuniam D. Vicquio fuisse tandem numeratam ex ipsius literis intellexi. Miratus sum non fuisse eidem traditas ad Consules nostros literas regias, ut de mea isthuc vocatione etiam aliunde quam ex me fierent certiores: hoc unicum est quod me hic nunc tenet, quodque nostrarum vigiliarum editionem moratur. Scripsimus autem ex quo in gratiam cum Musis nostris rediimus ea in Theophrasti libros de Caussis Plantarum, quæ tibi probari non diffidimus. Nunquam putaveramus divinum virum Cæsarem

Scaligerum, quem qui non mirantur Marrucini sunt, tantum spicilegium nobis reliquisse:"

Scaligero Ep. 184, de lætitia ex acceptis literis; legisse se Theophrasti libros de caussis *φυτῶν*. "Visus sum non pauca in eum scriptorem emendare quæ divino viro *τῷ τρισμεγίστῳ* tuo parenti fecerunt negotium. Sed cum ille *δαιμόνιος ἀνὴρ* in suburbano suo, grassante pestilentia eos commentarios conscripserit, mirandum non est siquid ipsius diligentiam fugerit. Equidem qui omnia illius demirer, id tamen opus præcipue *ὑπεπαινεῖν* soleo:"

Joanni Sarraceno Ep. 1016, de ternis acceptis: "Quos mihi misisti amicissimorum virorum fasciculos vel ipse feram Genevam, vel Chovetus qui hic nunc est. Ego in horas a Rege literas exspecto. Nam pecunia ad iter constituta pridem tradita est Vicquio. Sed mire habent me sollicitum obscœnæ istæ tempestates. Jam enim multos dies est cum *ἀδιαλείπτως* pluit." P. S. "Didici a Choveto filium Domini de Chalonges, qui illi unus e multis erat superstes ante dies paucissimos *οἰκρότατα* submersum esse ad Genevam, cum paucis ante diebus desponsa ei fuisset soror Domini de Coracant. Scis ita mortuam esse sororem, etsi diverso modo. Mira casuum *συγκυρία* advertit animum." Vid. 9, 19. Ep. 129.

114, 20. *Damase*] Damasus erat Hispanus, Papa, qui Liberio successit A. D. 367, obiit A. D. 384. Opera ejus Romæ impressa 1639. In occidentem Psalmodias introduxit, primusque Hallelujah etiam extra Pascha cani jussit.

116, 12. *Pr. Kal. Jan.*] Is. Colladono Rectori Scholæ Genevensis Ep. 161, quia Lugduno non quitus erat, amorem suum testatur.

117, 15. *Kal. Jan.*] Hæc ad Gillottum, Ep. 205. "——Scito nihil esse quod abitum ex his locis meum moretur. Misi expectationem regii diplomatis ad nostros Consules. Interest enim existimationis meæ, ne viros optime de nobis meritos temere aut invitos derelinquam. Ut velint me bona cum gratia dimittere unica efficiet Regis voluntas ipsis significata. ——Τὸν τρισμέγιστον Francorum Achillem (Harlæum Ep. 173. 98, 2.) nostram memoriam ponere ne sinito."

118, 29. *Rectoris*] Vid. 31, 3. Ep. 1014. Hæc ad Leonem

ab Aitsema Ep. 113. "——Diligebam te antea; nunc etiam amo. Nam postquam hujus urbis juventus fidei nostræ est commissa, impositumque nobis hoc molestissimum Rectoris munus, unum hoc vehementissime optamus Præceptores illi reperire fideles, et qui præclari ejus nominis mensuram impleant, ut ille ait. Multum igitur te amavi, qui ita candide et ingenue offers te nobis. Veni vero ὡς τάχιστα, et tuum adventum mihi fore gratissimum confide. Omnino si quæ nostra est in hoc negotio autoritas locum tibi polliceor. Unum a te postulo, ne prius quod molimur in vulgi aures veniat, quam res erit confecta, quod fieri posse iis paucissimos dies cum veneris ex me cognosces."

122, 12. *hospite*] Rato 49, 7.

123, 9. *Regiæ*] 367, 77 (*Burn. MSS.*)

"Monsieur de Casaubon

"Ayant deliberé de remettre sus l'Université de Paris, et d'y attirer pour cest effect le plus de savans personnages qu'il me sera possible; sachant le bruit que vous avez d'estre aujourd'huy des premiers de ce nombre; je me suis resolu de me servir de vous pour la profession des bonnes Lettres en laditte Universite, et vous ay à ceste fin ordonné tel appointement; que je m'assure que vous vous en contenterez. Partant vous ne faudrez incontinent la presente receué de vous preparer a vous acheminer par deçà, pour vous y rendre le plustost que le pourrez faire. Et à fin que l'obligation que vous avez d'enseigner a ma ville de Montpellier, ne vous puisse retenir ou retarder, j'escris presentement aux Consuls d'icelle, qu'ils ayent à vous en tenir quitte et deschargé, et à vous assister de ce qu'ils pourront en vostre voyage: pour les fraix duquel j'ay donnè l'ordre, que vous entendrez par les lettres du Sieur de Calignon, Conseiller en mon Conseil d'Estat: sur lequel me remettant je ne vous en diray ici d'avantage. Sur ce, je prie Dieu, Monsieur de Casaubon, qu'il vous ayt en sa saincte garde. *Escrit a Paris ce 3 jour de Janvier* 1599.—Henry. "*Forget.*"

125, 26. *arcis Magalonensis*] (*Maguelone*). "Est in illo mari palus restagnans longe lateque porrecta, in qua exsurgit insula trium fere miliarium spatio protensa: in ea arx anti-

qua ac munita quæ a Monspeliensibus tenebatur." *Thuan.* 32, 18.

139, 2. *edito*] Corrige "editi."

143, 5. *Ventadour*] Septimaniæ vicario, *Lieutenant General au gouvernement de Languedoc.*

147, 23. *literas*] Quibus adjecit hæc ad Petrum Chabanæum relictum Lugduni in ædibus Vicquii. Ep. 1019. "Tuas tandem accepi futuras longe gratiores, si non fuissent mihi diutius quam par erat expectandæ. Cave posthac ullam scribendi occasionem prætermittas. Totum te esse in libris audio libenter, et Deum oro ut ita sit. Grammaticam Græcam vel mittam tibi proxima hebdomade, vel apud Dominum Harsium (*Bibliopolam*) ipse emes. Notaveram in Epistola tua nonnulla quorum te volui monitum, sed illam nunc reperire potis non fui. Scribe igitur ad me quam diligentissime et quam sæpissime. Voluptas ad me, fructus ad te pertinebit. Feceris etiam rem gratam, si ad fratrem Stephanum Latine scripseris officii tui et studii testes literas. Exercueris stylum non inutiliter. Hac unica via eruditio tandem parabilis σύν γε τῷ Θεῷ, quem oro, ut tibi semper adsit. Vale et stude, sicque Latinis oblectare ut Græca ne contemnas. Expecto tuarum Quæstionum volumen. Iterum vale, et nostra atque imprimis meos libros diligenter custodi."

151, 26. XI. *Kal.*] Hæc ad Hœschelium Ep. 186. "Genevam tandem veni, et quem petis librum, amicissime Hœscheli, vix quidem, sed tamen inveni. Duo sunt grandia ἱκανῶς volumina magnam partem manu τοῦ μακαρίτου Henrici Stephani scripta. Egi cum Paulo Stephano fratre, ut ea curaret ad te perferenda; neque dubito facturum. Videar male de te sentire, si te nunc orem, ut de Stephano quam honestissime loquaris: scio quanti illum tu feceris; et scio quibus moribus tu sis. Sed monet me improbitas quorundam, quibus video propositum esse de illo viro detrahere et manes illius violare. Equidem hominis morositatem excusatum non ibo: postrema etiam quædam illius scripta vellem non scripta. At enimvero quis mortalium suis nævis caret? Quid? nonne ὁ μακαρίτης ἄλλοισιν ἐσθλοῖς facile τόν δ' ἀπωθεῖται ψόφον; Quantus ille vir fuerit in literis, si nesciebam ante, potui adfatim discere ex iis, quæ

reperta sunt mihi in bibliotheca *καὶ φιλομαθείας καὶ πολυμαθείας* prope incredibilia monumenta.——P. S. Egit mecum his scriptis Paulus frater, significarem tibi, se et Photium et Testamentum Bezæ novissimæ editionis et quicquid aliud fuerit libitum tibi, ei traditurum cui hoc negotium mandasses. Liber est, ut scis, *λόγου ἄξιος*, nec nisi perspectæ fidei homini committendus: Photium dico."

151, 30. *Andreæ*] Stephanæ.

152, 26. *principis*] "Sabaudus, successu elatus, cum copiis recentibus late victor incedens jam pene totam Mauriennam receperat." *Thuan.* 120, 8.

153, 14. v. *Kal. Mai.*] Hæc ad Scaligerum Ep. 185. "Literis Regis Lutetiam vocatus, Vir præstantissime, Arecomicos Volcas reliqui ante menses duos et quod excurrit. Erat animus Parisiorum *τὴν μεγάλην πόλιν* revisere, eoque familiam et bibliothecam meam trahebam. Posteaquam Lugdunum veni, sententiam mutare coegit amplissimus nostrique amantissimus Vicquius. Is nobis manum injecit, et Regis adventum in hac urbe atque adeo ædibus suis præstolari jussit. Igitur quod bene vertat non ante Lugduno proficisci constitui, quam editum fuerit nostrum in Deipnosophistam opus, cujus editionem priusquam instituerem Genevam necessario excucurri. Multa me illuc vocabant; sed nihil æque ac spes videndi Bibliothecæ reliquias. Etsi pars magna illius periit non uno modo, reperi tamen in iis quæ supersunt multa eximia, *καὶ τῶν οὐκ εὐπορίστων*. At Zonaræ quod petebas Lexicon non est inventum.——Absoluta editione libri hujus quid nobis futurum sit *Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται*. Lutetia rumores afferuntur in dies magis turbulenti. Dici non potest quam *ἐνδιάθετον*, quam ingens sit odium *τῶν ἑτεροδοξούντων τὰ περὶ τῆς θεοσεβείας*. Itaque nisi vanum augurium est Sapientum omnium, nondum Gallia nostra malis defuncta."

165, 21. III. *Eid. Jun.*] Hœschelio Ep. 187 pro munere quod Velserus misit gratias agit: se conaturum *ἀντευεργετεῖν*. "De Photii exemplari scribam ad Stephanum Genevam. Non dubito præstiturum illum quod promisit: et puto jam id factum. Laertium ipse mittam. Onosandrum hic non invenio. Acta Concilii Niceni edita audio, ipse necdum vidi

——Appiani Illyrica fac legamus quam primum beneficio tuo Græce."

169, 12. *Apotropæis*] Capuchinis duobus. 166, 20.

— 25. *Vairii*] Episcopi Lexoviensis (*Lisieux*) Franciæ procancellarii, qui scripsit meditationes in Psalmos, et philosophiam sacram, obiit 1621.

170, 12. *Guisium*] Lotaringum Carolum Henrici Guisii filium.

— 14. *Eidigerii*] Diguierii. *Thuan.* Desdigerius 208, 2. 210, 21.

— 15. *occidit*] "Duellum diu ante agitatum inter Philippinum Sabaudi naturalem fratrem et Carolum Crequium Diguierii generum accepit finem. Origo dissidii ex eo nata, quod in memorabili Chaumessetæ munitionis ante triennium a Diguierio expugnatione, Chauviero loci præfecto forte interfecto, fascia ejus insignis a Crequio capta fuerat, quæ Philippini tamen fuisse ferebatur. Itaque tubicine a Sabaudo misso, ut Chauvieri corpus ad sepulturam posceret, Crequius eum diligenter interrogavit, an fasciam agnosceret; nam si Philippini esset, sicuti ferebatur, eam se libenter ipsi redditurum. Re a tubicine relata, Philippinus hac Crequii comitate decori suo illudi ratus.——Tandem post multas tergiversationes (ad duellum) deventum——conserto certamine ictus in mamilla Philippinus semel atque iterum se vulneratum inclamavit.——Tum ut arma abjiceret imperante Crequio, Pingonus (qui aderat) arma Philippino erepta in terram abjecit.——Crequius adversarium exarmatum videns et ipse arma abjecit et Philippinum amice complexus Gieræ curando vulneri intentum reliquit. Id cum rescivisset Sabaudus ægerrime tulit——ideoque ipsum a conspectu suo abstinere jussit donec maculam tantam Sabaudo nomini inflictam aliqua ratione eluisset.——Quum sibi certandi necessitatem impositam videret Philippinus——tempus ac locum certamini Crequio condicit.——Crequius kalendis Junii ad Kyriacum (*Kirieu*) venit——postridie transmisso Rhodano hinc Crequius cum Attiniaco (*d'Attigny*) et hinc Philippinus cum Buissa (*de la Buisse*)——convenere.——Isque post exiguam moram duelli exitus fuit, ut Philippinus tribus ensis, duobus pugionis ictibus confessus conciderit. Tum superincumbente Crequio et

vitam ut sibi condonari Philippinus peteret instante, ille non solum recusavit, sed etiam si sibi condonaretur eam minime se adversario debiturum declaravit. Igitur Attiniacus eam non Philippino sed sibi condonari petiit. Ad quæ verba consurgens statim Crequius, et Buissa accurrens utrinque Philippinum quantum in ipsis fuit, perhumaniter in pedes erexerunt. Verum illo ob vulnerum gravitatem statim concidente, salutatis qui aderant Rhodanum transmiserunt. Philippinus ex vulneribus paulo post decessit, quum prius a chirurgo a Crequio misso curatus esset. Magnam ea res Sabaudo tristitiam attulit, ex eo infausta omnia ominanti. ——Crequius, qui illæsus a certamine victor discesserat ante omnia de successu gratias Deo egit: de cetero amicos ob id effuse lætantes a gratulatione ut abstinerent monuit, satis sibi esse dictitans quod in justa causa pro Gallici nominis gloria ipsi victoriam Deus annuisset." *Thuan.* 123, 6.

174, 15. *literæ*] Datæ Thuano Ep. 1020 de non acceptis: de obitu Serrani (90, 30): nullam Monspelii copiam typographi: Græcis edendis parum assuetas operas Lugdunenses.

178, 16. *literis*] Datis J. Meursio Ep. 188 gratas fuisse lucubrationes ejus: maturandum si habet similes observationes quas communicet.

Scaligero Ep. 189. "De itinere Parisiensi jacta alea est. ——Ejus consilii auctor mihi Vicquius, qui singulari amore nos complexus, id sedulo agit, ut otium tandem et præsidia ad vitam necessaria Regis munificentia nobis præstet.—— Lutetiæ fore nobis assidue cum iis incommodis luctandum quæ sapientissime et γραφικώτατα ob oculos mihi ponebat novissima tua epistola, etiam vir ille prudentissimus prævidit meque admonuit. Sed putat idem satis futurum mihi ab omnibus periculis cautum, si impetrari a Rege potuerit, ut liber a docendi munere eo stipendio fruar, cujus nuper cum in aula essem, spes mihi facta. Nam de quæstorum fastidio, quamdiu ipsi nostra futura sunt curæ, non est fortasse cur multum sim sollicitus. Magis me illa Pædagogorum μορμολυκεῖα terrent Parisiensia. Nam si quod est omnino genus hominum, a quibus plurimum mores nostri dissideant illud profecto est. Scis porro neque amicitiæ ullum

esse glutinum validius quam morum similitudinem; neque item ullum odiorum incentivum aut stimulum acriorem studiorum et morum dissimilitudine. Possem tibi narrare lepidam historiam quæ Lutetiæ accidit, cum ibi essem; ex qua intelligeres quo supercilio isti δοκησίσοφοι me exceperint. Sed esto id alterius epistolæ argumentum. Ridere enim nunc non vacat; etsi non possum non abstinere, cum venit in mentem, qua vultus tristitia Pædagogorum Apollo (*Theodorus Marcilius Professor Eloquentiæ Regius*) jusserit me, si se vellem videre, ad se accedere. Cum imperio paruissem et ad fores accessissem ecce aliud ἐπίταγμα, ascenderem in Manlii hujus Museum, quod semper meminero tegulis fuisse proximum. Veni igitur et vidi tandem quem hodie plurimum mirantur Parisiensis juventus. Quid ego tibi nunc commemorem sermones, se et sua solum mirantis, aliena autem omnia fastidientis? Monstrata est nobis incredibilis librorum edendorum copia, quibus omne scibile contineretur. Alii foruli commentarios in libros juris civilis continebant: alii Romanæ ἀρχαιολογίας locos communes sic elaboratos, ut nihil pote melius: alii interpretationem præcipuorum Aristotelis librorum. Sed omnium capacissimi fuere qui capiebant Magistri hujus dictata in optimos quosque scriptores Latinæ Græcæque linguæ: quæ ille aiebat annorum viginti spatio confecisse se, et de superiore loco suis dictasse. Nam Pythagoræ carmen et Martialem, quæ duo sola, opinor, sunt adhuc ab eo publicata, aliud agenti sibi juveni excidisse, neque se illa jam pro suis agnoscere. Toto genere διαφέρειν quæ lateant in scriniis tunc demum publicanda cum omnes Docti suos errores publicaverint. Hanc enim iste curvorum corrector gloriæ suæ segetem habet. Affirmo tibi nullam ab eo ἀκρόασιν prius finiri, quam aliquoties vapulaverint Scaliger, Lipsius, et quod ego in præcipua parte gloriæ pono Casaubonus."

178, 23. *Lusitano*] 214, 29.

180, 7. *personarum*] Vicquii et Vicquiæ.

186, 2. *MSS.*] Inter quos erat Photius ille ad Hœschelium nondum missus. 147, 16.

189, 23. *prafa*] Corrige "prasa."

192, 2. *literas*] Quæ extant 363, 21 (*Burn. MSS.*): "Aman-

tissime frater, Ut ignotus facie ad me scribat haud novum, neque mirandum; et procul abest, ut (quod vereri te scribis) adscribendum sit temeritati scribentis; quippe qui sciamus ea nos Christi lege ad culmen ecclesiasticæ dignitatis evectos, ut servi omnium facti omnibus serviamus, sed et communi charitatis lege alterum alteri servire debere Paulus monet Apostolus, qua cum se teneri S. Augustinus optime sciret, scribens ad Maximinum Donatistarum Episcopum ab Ecclesia Catholica alienum, ejusmodi usus est titulo, "Domino, dilectissimo et honorabili fratri." At ne hæc inconsulte effutiisse videri posset, ejusdem epistolæ exordio declarat his verbis: "Domino," scripsi, quia scriptum est, vos in libertatem vocati estis, fratres, tamen ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem servite invicem. "Dilectissimo" autem quod scripsi, novit Deus quod non solum te diligam, sed ita diligam ut me ipsum, quandoquidem bene mihi sum conscius bona me tibi optare quæ mihi; et inferius, "Honorabilem" ex ea regula te appello, quia novi te esse hominem, et hominem ad imaginem Dei et similitudinem factum; "Fratrem" vero ut te vocem, non te latet præceptum esse divinitus, ut eis etiam qui negant se fratres nostros esse dicamus, fratres nostri estis. Hæc ipse et alia, a me vero ad te scribente libenter accepta, quo facilius tanto auctore te metu liberem. Age vero utere jure tuo, scribe cum libet, et jube etiam quod Deo gratum esse non dubites. Quod vero dum de his agis te totum velut impetu in meas laudes effundis, dicam quod novum atque inusitatum contigerit. Qui nauseante stomacho esse soleo in audiendis laudibus meis (accidit tamen sæpe ut audire cogar invitus) cum eas reperi in tuis literis ut gustui suavissimas avidissime suxi. Neque ob id me quicquam peccasse puto adversus eos qui laudes contemnendas esse dixerunt. Ejusdemque supra S. Augustini facio exemplo et monitus verbis ad Darium ita scribentis: 'Meis autem laudibus cum profecto nec omnibus delecter, nec ab omnibus, sed eis qualibus me dignum arbitratus sum et ab eis, qualis es, id est, qui propter Christum diligas servos ejus, etiam laudibus meis me delectatum in literis tuis negare non possum:' et pluribus de his disserens hæc demum, 'hæc amicitia tua etiam laudes meas (quæ me

quo fine delectent satis dixi) multo uberius Ecclesiæ Christi non dubito profuturas, quandoquidem etiam labores meos in defensione Evangelii adversus reliquias impiorum dæmonicolarum sic habes, sic legis, sic amas, sic prædicas, ut meis tanto fiam notior, quanto es ipse nobilior: eos etenim lubenter illustris illustras clarusque declaras, et ubi prodesse posse perspicies ignorari non sines.' Hæc ipse et eadem ad te ego cum ipso, ne erubescam cum profiteor me ex tuis literis delectatum meis laudibus esse. Quo nomine immortales in primis Deo gratias ago, qui menti tuæ ut ad me literas dares suggessit; refero vero plurimas clarissimo viro D. Merico de Vicquio, qui opportunus nostræ amicitiæ prudens conciliator accessit, et sequester sapiens intercessit. Etenim videre videor, et non pertransoriam, sed aperta luce, et toto (ut dicitur) cælo, uberrimos ex hac segete messurum me fore manipulos. Quid ni? Cum tantopere orthodoxi hominis scripta commendas, plane pultare te Ecclesiæ Catholicæ januam satis intelligo, ut jam accurrendum mihi sit tibi, et dextera porrigenda, et lætum occinendum illud sponsale carmen: Quis mihi det te, fratrem meum, sugentem hubera matris meæ ut inveniam te foris, et deosculer te, et apprehendam te et ducam in domum matris meæ? Interea vero intercurrant internuncia nostræ amicitiæ libri: mitto ego modo ad te octavum Annalium tomum, tu dabis quem es pollicitus librum, sed quem libenter accepturum esse virum catholicum putas, ne ministrentur fomenta discordiæ. Vale, amice charissime, atque amantissime frater, Deusque te mihi totum animo et corpore servet incolumem. Romæ. Decimo kalend. Septemb. an. D. 1599. Dominationi tuæ addictissimus Cæs. Card. Baronius."

A molt. Ill. Sig^{ore} il s^{or} Is. Casaubono. Lione.

192, 22. *scripsimus*] Simul ad Gulielmum Ratæum Episcopum Monpeliensem Ep. 190 commendantes eum qui redditurus erat.

193, 12. *redditis*] Simul cum his Th. Bezæ. 367, 3 (*Burn. MSS.*): "Monsieur et tres-honore frere, je croy qu'aurez receu par le poissonnier mon pacquet conjoinct avec celui de nos Seigneurs, et addressé à Monseigneur de Vic, encores que ne m'en faciez mention en vostre derniere que j'ay receue ce

jourd'huy, de sorte qu'il ne sera aucun retardement advenu de ce que vous fustes contrainct de partir d'ici sans le prendre, et vous remercie bien fort de ce que vous y aviez desia pourveu envers le dict Seigneur. Au reste, quant a ce que ma femme vouz dit a vostre depart, cela se fit a la haste, et de par elle, dont je suis marri, pour ce que s'il faloit parler de ceste matiere, il faudroit que vouz fussiez plus avant informé comme le tout s'est passé. Et pourtant je vous prie que cela ne passe point plus avant. Car graces a Dieu, je n'ay faulte de rien, et n'ay occasion aucun de me plaindre, ni du costé du Dauphiné ni d'ailleurs: dont je vouz prie d'advertir ledict Seigneur, si vouz entrez avec luy en quelque propos de ceste matiere me retrouvant mesmes pour le present, et depuiz quelque peu de jours en telle disposition de ma santé que pour estre devant que mon dict Seigneur soit a la Court, je n'auray plus besoin d'aucune telle chose: mais, s'il plaist a Dieu de faire ceste faveur a Messeigneurs de par deça, que le dict Seigneur approchant ci pres de Geneve prene plaisir de la visiter, je say que Messeigneurs en recevront un tresgrand contentement, outre ce que par ce moyen il pourra aussi estre a plein informé par eux mesmes de leurs affaires, comme ce me sera en particulier un tresgrand plaisir d'avoir eu ce bien d'avoir veu le dict Seigneur en personne, et de le remercier de bouche de tant de bienfaites que j'en ay receus, priant notre bon Dieu et Pere de le benir et conserver tresheureusement et tres longuement a toute notre poure (*sic*) patrie, et vous vouloir en particulier amener et conduire au lieu ou vous estes maintenant appellé, apres mes recommandationes plus affectionées que jamais a vos sainctes prieres. De Geneve ce 29 d'Aoust 1599. Vostre humble & obeissant frere et serviteur Theodore de Betze."

A Monsieur et treshonore frere

Monsieur Casaubon a Lion chez Monseigneur de Vic.

194, 4. *Genevam*] Ad J. Lectium Ep. 191, beneficia se ejus in conjugem suam agnoscere: "Amici nostram moram increpantes Lutetiam nos conviciis vocant. Libri quem nosti instituta editio sic procedit lente, ut ex dolore ejus rei cani quotidie mihi nascantur in capite."

197, 1. *alios*] Extant D. Hœschelio datæ Ep. 192 de accepto libri munere: egisse secum Vicquium videret siquid in bibliopoliis Lugdunensibus foret gratum ipsi et Velsero: jacere illic literas: nihil repertum: "De Photio spero Paulum Stephanum quod toties est pollicitus jam præstitisse."

198, 6. *D. Abbatis*] Dominici de Vicque Merici filii, Abbatis Beccensis.

200, 23. *Jugæi*] Amici Genevensis.

— 29. *Goulartium*] Ecclesiæ Genevensis Professorem 186, 22.

204, 1. *literas*] Ad F. Lindenbrochium Ep. 193, de literis non acceptis, libro non invento, suo Athenæo:

Ad Hœschelium Ep. 194: "——Fuit molestum intelligere quæ scribis de Photio.——Quia socer intestatus obiit, quadrans omnium τῶν ἐκ μεγίστης ποτε περιουσίας ἔτι ὑπολιπόντων ad uxorem pertinuit." (*Relictis nempe uno filio Paulo, tribus filiabus Florentia, Dionysia, Andrea.*) "——Ego veneratione domus Stephanicæ motus renitentibus omni ope atque opera cohæredibus, effeci ut omnes manu exaratos codices Paulus Stephanus præciperet.——Nominatim de Photio tibi mittendo millies inter nos convenit——Die crastina favente Deo per literas cum ipso expostulabo, et faxo sentiat me gravissime commotum. Vicquius meus abest nunc domo, a Rege jussus cum Legatis Sabaudi de pendente apud Pontificem Maximum lite Salutiana tractare."

Id scilicet quærebatur utrius Regis an Sabaudi esset jure Saluciarum Marchionatus.

205, 7. *affine*] Paulo Stephano.

207, 25. *Reditus* a re Salutiana tractanda.

208, 2. *Desdigerio*] 170, 14. D'Esdiguieres 210, 12.

— 24. *vidissese*] "vidisse se."

210, 25. *Sabaudiæ*] Manebat adhuc indecisum Saluciæ Marchionatus negotium.——Sabaudus——tentat, an adventu in Galliam suo——res confici posset.——Quod cum sibi persuasisset acceptis——Regis literis——iter ingressus est exeunte Novembri, magnum comitatum secum trahens, quem ubi Lugduno propinquavit, sumtis citatis equis præcessit. Ibi obvium habuit Philibertum Guichium urbis Præfectum

cum provinciali nobilitate. Prætor Lugdunensis cum consulibus ad portam jussu regis opperiebatur ut ei denunciarent, regem eosdem ipsi quos sibi honores deferri mandasse. Ita prælato uranisco, quem ille modestia affectata subire noluit, ad ædes episcopales deductus est. *Thuan.* 123, 11.

210, 29. *literas*] Per Sarraceni filium ad Th. Canterum Ep. 195 Vicquio multum deberi; aliquot mensium moram desiderari; inopia consilii se hærere:

Ad Thuanum Ep. 196 simili argumento, cum commendatione Sarraceni.

211, 22. *literis*] Ad D. Hœschelium Ep. 197, de decem Pauli Leopardi libris Emendationum: de notis in Thucydidem non repertis in Stephanica bibliotheca: de futuro sibi incerto. "Quoties nobis per civilia nostra bella omnis facultas erepta est studia promovendi? Quoties de nobis desperavit optimus parens, cui uni debemus quantulumcunque est in nobis eruditionis?"

212, 26. *Harsii*] Bibliopolæ et Typographi Lugdunensis.

214, 29. *Lusitani*] 178, 16.

218, 25. *ἱκανώτης*] Corrige *ἱκανώσης*.

227, 4. *D. V.*] Dominum Vicque.

— 23. *Scaligeri*] Ep. 206. "Vir illustrissime, hodie tuas novissimas et Manilium quem dono misisti, accepi. Habeo ——gratias.——Lutetiam cogitabam cum hæc scriberem; non ut ibi lares figam, sed potius ut ostensæ anno conditioni renuntiem. Nam quod ex literis amicissimi Vicquii non unis cognovi, omnia illa magnifica promissa *φροῦδα οἴχεται*, quoniam ii qui nos amant *παρ' οὐδέν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει.* Itaque de futura sede omnia incertiora quam unquam."

235, 12. *scripsi*] Simul et ad D. Hœschelium Ep. 207: "Quintus decimus, opinor, hic dies est, cum redditus mihi fuit, vir clarissime, Photius tuus. Cujus rei dum te certiorem facere paro, tabellariumque expecto qui meas isthuc perferat, ecce literas ex aula, quibus lectis Lutetiam versus iter sine mora cogor instituere. Itaque rebus relictis paullo mox dedi me in viam: eaque celeritate usus sum, ut spatio dierum quinque Lugduno Lutetiam pervenerim.——Inter viaticas sarcinas Photium detuli per otium legendum. Pithœus, qui

Photii bibliothecam habet penes se, facturum se libri copiam promisit, ut cum editione tua conferatur."

236, 21. *Bibliothecarii*] Gosselini.

237, 1. *Ronium* vel Rosnium, Maximilianum Bethunium Ronii Marchionem, ærario et rei tormentariæ præfectum, Sullii Ducem A. D. 1606 creatum.

237, 8. *ἀναπόδομα*] Corrige "*ἀνταπόδομα.*"

238, 14. *Abelonem*] Sive Hablonem (*Ablon*) "pagum illum ubi habetur *ἡ τῶν ὀρθοδόξων σύναξις*" 240, 11, suburbanum scilicet vix 4 millibus passuum a Lutetia distantem, ubi ex tribus secundum edictum Namnetense concessis Ecclesiis unam Protestantibus licebat congregare.

— 21. *Abbati*] Dominico de Vicque 198, 6.

239, 21. *D. de Fresnes*] P. Canaii.

243, 17. *contra Missam*] 244, 14. 247, 10. 249, 21.

— 24. *scripsi*] Hæc ad J. Scaligerum Ep. 208: "Evocatus sum in aulam jussusque velis remis Lutetiam contendere. Veni igitur, et, ut ne longum faciam, iterum magno Regis et omnium Procerum favore sumus excepti.——Crabrones quos nosti irritare non est animus: etsi non semel demonstrarit nobis Princeps noster voluntatem suam opera nostra utendi in restauranda hac Schola. Nos contra ab eo consilio sumus quam alienissimi." De Manilio ejus, Catone, Orpheo; de Jausando.

245, 3. *affinem*] Qui unam ex Stephanis duxerit?

247, 9. *Rege*] 367, 78 (*Burn. MSS.*): "M^r. Cazobon. Je desire vous veoir et vous communiquer ung affaire que j'ay fort a cueur cest pourquoy vous ne fauldrez incontinent la presente recue de vous acheminer en ce lieu et vous y rendre pour le plus tard dimanche au soir et m'asseurant que vous ny manquiez je ne feray celle cy plus longue que pour prier Dieu qu'il vous ait en sa s^te garde. Ce soir de Fontaynebleau ce 28me jour d'Avril 1600. Henry."

De Neufville.

— 12. *Ebroicensem* (*D'Evreux.*) Jacobum David Perronum, vel Perronium, qui in religione protestantium educatus eam ejeraverat, postea factus est cardinalis.

253, 13. *optasse*] Lege "scire optasse."

258, 30. *certaminis*] Vide 300, 21. Ep. 214. Hæc Thuanus 123, 13. "Post Sabaudi discessum Rex Fontembellaqueum petit, ubi collatio inter Jacobum Davidem Perronum Episcopum Ebroicensem et Philippum Mornæum Plessium, qui primarium olim familiaritatis locum in regis aula et belli et pacis artibus clarus tenuerat. Controversiæ origo inde fuit. Plessius librum de sacra eucharistia et in vetere ecclesia sacrificio Gallice ediderat, isque propter styli elegantiam passim per omnium manus volitabat, avideque legebatur; eoque magis quod patrum tam Græcorum quam Latinorum necnon etiam aliquot scholasticorum auctoritate et testimoniis suam sententiam in eo tueretur. Itaque periculum veriti theologi nostri passim in concionibus libri auctorem tanquam falsarium exagitabant ut ab ejus lectione incautos deterrerent. Quidam etiam repertorium locorum non bona fide citatorum confecere; nonnulli et libris editis eum confutare sunt aggressi. Dum Burdigalæ, ubi Jesuitarum schola celebris erat, necnon Lutetiæ inter concionatores negotium caleret, Ebroicensis Episcopus itidem se demonstraturum recepit quingentos amplius locos ex patribus antiquis ac scholasticis in eo libro falso citatos esse. Quod cum ad Plessium relatum esset ille scripto Lutetiæ publicato petiit, ut tam Episcopus quam alii, qui ipsius librum falso insimularent, libello supplici, quem Regi porrecturus esset, subscriberent. Eo petebat, ut probitatis et doctrinæ perspectæ delegati a Rege nominarentur, qui librum diligenter examinent, et verene an calumniose hæc ab adversariis objiciantur dijudicent. Id actum 13 K. Apriles. Perronus qui Condati erat primaria Ebroicensis diœcesis arce, scripto contrario respondet quinto post die, et conditionem accipit: amboque a Rege petunt, ut delegati nominentur, qui coram ipso, si interesse non gravabitur, et per occupationes liceat, de re cognoscant. Intercessit initio orator pontificius qui religionis controversias per disputationes in dubium revocari periculosum esse, idque sine pontificis auctoritate licere minime putabat. Verum cum Rex et ipse Perronus hanc concertationem nihil ad ratas ecclesiæ de fide decisiones spectare ostendissent, tantumque de Plessii libro agi verene an falso loci in eo ex antiquis adducti referantur; et si quidem

probetur locos illos falso citatos esse, fidem non solum libro derogari, sed multos ex Protestantibus, qui nimium quam illi tribuunt, ab errore suo discessuros, facile apud eum pervicerunt, ut silentio rem transigeret. Igitur delegati nominati pro Catholicorum parte Jacobus Augustus Thuanus Senatus Parisiensis Præses, qui se ab initio excusavit, Franciscus Pithœus, Nicolaus Faber; pro Protestantibus Sofredus Caligno Navarræ Cancellarius, in cujus locum, quod morbo præpeditus venire non potuerat, Philippus Canaius Septimaniæ curiæ præses successit, Isaacus Casaubonus. Sed cum Nicolaus Faber interesse non posset, Joannes Martinus professione medicus a Rege evocatus est. De forma collationis primo altercatum; parumque abfuit, Plessio Regem a se alienatum caussante, quin omnino colloquium abrumperetur. Tandem post crebras contentiones Plessio locos, qui falsi arguebantur, designari simul universos petente, et Perrono sexaginta tantum initio proponente, 4 N. Maias in rem ventum est; et cum Pomponius Bellevreus cancellarius qui actioni coram Rege præerat, præfatus esset nihil heic agi, quod auctoritati ecclesiæ et doctrinæ in ea inter Catholicos receptæ, aut edictis in Protestantium gratiam factis præjudicium ullum afferre posset, ad moderationem utrinque servandam partes hortatus est; sic enim Regem velle ac jubere. Tum prolixiore oratione Perronus eundem sermonem persequitur, et modestiam Regis laudat, qui non ut Judæorum ille Rex, qui thuribulum quod sumpsisset lepra percussus est, hoc est, auctoritatem sacerdotalem et in res sacras potestatem ullam sibi arrogavit: sed potius Constantini, Valentiniani, Theodosii I et II exemplum secutus integrum ac liberum de fidei controversiis ac rebus ecclesiasticis judicium pastoribus a Deo ordinatis reliquit. Pauca item pro se prolocuto Plessio, non ad ambitionem aut vanitatem librum a se factum, aut disputationem hanc institutam, sed ut ex ea aliquis ad Dei gloriam et ecclesiæ emendationem tam diu speratam Regis optimi auspiciis fructus rediret, promuntur libri. Cancellarius et delegati ad dextram sedebant: Rex in medio, et post eum Archiepiscopus Lugdunensis, Nivernensis, Castrensis et Bellovacensis Episcopi; et rursus post eos quatuorviri a secretis

epistolis: ad lævam Valdemontanus, Nemorosius, Mercurianus, Nivernius, Ellebovius, Aquillonius duces, Jonvillæ princeps, aliique proceres mensæ, ad quam hinc inde Perronus et Plessius stabant, circumfuse: passim a tergo turba. Excussi primo Jo. Scoti et Durandi de præsentia et transubstantiatione corporis Dominici in sacra cœna loci; et rogatis delegatorum sententiis pronuntiatum Plessium ratione inter scholasticos usitata deceptum objecta pro decisionibus in utroque sumpsisse. Tum S. Chrysostomi unum et alterum, necnon et beati Hieronymi de invocatione sanctorum locos non integros, quod fieri debuit, citatos esse; beati Cyrilli locum de sanctæ crucis adoratione productum nusquam apud eum reperiri; constitutionem vero Theodosii et Valentiniani aliquot verbis truncatam; nec ex Petro Crinito auctore neoterico nulliusque nominis produci debuisse a cancellario itidem pronuntiatum. Dein confusa duo ex S. Bernardo loca de beata Virgine, quasi non mediatrix pro hominibus apud Deum intercedat a Plessio citata arguit Perronus, et secundum ejus Censuram a Cancellario ex delegatorum sententia pronuntiatum fuit. Ultimus locus ex beato Theodoreto discussus est ex commentario in Psalmum CXIII de imaginibus; et idola non imagines verti debuisse contendebat Perronus. Tandem post longam de imaginum usu concertationem, pronuntiatum a cancellario, locum de simulacris Gentilium non de imaginibus Christianorum intelligendum esse: et ita, cum jam advesperasceret, solutus eo die conventus: qui ut postridie continuaretur cum urgeret Perronus, morbo ex vigilia præcedentis diei contracto Plessius adesse non potuit: tandemque, aliis atque aliis subortis difficultatibus, delegati dilapsi, et Plessius ut valetudinem curaret Lutetiam venit 8 I. Maias; ac postridie Cancellarius cum Perrono, triduoque post Rex ipse cum omni aulico comitatu. Tandem interjectis aliquot diebus, insalutato Rege Plessius Salmuriam discessit. Hic exitus fuit collationis majore fama quam successu celebratæ, cum Protestantes dicerent librum ab homine privato conscriptum neque propter doctrinam, de qua omnino non actum est, damnatum esse; neque proinde fidei confessioni, quam universi in regno Protestantes amplectuntur, libri per collationem illam im-

pugnati præjudicio præjudicari potuisse. Aliquot post mensibus pro Plessii defensione libellus editur, quo et locorum adductorum auctoritas interpretatione defenditur, et nova contra imagines ex loci Theodoreti occasione disputatio instituitur. Quem contrario scripto cum actis collationis regiæ auctoritate editis refutavit Perronus, longamque ac diffusam pro imaginibus ad extremum apologiam adjecit."

262, 3. *Canaio*] Ad quem aliquot post diebus Ep. 243: "Cum nuper discederem a te ad Episcopum Ebroicensem profectus convenire illum non potui. Post illa autem domi nos invaletudo multos dies continuit. Heri demum parantem ire ad te certiorem me de tua isthuc profectione amicus fecit. Quando igitur præsens non possum, constitui per epistolam te orare, agas semel adhuc de negotio nostro cum Episcopo Ebroicensi, qui pro sua singulari humanitate opem operamque suam prolixe nobis est pollicitus.——Æquitatem δεήσεως nostræ pluribus tibi exponere supersedeo: rem enim tenes omnem. Illud nempe unum agimus, ut nos Rex aut occupet aut dimittat. Et optamus nos quidem ne tanti Principis judicio inutilis opera nostra ad promovenda studia literarum censeatur: cæterum si ita accidat, labentibus reculis nostris de amicorum sententia consulere pro virili conabimur."

270, 24. *θρητητέοι*] Lege *θρηνητέοι.*

271, 23. *negotia*] Scripsit ad Hœschelium Ep. 209 de Photio ejus quem legerat.

273, 4. III. *Kal. Jun.*] Ad Scaligerum Ep. 210, de accepto altero libri ejus exemplari.

282, 4. *vir optimus*] Gosselinus 236, 21. 283, 14.

283, 6. *Soloduri* vel Soloturni *Soleurre* inter tredecim pagos reipublicæ Helveticæ, qui post finitum bellum Burgundicum fœderi perpetuo nomen dedit A. D. 1481, quo scilicet Vicquius erat profecturus.

— 10. V. *Kal. Jul.*] Hæc ad Thuanum Ep. 211. "Sperabam, Præses amplissime, posse me isthuc citius redire: sed mihi res hic est cum operis non lentis solum sed plane somnolentis. Ego igitur *φύσει οὐκ ὢν πόδας ἀγαθὸς* aliorum culpa fio Myrmecidæ simillimus qui assidue currens digitum non promovebat. Nos tamen multa isthuc revocant, nec pauciora

hinc expellunt. Quorum quidem maximum est odium nostri conflatum in animis plerorumque τῶν τὰ ἡμέτερα φρονούντων cum in hac urbe tum in vicinis provinciis. Mira quorundam aut improbitas in fingendo, aut fatuitas in credendo ea de nobis quæ tu, Vir sapientissime, et φιλαληθέστατε nosti probe esse falsissima.——Omnem molestiam quam istorum ἀθυρόγλωττον στόμα nobis attulit, sane magnam, tuum alloquium facile absterserit."

284, 28. *Regi*] Carolus Emanuel Sabaudiæ dux, quum domum reversus neque conditionibus Lutetiæ perscriptis stare vellet, neque novas ullas admitteret, et sive ambitione insita, sive ab Hispanis vicinis persuasus Saluciarum principatu ulla se ratione cedere paratum negaret Rex tot tergiversationum pertæsus negotii inter bellum induciasque animos suspendentis, nodum, quem amice solvere non potuerat, ferro ad extremum rescindere decrevit. Et postquam tempus restitutioni sive compensationi præscriptum exeunte Junio exiisse vidit, ineunte Julio in viam se dat, et Lugdunum 7 Eid. Quintiles venit. *Thuanus* 125, 1.

285, 21. *sollicitudines*] Iræ videntur inter Vicquium et Casaubonum subortæ: Harsii typographi uxor pecuniam exigere.

288, 7. *abiit*] Emericus Vicus apud Helvetios orator, qui sub id (*tempus*) Lugdunum venerat; propere Soloturnum remissus, ut delectus auxiliarium, si opus esset, paratos haberet. *Thuanus* 125, 2.

289, 21. *Non. Aug.*] Hæc ad Hœschelium Ep. 212: "Opus nostrum, cum superioribus diebus in ipso pene portu naufragium facturum esse videretur, tandem eo redactum est, ut faciente Deo post octo dies nihil futurum nobis sit cum illo, quod quidem ad hanc editionem attinet, quæ eo minus grata nobis futura est, quod Prolegomena nostra, quia paullo erant uberiora, edi nunc non potuerunt."

— 28. *Desdiguerium*] Bironus et Diguierus, quibus ut primariis ducibus belli simul, huic in Sebusianis, (hodie Bressæ comitatum vocant,) illi in Sabaudia inchoandi destinata cura erat, copias conscribunt. *Thuanus* 125, 2.

291, 14. *belli incendio*] Rex Eid. Sextil. vix albescente die

admotis ad Burgum (*Bourg en Bresse*) quod est Sebusianorum caput, semel atque iterum crepitaculis, urbem impetu capit. *Thuanus* 125, 2.

299, 15. *literas*] Hæc ad Petrum Matthæum Ep. 251. "Si quid ad curam tuam pertinet, vir amicissime, Lutetiam nos Θεοῦ χάριτι salvos pervenisse atque incolumes, scibis. Quindecim ipsos dies in itinere consumpsimus: cum adversus nos omnia elementa conspirasse viderentur. Aqua nos deficiebat: aer turbidus semper, et contrariis ventis infestus. Quid quod incendii periculum semel adiimus? taceo difficultatem producendæ hucusque mulieris ἐν γαστρὶ ἐχούσης. Taceo frequentes λειποθυμίας Carolæ fidei nostræ ab illustri matrona commissæ. Taceo alias ψαμμακοσιογαργάρους ærumnas nobis in hoc itinere exantlatas. Ceterum levia hæc fuerunt omnia præ Charitatensium calumnia, qui riscos uxoris et librorum meorum fasciculos merces esse caussati in jus nos vocarunt, et misellum nauclerum quatuor et amplius aureis multarunt. Hoc erat per alienum latus nos ferire: nam illi infelici fuit nummulus οὐδὲ εἷς, unde judicatum solveret. En fidem, en integritatem Judicum Charitensium, quibus pro hac insignita improbitate aut meliorem Deus mentem duit, aut πανώλειαν παντὶ τῷ γένει εἰσενέγκῃ. Aureliæ primum versa in melius fortuna nostra. Urbs pulcerrima et amœnissima, amici in ea nobis reperti multi, καὶ τῶν ἐν τέλει· libri denique aliquot λόγου οὐκ ἀνάξιοι eo loci nobis dono dati. Itaque læti inde atque hilares profecti Lutetiam nudius tertius εὐροούσης ἀπαξαπλῶς τῆς τύχης appulimus. Hic fuit peregrinationis nostræ finis: hic et epistolæ hujus finis erit. Non enim ex otii abundantia sed amoris vehementia raptim ista exaravimus. Vale amicorum intime et me amare perge. Uxor pro tuo munere immortales tibi gratias agit. Vitam languentibus nobis inter navigandi molestias biduo fere fovisti, servasti. Iterum vale."

300, 1. *scribendis*] Ad R. Thomsonem Ep. 213. De misso Animadversionum libro: ipso Lutetiam venturo; notis in Epistolas ad Atticum; Scaligero; desiderio edendi; chartis suis. "Domum adhuc quærimus, quæ Musas nostras hospitio excipiat."

300, 21. *Scaligerum* Ep. 214. De exemplari diatribarum in

Athenæum dicato ipsi Francofurdum ad Bongarsium misso; se cupidissimum discendi discipulum. "——Scito autem Lutetiam tandem reversos esse nos cum uxore, liberis et libris. Diu multumque exercuit nos hæc cura, veniremus huc necne. Vicit demum eorum sententia qui audendi erant auctores. Itaque decimum jam diem in urbe agimus *εὐοδωθέντες ἐλθεῖν ὧδε ἀπήμαντοι τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι.* Cæterum quam spem habeamus in posterum, nondum satis exploratum nobis; adhuc enim hæret nobis inter spem metumque anceps animus.—— Quod scribis de congressu Diomedis cum Glauco (*Plessæi cum Perronio*) sic est omnino, ut tu judicas recte. Vir optimus, si eum sua prudentia orbi Gallico satis explorata non defecisset, nunquam ejus certaminis aleam subiisset. Nunc ea acciderunt, quæ verissime dictum arguant a divino vate *τοῖον εἶναι νόον ἀνθρώποισιν, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγει Θεός.* Nam in hoc negotio toto a principio ad exitum usque *οὐδ' ὁτιοῦν φρονίμως ὑπὸ τοῦ δοκοῦντος εἶναι καὶ ὄντος ὡς ἀληθῶς φρονιμωτάτου διεπράχθη· ἵνα μὴ λέγω τὰ περὶ τὴν παιδείαν ἐλαττώματα.* Et scis quam sit *ὁ ἐξ ἐναντίας τῆς σοφιστικῆς τερθρείας τρίβων καὶ περὶ ταῦτα δεινός.* Atqui vir ille octodecim ipsos menses, et hoc amplius, in hanc unicam curam insumserat, ut siquid in eo libro vel *ὄντως* vel *φαινομένως μεμπτὸν* inesset, id omne rimaretur, et in gloriæ suæ materiem verteret. Equidem in lacrymas prope adducor, quoties subit animo tristissima illius diei species, quum de ingenua nobilitate, de excellenti ingenio, de ipsa denique veritate pompatice adeo vidi triumphatum. Non desunt qui *τὸν μέδοντα* hic accusent: sed neque patroni illi desunt. Nos quoties apud ipsum amici viri caussam agere instituimus, responsum hoc tulimus, 'Sibi imputet. Ego quid feci?' Atque hæc, mi Scaliger, quia valde velle visus es, scribo ad te prope invitus. Nam et memoriam illius rei luctu refugit animus, et propter hoc negotium tot calumniis nostra integritas est appetita ut seculi infelicitatem et aversa a simplici vero ingenia hoc maxime experimento cognoverim. Deus Opt. Max. languentis Ecclesiæ suæ misereatur. Sed nos, nisi vanum augurium est, tenebræ manent densissimæ, et ex quorundam peritia aut perversa aliorum scientia errores *ψαμμακοσιογάργαροι, ἐπεὶ τὸ γιγνόμενον ὁρᾷς· οἱ μὲν γὰρ τὰ γράμματα*

οὐ μανθάνουσιν, οἱ δὲ ἐπ' ἀρίστερα μανθάνουσιν· ἀλλὰ ταῦτα ἡμῖν εὔστομα κείσθω. De Eusebio (vid. 339, 1. Ep. 225.) quæ ad Gillottum scribis incredibili cum animi voluptate legi."

301, 12. *G.*] Gillottum? "illæ *εὐχωλαὶ* Gilotianæ." 239, 17.

— 17. *literarum*] Corrige "librarum."

303, 5. *colloquio*] Colloquium illud Possiaci (*Poissy*) celebrabatur A. D. 1571. Kal. Sextilibus capita proponebantur de quibus in colloquio agendum esset. Ad colloquium vocati jam convenerant Augustinus Marloratus, Franciscus a Pauli fano, Jo. Raimondus Merlinus, Jo. Malo, Franc. Morellus, Nic. Tobias, Theodorus Beza, Claudius Bosserius, Jo. Viretus, Jo. Turrius, Nic. Gallasius: ad illos mox se aggregavit Jo. Spina, qui abjurato nuper Dominicanorum ordine tunc primum aperte Protestantium religionem professus est: nec multo post Tiguro evocatus Petrus Martyr Vermilius inter suos magni nominis Theologus in aulam venit. V. Non. Sept. principium actioni factum fuit. Rex (*Carolus IX*) cum Regina, (*Catharina Medicea*) Alexandro fratre Aureliani (*Orleans*) duce, et Margarita sorore, consanguineis principibus et sacri consistorii senatoribus Possiacum venit, et in majore conclavi loco parato consedit: circiter quadraginta Præsules aderant cum delectis theologis; ac præter eos Borbonius, Turnonius, Castellionæus, Lotaringus, Armeniacus et Guisius Cardinales. Ibi Beza porrecta Regi Ecclesiarum Gallicarum confessione ejus capita examinari supplex petebat. Re utrinque inter Præsules et theologos varie disceptata placuit ut ad duo tantum capita responderetur, de ecclesia nimirum, et de cœna. Colloquium ad XVI. Kal. Oct. instauratum. VIII. Kal. Oct. ministri evocati coram Regina, nam Rex aberat, Rege Navarræ, Regina uxore, aliis, sistuntur duodecim numero, et institutum non jam publice sed privatim colloquium. Biduo a postremo congressu in colloquium reditur. Venerat huc Hispanus quidam e sodalitio Jesuitico, ab Hippolyto Atestino Ferraviensi cardinali (*D'Este Cardinal de Ferrare*) qui nuper ad Regem a Pio III legatus fuerat missus: is erat Jacobus Laines ab Ignatio tam late hodie sparsi sodalitii antistite primus præpositus generalis constitutus; qui interfatus cum contumeliosa multa in Protestantes effutisset, simias, vulpes et monstra

appellans, illosque ad concilium a Pontifice indictum amandandos diceret, postremo reginam increpuit, quod harum rerum quæ minime ad ipsam, sed ad Pontificem, cardinales et episcopos pertinerent, cognitionem susciperet: nec fas esse dixit, dum concilium universale celebraretur, hic privatum colloquium reginæ auctoritate institui. Ita inutilibus et interruptis disputationibus dies extractus, et mutata colloquii ratio; delegatique ab utraque parte qui amice de proposita controversia capita conferrent: ii fuere Jo. Montluius Valentinus (*de Montlue Eveque de Valence*) et Petrus Valla Sagiensis Episcopi (*Du Val Eveque de Seez*) Jo. Salignæus, Lud. Butillerius, A. Espencæus, viri docti omnes ac pacis studiosi; quibus compositi Vermilius, Beza, Marloratus, Gallasius et Spina. Conventum inter eos de forma colloquii, loco, tempore et iis qui acta scriptis mandarent. Postridie illi conveniunt, et prolato exemplari Græco Cyrilli Hierosolymitani, post longam disceptationem, tandem ministri caput de cœna in hæc verba conceperunt: 'Fatemur Jesum Christum in cœna nobis dare et vere exhibere corporis sui et sanguinis substantiam Spiritus sancti efficacia, et nos recipere et edere spiritualiter et per fidem verum illud corpus, quod pro nobis oblatum et immolatum est, ut simus ossa de ossibus, et caro de carne ejus; ad hoc, ut eo vivificemur, et percipiamus quæcunque ad salutem nostram conducunt: et quoniam fides verbo Dei innixa res perceptas facit præsentes, ac per istam fidem recipimus re et facto ipso verum ac naturale corpus et sanguinem Christi virtute Spiritus sancti, hac ratione fatemur et agnoscimus corporis et sanguinis ipsius in cœna præsentiam.' Huic ultimæ clausulæ Espencæus, cum præcedentia non ita improbaret, omnino subscribere recusavit; quam pariter a Catholicis in Latina et Græca Ecclesia, in Occidentali, Orientali, Africana, Æthiopica necnon in Germania a Protestantibus improbatum iri aiebat: potiusque ita concipiendam censebat: 'Et quoniam verbum et promissio Dei, cui fides nostra innititur, res promissas facit præsentes, ac virtute et efficacia verbi recipimus re et facto ipso verum ac naturale corpus et sanguinem Christi, hac ratione fatemur et agnoscimus corporis et sanguinis ipsius in cœna præsentiam.' Secundum hæc,

cum delegati cum ministris contulissent, deinceps eodem redire prohibiti sunt: quod ubi ministri videre, ut interpretatione formulam priorem adjuvarent, hæc insuper ad priora illa adjecerunt: 'nulla locorum distantia posse impediri quo minus corpori et sanguini Christi communicemus; quippe cum cœna Domini res cælestis sit et quamvis in terra accipiamus ore panem et vinum vera corporis et sanguinis signa tamen fide et Spiritus Sancti efficacia mentes nostras, quæ hoc cibo pascuntur, in cælum raptas corpore et sanguine præsenti frui; et hac ratione dici corpus vere pani conjungi, et sanguinem vino, sed sacramenti modo, hoc est, minime secundum locum aut positum naturalem, sed quatenus efficaciter significant Deum illa exhibere fideliter participantibus, illosque vere per fidem ea percipere.' Ita solutum Possiacenum colloquium; quo primum libertas publice de religione disputandi in Gallia Protestantibus concessa est, pravo exemplo, ut quidam aiebant, dum errores pridem damnati retractantur; aliis contra id e re publica fuisse dictitantibus cum aliter imminenti tempestati obviam iri non potuerit: nam concepto semel malo opus fuisse laxamento, et irritatos pœnarum atrocitate animos mitigari debuisse. VI. Kal. Dec. domum quisque reversi sunt." *Thuan.* 28, 7–15.

303, 14. *monacho*] Is fuit Jacobus Clemens, Sorbonæ vici Senonum, in S. Dominici familia Agendici (*Sens*) educatus circiter duos et viginti annos natus, literarum rudis.——Narrant——Clementem quo aditum sibi ad Regem pararet, a Carolo Lucemburgico Briennio comite, qui captivus in Luparæ arce (*le Louvre*) attinebatur, literas commeatus petiisse: habere enim se mandata secreta quæ maxime Regem scire interesset: acceptisque a Briennio literis, ad exercitum regium recta contendisse;——Gueslæum (*De la Guele Procureur general*) vero hominem secum ductum ad cœnam admisisse, et mane ad Regem, cum ad secessum in sella sederet, introduxisse sub horam septimam matutinam. Merito dubitatum est suasione aliorum an proprio instinctu solo tantum sceleris Clemens susceperit.——Ceterum introductus monachus, post traditas quas a Briennio attulerat literas, propius accedere jussus, ut secreta mandata coram exponeret, dum Rex chartam

denuo ab eo porrectam attentis oculis percurrit, promptum subito e manica cultrum magna vi connixus in imum ventrem immittit, quo ictu inopinato perculsus Rex cultrum in vulnere relictum propria manu educit, eoque percussorem supra oculum lævum ferit. Tum Mompesacus Loniacus, et Joannes Levius Mirapicensis qui aderant, hominem ictu Regis attonitum, superante ira, prensum humi sternunt, statimque innumeris vulneribus confossum interficiunt." *Thuan.* 96, 8.

306, 10. x. *Kal.*] Ad Scaligerum scripsit Ep. 218: "Cum hesterna die Francofurdiensis mercatus indicem percurrerem, inter libros qui ad proximas nundinas ostenduntur, novum Fœdus inveni cum nostris notis. Eum librum pollicetur Raphelengius vester. Obstupui, mihi crede, amicissime vir, ad tituli illius conspectum. Nam quæ iniquitas est *ἔτι ἐμοῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο,* me inconsulto, ne dicam invito, abortivam illam opellam sub incudem velle revocare? Significaret saltem consilium suum, et detrahendi adjiciendive, quæ desunt, aut superfluunt, faceret potestatem. Taceo publicum odium, quod mihi hisce in locis conflatura est repetita *ἀκαίρως* tempore alienissimo notarum illarum editio."

307, 5. *Præsidem*] Thuanus erat in supremo Regni Senatu Præses: Achilles Harlæus primarius Regni Curiæ Præses.

309, 26. *ille*] Plinius.

316, 15. *alio*] H. Wottono Ep. 1021 amoris sui constantiam professus est.

Lubberti literas acceptas agnovit Ep. 222: delatam sibi a Rege literis publicam professionem. "Ubi advenimus longe alium illi esse animum et re ipsa et ex ipsius sermonibus cognovimus.——Tantumne posse Romanam Μορμὼ, ut ejus respectu Princeps tantus sententiam mutare cogatur? Non enim dissimulavit Rex secum per literas Romanum Pontificem expostulasse quod obstinatos hæreticos tam illustri loco iret collocatum.——Regis quidem erga nos animum nihil propterea esse immutatum multa quæ deinceps sunt secuta palam fecerunt.——Optimum Principem ab omni vi alienum esse certi sumus; e contrario *πάντας τοὺς ἀμφ᾽ αὐτὸν* odium nostri ex Romani Pontificis mandatis vix posse jam continere, id quoque certo scimus."

D. Heraldi Martialem acceptum agnovit Ep. 1022: ab editione scripti cujusdam Gallici abstinendum, consulendum tranquillitati, *ἔριν καὶ ἄτην* sorores esse germanas quæ sibi invicem *ἀχωρίστως* cohæreant.

Dominicum de Vicque Ep. 198 ad studia excitavit.

D. Hœschelium Ep. 201 monuit de suis occupationibus, et locis Photii et Sidonii.

Lectio Ep. 199 gratulatus est Genevæ securitatem partam. "Catharinam" (vide ad 320, 19) "deditione captam constans hic fama: eandem mox diruendam affirmant plerique omnes. Quare unum jam superest, ut ære alieno, quod publice contraxistis liberati pacis artes in vestram civitatem revocetis."

F. Lindenbrogio Ep. 200 redditæ gratiæ, qui studia sua adjuverit: Calignonem "Lugdunum esse reversum ex itinere Massiliensi: ibi nunc illum agere cum reliquis sui ordinis Aulicis nullus dubito."

Velserum Ep. 202 oravit siquid habeat de Spartiano et ejus sociis scriptoribus ut velit communicare. De ipsius negotio "propter Regis absentiam, et aulæ totius, nihil poterat ne tentari quidem a nobis. Posteaquam Rex *καὶ οἱ περὶ αὐτὸν* fuerint reversi, agam cum illustrissimo Cancellario.——Erat autem, cum hæc scriberem, constans fama, Regem post dies quindecim urbem cum Regina esse ingressurum."

Lugduni scilicet tum temporis Henricus matrimonium suum cum Maria Medicea celebrabat. "Maria Medicea Francisci Etruriæ ducis filia, post declaratum nullum prius cum Margarita ante viginti octo annos ab Henrico IV contractum conjugium, solennibus Florentiæ peractis multo cum apparatu, III. Non. Dec. Lugdunum venit. Hic totos octo dies Regem, qui ad S. Catharinæ (320, 19) propugnaculum ut deditionem ejus urgeret, profectus fuerat, summo desiderio præstolata. Tandem v. Eid. Dec. a Cancellario monita Regem prono Rhodano approperare et eo die adfuturum, temporius cœnam sumpsit, atque vix mensis remotis, cum in proximum conclave concessisset, præsto Rex militari habitu adfuit, ad cujus conspectum in genua procubuit, a Rege statim sublevata, qui excusata sua diuturniore absentia, post commutata utrinque honestatis et mutui affectus verba, lecti, quod suum præ

festinatione nondum advenisse diceret, cum ea participationem facere petiit qui ea nocte conjugalis factus est." *Thuan.* 125, 12.

317, 24. *literas*] Ad D. Heinsium Ep. 203, ut laudes sui immodicas posthac omittat. "Duo nobis literarum studia capessentibus contigerunt, quæ vel maximo ingenio virum, nedum me, tardare poterant, ut et ὀψιμαθεῖς essemus et αὐτοδίδακτοι.——Sane cum ea ætate essem, qua te nunc esse ex magni Scaligeri literis conjicio, bonorum auctorum nomina, paucis admodum exceptis, ne fando quidem audiveram unquam.——Meursius quid agat, scire cupio:"

Ad Scaligerum Ep. 204, de censura ejus expectata: de Eusebio: de Commentariis panepistemonis ejus parentis: de notis suis in Novum Fœdus invito et reluctanti extortis. "Nemo jam dubitat, te, cum isthuc venisti, omnes tecum Musas abduxisse et in Batavis κατοικίσαι. Ut mirum non sit tantam isthic eruditissimorum juvenum copiam paucis annis extitisse, quanta hic conspicitur culpa docentium in juventute δοκησισοφία. Quæ mea est in patriam pietas non possum quin exclamem: O Gallia, maximorum ingeniorum quondam parens fœcundissima, εἰς οἷα ἐξ οἵων; Etiam nuper novum monstrum est editum; Mapsilacas quidam γωνιοβόμβυξ (*Marcilius*) qui veterem jurisprudentiam recenti scripto conspurcavit, præmium maledicentiæ improbitatis et illius πανσπερμίας vitiorum quæ ipsum nobilitavit, hoc est consecutus, ut inter Regios Professores adscriberetur. Et erunt qui me hortentur ad provinciam eandem suscipiendam? Mihi vero vel γαῖα χάνοι potius quam ut collega talis viri audiam. Constantiæ meæ in vera religione fructum hunc percipio, quod nihil hactenus mihi cum istis negotii intercessit."

320, 26. *confectum*] Sabaudus præcisa omni auxiliorum spe, subscriptis conditionibus pacis, Taurinum rediit.

321, 2. *Genevensem*] "Longa fuerat cum Sabaudo et Republica Genevensi de jurisdictione altercatio." *Thuan.* 125, 10.

— 19. *liberandos*] "Propugnaculum S. Catharinæ Sabaudus duabus a Geneva leucis ad insidias infestæ sibi urbi ex propinquo struendas, et si capere non posset frænandam eam, ante undecim annos extruxerat." *Thuan.* 125, 3.

"Rex Luisetum (*le Luiset*) venit, pagum qui primo a S. Ca-

tharinæ propugnaculo lapide abest. Rege tam vicino, protinus a Genevensi Senatu ad ipsum delegati venere, qui urbis nomine omne obsequium prolixe detulerunt, orantes, ut jugo, quod per illam munitionem clientelaris civitatis cervicibus impositum erat, antequam e provincia decederet, armis suis excusso, libertatem civibus sub Regii nominis patrocinio degentibus restitueret. Notus puero, sed ante triginta annos non visus, Theodorus Beza venit jam octogenario major, qui senili facundia caussam Genevensium Regi plurimum commendavit, eamque ad regni non solum existimationem, sed etiam et securitatem pertinere multis verbis ostendit: ac postremo navatæ patri matrique olim operæ memoriam renovavit. Rex senem perorantem benigne audivit, et bona spe ut et delegatos a se dimisit, ipsum etiam quingentorum aureorum honorario muneravit, quod a viro jampridem tenuitati assueto ingentis præmii loco acceptum est. Iis discedentibus protinus petita a Rege venia Principes, Proceres, in iisque Suessio (*le Comte de Soissons*), Mompenserius, Aquillonius (*Duc d'Aiguillon*), Franciscus Aurelianus Fani Pauli Comes (*D'Orleans Comte de St. Paul*), Espernonius, Bironus ipse conferto agmine Genevam diverterunt, tanta senatus et oppidanorum lætitia simul et gratulatione accepti, ut ipsi tantam in hominibus tamdiu in Gallia invisis et passim exagitatis humanitatem et patientiam mirarentur." *Thuan.* 125, 9.

"Convenerat initio ut Mommeliana arx et S. Catharinæ propugnaculum vicissim a Rege integrum restitueretur. Verum alias atque alias nectente moras Sabaudo, Rex qui munitionem illam (*S. Catharinæ*) in tractu transeuntibus ex Sabaudia in Sequanos (*la Franche Comté*) Hispanorum copiis destinato relictam rebus suis officere videret, Genevensium, quorum cervicibus imposita erat, precibus victus eam destrui mandavit; quod tanta celeritate factum, Genevensibus in id operam suam animose commodantibus, ut destructionis illius nuncius consilii de loco diruendo capti famam prævenerit." *Thuan.* 125, 13.

322, 4. *res*] "Receptio ducentarum librarum per præsidem primarium" 301, 17.

323, 19. *alia*] Scripsit ad D. Heraldum Ep. 1023, isthic

expeti gratum: terrere vicinos Genevæ hostes: de Pacii exemplo: de Principis benevolentia: tædere se penuriæ verbi divini: perquam iniquo ferre animo quod tam raro, tantis cum difficultatibus Hablonem itur. "Hoc uno excepto cur me præsentis status pœniteat, caussa non est."

325, 24. *præstitimus*] Richardum Thomsonem Ep. 1024 rogavit ut mittat notas in Spartianum. "Nam cum ante aliquot dies in Regia Bibliotheca exemplar unum MS. eorum scriptorum nactus essem, cepi illico illos recensendi atque edendi impetum: resque eo jam adducta ut præla nostra nihil nisi tui beneficii expectatio remoretur."

327, 19. *P. P.*] Paulus Petavius?

329, 26. *literarum*] Corrige "linguarum."

— 28. *Cancellarii*] Pomponii Bellevræi (*Bellievre*).

337, 2. *G.*] Gillotti. 239, 18. 301, 12.

— 23. *literæ*] J. Kirchmanno Ep. 223 quæstionum acceptarum promittit solutiones.

338, 7. *Chrysostomi*] 258, 4. I. Ὁμ. ad Thess. I. ιγ.

339, 1. *literarum*] Kirchmanni ζητήσεις criticas solvit Ep. 224. Scaligeri literas redditas agnoscit Ep. 225: miratur eum diatribas suas in Athenæum legisse: se μαθητεύειν Scaligero gestivisse. "Testis mei hujus voti amplissimus vir, et tuarum virtutum maximus admirator Jacobus Thuanus: quicum serio nuper egi ut per Regis voluntatem liceret mihi isthuc proficisci, et per aliquot saltem menses tibi operam dare. Atque hujus rei facultatem, cum ab æquissimo Rege adhuc impetrare non simus quiti, ab iniquissimo Quæstorum Præfecto jam ferme consecuti sumus. Nam ut ne te lateat rerum nostrarum status, scito luctari nos hic cum iis incommodis, quæ ante annum literis non unis ob oculos nobis posuisti. Itaque γῆν πρὸ γῆς non ex animi levitate sed justis necessariisque de caussis cogitamus. Omnino enim de studiis nostris est actum, si cum hoc genus hominibus diutius nobis res est futura. Et tamen de Principis benevolentia erga nos certi sumus.

"Sed longe nobis favor Regis, quoties ad illum accedendum est qui in ærarii administratione omnes pariter dignos, indignos, bonos, malos, bene aut secus meritos, magnos,

parvos eodem loco habet, eadem vultus truculentia excipit, aut fastidit potius. Quamobrem nisi huic incommodo Regii consiliarii, qui et literas et nos amant, brevi prospexerint, certum est studiis meis quietem alibi gentium quærere; et aliquo migrare ubi quod superest vitæ, procul ab aulico strepitu possim exigere. Non dubitamus multis e Proceribus molestum hoc nostrum consilium futurum: sed enim, mi Scaliger, ex eorum numero qui nos amant, atque etiam fortasse æstiment, multi sunt: qui juvare nos aut possint, aut curent, pudet dicere quam pauci. Trigam, opinor, verorum amicorum hic habemus, Harlæum τὸν μέγαν, Thuanum, et Petavium: cæteri omnes ἐξ ὀνόματος φίλοι, lingua factiosi, inertes opera; omnium autem maxime is, qui Eusebium tibi (*Gillottus?* 300, 21. Ep. 214). Sed continebo me."

De Eusebii mora: "Græcus χρονόλογος de quo nuper scripseram in Palatina Bibliotheca asservatur, nisi fallor, aut inter libros Sylburgii τοῦ μακαρίτου alicubi latet. Ante annos, opinor, octodecim, vivo adhuc parente meo, emeram eum codicem a Græculo quodam, qui nactus cupidum emptorem non prius a me discessit quam aureis prope trecentis me emunxisset. Sed vita functo optimo patre, et per bellicos tumultus parte maxima bonorum illius direpta, cum ipsi interea literas Græcas Genevæ nullis ὀλίγου δεῖν stipendiis publice doceremus, ea mox tempora inciderunt, quæ me cogerent libris parum necessariis ad ea studia in quibus tum eramus alios libros plane mihi necessarios anteponere. Itaque χρονόλογον et aliquot alios ad Fridericum Sylburgium misimus, qui eorum loco alios libros nobis Francofurti comparavit. Sed narrabat nobis idem Sylburgius, cum paullo post animi caussa in Germaniam essemus profecti, plerosque libros, quos a me acceperat, in Palatinam Bibliothecam esse conditos."

341, 4. XI. *Kal. Apr.*] Ad Gruterum scripsit Ep. 226. Opus veterum Inscriptionum quod curat exspectari: "Equidem haud scio quam isthic caleant humanitatis studia: hic illa non jam frigere, sed penitus esse extincta, possum tibi confirmare. Habet sane urbs hæc non paucos, qui has literas et ament et æstiment, quum sint ipsi earum peritissimi. Sed

hæc scito esse τοῦ χρυσοῦ γένους λείψανα, cui partim culpa docentium, partim arcana lege fatorum, ætas successit ferrea, juventus nempe ἀμαθὴς, ἀψίκορος, δοκησίσοφος."

Hœschelium Ep. 227 rogat, silentii quæ caussa?

342, 9. VI. *Kal. Apr.*] Ad Heinsium Ep. 228 scripsit de docti cujusdam emendationibus in Nonnum; Hesychio, et obitu Raphelengii:

Ad Scaligerum Ep. 229 de Græco Chronologo et Fastis Siculis. "Si per inhumanitatem istorum γαζοφυλάκων licuisset, jam esset inchoata auctorum τῶν μετὰ Suetonium editio: ad quam plurima nacti sumus e libris auxilia. Sed qui prævideam futuram brevi migrationem ex his locis mihi necessariam, quicquid temporis mihi aut negotia, aut amicorum officia vacuum relinquunt totum colloco in lectione librorum alibi οὐκ εὐπορίστων."

Lipsium rogat Ep. 230, cur silet?

343, 19. *accepi*] Simul et hæc 363, 84 (*Burn. MSS.*):

"Viro clariss°. Isaaco Casaubono Joannes Camero S.D.—— Jactantur et certis et magnis auctoribus vanissimi rumores, te in caussa relligionis non modo fluctuare sed mutare prorsus sententiam, et vel metu coactum, vel pellectum illecebris seculi, nam doctiorem te esse existimant quam ut possis decipi, a Christo ad Antichristum descivisse. Vix dicam quid senserim cum primum strepitus iste meas aures verberasset. Dolui vehementer conditionem tuam, qui cum tot admirandis et divinis plane dotibus a Deo sis locupletatus ut te omneis venerari debeamus, te tamen non modo negligimus, sed quod multo indignius, ita te contemnimus, ut siqui de te loquatur honorifice, hoc est de doctrina et pietate tua, ille vanus et mendax aut tibi aliquo beneficio devinctus habeatur. Contra siquis mentiatur, sit clarum licet et apertum mendacium, pronis et avidis auribus excipitur. Possum ego tibi hujus mali caussam aperire, ni tibi scirem illam pœnitus esse perspectam: manet alto pectore fixum Judicium Paridis spretæque injuria formæ. Hoc scilicet illud est. Sed tu, vir clarissime, qui sensisti vim mortis et resurrectionis Christi, qui quanta sit Spiritus Sancti, quanta fidei in piorum animis efficacia non tam aliorum verbis quam tua ipsius experientia didicisti, tot laboribus exercitus, toties pæne oppressus, tantis doloribus pæne

exanimatus, et tamen præter omnem spem liberatus, et cum fere sub onere fatisceres corroboratus cælitus, contemnes ista leviuscula, nugas scilicet et mendacia hominum, oculosque altius eriges ad thronum illius judicis cui patent etiam intimi recessus animi. Huic te si, quod facis, probas, adlatrent licet homines vel imperiti vel maligni, ille tibi applaudet efficietque ut integritas tua sole meridiano clarior effulgeat. Nos interea quotquot te novimus, Deum ardentibus precibus interpellabimus ut te robore spiritus adversus omnem Satanæ impetum fortem et invictum præstet, et quantum in nobis erit maledicis tui obtrectatoribus os obstruemus."——*Datum Burdigalæ.*

344, 19. *Eid. Apr.*] Kirchmanni ζητήσεις plures solvit Ep. 231.

345, 1. *Scoto*] Sc. Andreæ Lamo. Vide Ep. 249, ad 371, 7.

346, 5. *Cavarone*] Ad Bongarsium Ep. 1086 scripsit, rem omnem sibi notam ex literis Perolli Pastoris Ecclesiæ Monspeliensis. "Collocatus fuerat Minister quidam Bliterris (Biterras vocant alii, hodie *Besiers*) Ministri cujusdam viri probi filius. Hic educatus a patre, Genevam postea missus, levem eruditionem magna junctam opinione sui, quæ pestis ingeniorum certissima, ad sanctissimum munus attulit. Erat ingenium illius suspectum Pastoribus Monspeliensibus apud quos paucos menses vixit ex Allobrogibus reversus, imperitia vero palam omnibus nota: nam omnes consentiebant, præter prima Hebraicæ rudimenta quibus ille mirifice superbiebat, non multum apud Allobrogas eum studia promovisse. Effecit tamen Pastoris memoria et inopia τῶν τοῦ λόγου κηρύκων, ut munus ipsi imponeretur. Est Bliterris Collegium Jesuitarum χθὲς καὶ πρώην institutum, ubi viri docti veterani suæ professionis juventutem instituunt. Hi juvenem aggressi cœperunt continuis disputationibus ita vexare, ut superioribus diebus ultro in eorum castra transitum fecerit, suis desertis. Re audita accurrunt Pastores: Gigordus in his vir eruditissimus. Nihil prætermissum est quo posset ex eo caussa sciri tam repentinæ mutationis. Frustra fuerunt Ministri, nam ille in conspectum prodiit nunquam."

348, 12. *Gergaviensem*] Corrige "Gergoviensem." Gergovia erat princeps Arvernorum (*Auvergne*) urbs. Literæ extant

Ep. 232: "Sparsum de nobis tota Gallia rumorem, quasi inibi essemus, (quod nec commemorare sine horrore possum) ut puriori religioni, quam ab optimis parentibus acceptam hactenus sumus professi, brevi cogitaremus renunciare.——Ante annum amici, quos habemus in Germania quamplurimos, per literas nos monuerunt Gasparem Scioppium, juvenem amœniorum Musarum *καὶ τῆς ἔξωθεν παιδείας* amantiorem quam gloriæ Dei et veri Christianismi studiosum, Roma ad suorum multos scripsisse, quod religionem mutasset: plurimum se in ea mente esse confirmatum, cum et nos idem non multo post esse facturos cognovisset.——Nuper vero cum ad Pontificiorum partes vir magna auctoritate magnisque in me meritis (*P. Canaius*) transitum faceret, quod non esset obscura amicitia quæ nos arctissime prius jungebat, jactatum hic vulgo, et a multis etiam creditum triste funestumque illius exemplum nos quoque propediem sequuturos, et ut vetus dictum est, *ἕψεσθαι πέρκην μελανούρῳ*.——Est Deo gratia, quod non adeo infeliciter in pietate fuimus a puero instituti, ut *κλυδωνίζεσθαι καὶ περιφέρεσθαι παντὶ ἀνέμῳ διδασκαλίας* ex ignoratione veritatis necesse habeamus."

352, 15. *Bullioneo*] "Henri de la Tour d'Auvergne, Vicomte de Turenne, epousa 1591 Charlotte de la Marck, dame de Bouillon. Le Vicomte de Turenne n'en ayant eu qu'un enfant qui mourut en 1594, le jour même de sa naissance, huit jours avant sa mere, conserva la dot de sa femme, en vertu soit d'un testament, soit d'un accord fait avec les héritiers, soit en vertu de l'un et de l'autre. La nuit même de ses noces le Vicomte surprit Stenai: il fut fait Maréchal de France l'année d'apres, et depuis son mariage se nomma le Duc de Bouillon. Le Maréchal épousa en secondes noces une fille de Guillaume Prince d'Orange, dont le courage sauva son mari, lors de la condamnation du Maréchal de Biron, en se jettant dans Sedan, qu'elle menaça de livrer aux ennemis, si l'on poursuivoit le Maréchal. Il en eut le Duc de Bouillon si fameux dans les guerres de Paris, et M. de Turenne."

— — *Sedanum*] D. Tilenus scripserat 366, 150 (*Burn. MSS.*) optans id fore ut Sedani Casaubonus sedem figeret.

352, 16. *ἀδελφιδοῦν*] Petrum Chabanæum.

— 25. *literas*] Ad Scaligerum Ep. 260, moram in urbe diuturniorem suspectam: de voce *παραβολεύεσθαι* Phil. II. 30 reperta in antiquissimo codice *τοῦ μακαρίτου* Puteani, usurpata a Chrysostomo sequente Paulum (vide 370, 11, Ep. 247): de Astrampsycho in Bibliotheca Memmii. Vid. 372, 26, Ep. 216.

353, 26. *voluntate*] Sc. velle ut Casaubonus Lutetiæ permaneret.

354, 22. *literæ*] Ad Tilenum Ep. 233 Sedanum. "Vix contineo me, quin moras omnes abrumpam, et in tuum tuorumque collegarum sinum convolem.——Dabit, spero, Deus Opt. Max. consilio huic exitum.——Ille Ducem Bullioneum, nisi fallor, impulit ut hoc moliretur: ille idem Regem nostrum flectet ut quod adhuc videtur nolle, quam primum velit."

Ad D. Heraldum Ep. 234. "Suave——fuit Petrum Chabaneum meum *ἀδελφιδοῦν* narrantem audire quæ vehementia sit tuæ adversum nos *στοργῆς*.——Mi Heralde, confide si mei arbitrii res est futura, tuum esse me *καὶ συμβιώτην, καὶ συμμύστην* sacrorum eorundem. Missionem impetrare adhuc a Rege non sumus quiti, sed movebimus constanter lapidem omnem quo communi huic voto nostro quam citissime satisfiat. Opus nostrum in Athenæum lectitasse te non *ὁδοῦ πάρεργον* narrabat idem Petrus.——Non dubito autem multa te in Athenæo, plura in nobis peccata observaturum: eoque nomine gaudio triumpho.——Tu nos multa, scio, docebis: non ille canis impurus (*Marcilius*), qui ex intimo spelæo suo nostrum nomen allatrare non cessat. Illum dico tenebrionem, telluris filium, cujus recentem in Persium commentarium vidisti. O male, quod indignus est indignatione nostra. Nam si ita esset meritus, responsum tulisset."

356, 4. *ἄρτον*] i. e. gestat.

357, 9. *vitæ*] Corrige "vita."

358, 17. VII. *Kal. Jul.*] Ad Tilenum Ep. 235. "Nihil dicam de occupationibus istis et gravissimis, et molestissimis, quæ a literis me multas in hebdomadas avocant. Qua ex re tantum capio dolorem, quantum neque verbis exprimere, neque sane ferre possum diutius.——Adhuc voluntati nostræ Rex

adversatur. Egi cum ipso primum per Rosnium τὸν πανύ· deinde per Colladonium, virum integerrimum: tandem ausus sum et ipse animi mei sensum indicare; orareque obnixe, daret facultatem ab ea urbe excedendi, ubi me cum ipsi, tum in universum omnibus libera purioris Religionis professio reddebat inutilem.——Tum vero Rex commoveri, et serio negare missionem me unquam impetraturum: velle se opera mea in bibliotheca sua ornanda uti: postremo non obscure significare facturum rem ingratissimam, qui posthac de ea re verbum mutiret ullum.——Atque hæc ad illustrissimum Principem (Bullioneum) ante paucos dies scripta."

360, 1. vii. *Eid. Jul.*] Ad Lipsium Ep. 236 scripsit de literis ejus serius traditis. "Quod ante existimabamus fore, brevi ut Lutetia relicta Lares alio nescio quo transferremus, omnino futurum non est, aut certe non tam cito. Missionem enim ab optimo Rege μηδεμίᾳ μηχανῇ impetrare sumus quiti.——Quamobrem id nunc agimus, ut stabilitis hac in urbe fortunis nostris, prioribus studiis nos dedamus, et illustrandis veterum scriptis otium nostrum impendamus." De locis Senecæ.

Ad Heraldum Ep. 237. "Ut nunc res sunt, quid nobis sit futurum juxta scimus cum ignarissimis. Rex ἄπριξ abiturientem retinet, sed retinet blandis verbis."

361, 11. *Roniam*] Marci Velseri negotium aliquod curabat. Ep. 238. 362, 9.

— 29. *Dominæ*] Principissæ Catharinæ, sororis Henrici. "Catherine Sœur du Roi epousa (1599) le Duc de Bar, fils de Charles Duc de Lorraine. Elle étoit Huguenote, et on avoit mis auprès d'elle Cayet, ministre protestant pour l'instruire et la confirmer dans la nouvelle religion. Ce même Cayet devint depuis Catholique et docteur en Theologie; c'est l'auteur de la *Chronologie Novenaire et Septenaire*."

"Henricus Barrensium dux Lotaringiæ ducis filius eo (*Romam*) quoque profectus est (1600), ut absolutionem contracti cum Catharina Regis sorore sectaria labe infecta matrimonii a Pontifice in arcano peteret, ac deinceps cum ea consuescendi ad liberos suscipiendos libertatem ab eo obtineret. Nam morsu conscientiæ, ita a Jesuitis instructus, attineri se dicebat, et longo jam tempore ob id ab ea secubuerat.

Utrumque facile regii oratoris accedentibus precibus impetravit votique compos domum reversus pristinam cum uxore, quam alioqui summe, diligebat consuetudinem repetiit." *Thuan.* 124, 1.

362, 9. *amicos*] Hœschelium, Ep. 239, ἑκόντα se ἀέκοντι θυμῷ mutasse sententiam, qui missionem a Rege non posset impetrare; cupere ut Procopium Hœschelius edendum susciperet; quicquid Lugdunensi via missum fuerat periisse.

Velserum, Ep. 238. De silentio Velseri; suis occupationibus; odio præsentis conditionis; missionem a Rege non impetrari. "Cæterum eam scito rationem esse hujus aulæ, ut certior sit gravissimorum incommodorum ob certorum hominum ἀπειροκαλίαν metus, quam ullius commodi ex benevolentia Principis benignissimi expectatio. Tantum ille unus potest qui unus ac solus regiæ pecuniæ promus est ac condus. Hic ille est, qui invisam hactenus Lutetiam nobis reddidit. Hic etiam est quo repugnante promoveri adhuc quicquam in tua caussa non potuit. Frustra enim jus aut æquitatem rei allegas apud eum, cui ad omnium voces quacunque ex caussa pecunias repetentium aut poscentium aures obsurdaverunt. Nondum tamen de tuo negotio omnem penitus ex animo spem abjeci: adhuc superest una, quam heri primum tentavimus, via. Admoniti enim ab amicis venisse ad Regem Lugdunensium Legatos, qui de veterum quorundam nominum solutione agerent, et in eam rem πόρους χρημάτων novos aperirent, ad illos accessimus deque tuo negotio cum ipsis egimus."

— 19. III. *Kal. Aug.*] Hæc ad D. Constantem Ep. 240: "Dum serio id agimus, ut aulam hanc ὡς πορρωτάτω fugiamus, multas hebdomadas aulici, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ, aulici esse cogimur. O genus vitæ non ad gustum mihi! O jacturam studiorum gravem, quæ quidem si diuturnior futura est, bona fide affirmo tibi, de amico tuo conclamatum est.——Spes meliorum relicta nulla.——Solo hic sumus corpore; animus quam longissime abest. Itaque languemus, et cum nos humana deficiant præsidia, expectamus divina."

364, 5. *uxoris*] Thuanus primam duxit Mariam Brabanzonam Caniam. Statuæ illius e Lunensi marmore factæ et Lutetiæ ad S. Andreæ in arcubus, in sacello Thuanorum erectæ

stylobata Latinam Thuani inscriptionem in antica parte habuit, in interiore hos versus Casauboni.

Αἶ, αἶ, ἀριστογένεθλε, σὺ μὲν βροτέων μελεδωνῶν
Λήξασ' οὐλύμπονδ' ἀσμένη εἰσανέβης.
Κουρίδιον δ' ἄλοχον προλιποῦσα προώριος, αἶ, αἶ,
Ὤχεο θαυμασίη θαυμάσιον Θύανον.
Χὼ μὲν ὀδυρόμενος γοερὸν τὰς νύκτας ἐς ἀῶ,
Ἱμείρει γλυκερῶν, πότνια, σῶν ὀάρων,
Σῶν ὀάρων, σεμνοῦ τε νόοιο, φυῆς τ' ἐρατεινῆς,
Γραπτὸν ἔχων κραδίῃ σῆς τύπον ἀγλαΐης.
Σύζυγι δ' αἰάζοντι συναιάζουσιν ὁμαρτῇ
Ἡ τλήμων Ἀρετὴ, ταί τ' ἄγαμοι Χάριτες.
Οἴ μοι, λευγαλέης ἄτης· τίς νῦν χέρ' ὀρέξει
Ὕμμιν ὀϊζυρῇ τειρομένοις πενίῃ;
Νουσακεροῖς τίς ἐπισκήψει; τίς λύτρα δεθεῖσιν
Δώσει; τίς γύμνους εἵμασιν ἀμφιέσει;
Ἆ δειλὸν μερόπων γένος· ἦ ῥ' ἐτεόν τις ἔειπεν,
Ἐστὶ μινυνθάδιον πᾶν τὸ περιττὸν ἀεί.

Thuanus post triennium duxit alteram, cujus Epitaphium fuit in eodem sacello.

" Virtute et genere nobilissimam Gasparam Chastream, Gaspari Chastrei Nancæni Regiæ majestatis custodum Præfecti Filiam Jacobus Augustus Thuanus Christophori Filius repetito sacramento conjux conjugem nono supra tricesimum ætatis anno cælo receptam, insolabili quantum licuit desiderio secutus est: decimo post mense, anno climacterico, Deus annuit optanti.

" De conjugio per annos decem et quatuor utrimque sanctissime transacto Filii tres, totidem Filiæ communibus votis optimorum Parentum memoriæ tumulum bona piaque mente nuncupaverunt."

Juxta positum est hoc ipsius Thuani.

" Jacobo Augusto Thuano Christophori Filio, in Regni conciliis Assessori, amplissimi Senatus Præsidi; literarum quæ res divinas et humanas amplectuntur magno bonorum et eruditorum consensu peritissimo; variis legationibus summa sinceritate et prudentia functo; viris principibus ævo suo laudatissimis eximie culto; Historiarum Scriptori, quod ipsæ

passim loquuntur celeberrimo; Christianæ pietatis antiquæ retinentissimo.

"Vixit annos 63, menses 6, dies 29. Obiit Lutetiæ Parisiorum Nonis Maii 1617.

"Parcissime censuisse videtur, qui tali viro sæculum defuisse dixit."

364, 22. *amico*] Quem commendavit Ep. 241 Pomponio Belliævræo (*Bellievre*) Franciæ Cancellario. "Cum nudius quintus adiissem ad te, ut hominis conjunctissimi caussam tibi exponerem, quæ tua singularis benignitas est, jussisti me illico domum pedem referre, et literulis meis vacare; nolle enim te, ut propter istius generis curas a lucubrationibus nostris avocemur vel tantillum. Utar, illustrissime domine, beneficio tuo, et nequid nobis temporis pereat, brevi hoc schedio ad præcelsam et illustrem amplitudinem tuam homini amicissimo aditum patefaciam."

— 27. VI. *Eid. Aug.*] Ad Meursium scripsit Ep. 242, literas quas Lugduno ipse miserat periisse; de Meursii libro de gloria, Heinsii Silio, et Hesychio.

367, 26. IX. *Kal. Sept.*] Ad Vincentium Pinellum scripsit Ep. 244, de laudibus ejus confirmatis a Petro Galesio; de ἀνεκδότων Procopii codice, cujus deferendi copiam a Legato Regis petiit.

— 28. *Bartholomæo*] "A.D. 1572. Pulsato Catharinæ Mediceæ jussu Sangermani Templi tintinnabulo ante diluculum IX. Kal. Sept. qui dies B. Bartholomæo dictus est, et in Dominicam incidebat, duo millia circiter hominum protestantium in urbe eo die occisa. Christophorus Thuanus, qui tum primarius Præses erat, tota vita Sanbartholomæam diem detestatus est, illos Italii Papirii versus in dispari re ad eam accommodans

Excidat illa dies ævo, ne postera credant
Sæcula: nos certe taceamus, et obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis." *Thuan.* 52.

368, 16. *amicos*] Labbæos fratres ferentes a Scaligero literas quas acceptas cum multa laudatione agnoscit Ep. 247: παρεβολεύσατο scribendum affirmat pro παρεβουλεύσατο. Vid. 352, 25. Ep. 260.

— 26. *læta*] Lætiora jam sperabat. Hæc Jano Grutero

Ep. 245. De suo ipsius amore: In Burgundia se paucos habere notos et familiares. "Posthac siquid humanis rebus fidendum, rerum nostrarum et certior et melior futura conditio. Quantum enim molestiarum quorundam περιεργία, imo perversitas, nobis exhibuit, tantum optimi et benignissimi Regis amor spondet in posterum præsidii."

370, 11. VI. *Eid.*] Ad Theod. Canterum Ep. 248 scripsit. "——Incolæ hujusce urbis diutius quam persuaseramus nobis videmur futuri.——Malis liberati, quæ regnum hoc prope jam pessum dederant, metu nihilominus et suspicione τῶν μελλόντων δεινῶν non caremus.——Regis maximi conversus ad otium et artes pacis animus læta et tranquilla spondet omnia.——Quicquid sit quod nos maneat, in eadem, nisi fallor animi, et nos et vos sumus navi. Sic enim judico neque nostram neque vestram florere posse rempublicam εὐημερούντων, quod omen abominor, τῶν κοινῶν ἐχθρῶν." De Clementis Alexandrini loco ubi Σάγρᾳ male legitur.

371, 16. *Scoticis*] Extat scripta ad Andream Lamum Ep. 249: "Gratæ mihi, doctissime Lame, multis nominibus quas a te accepi. Quod reducem te in patriam prospera frui valetudine, nostri memoriam simul et amorem servare intelligam, capio ex ea re gaudium pro eo ac debeo maximum. Illud vero longe jucundissimum, quod de Regni vestri rebus qua politicis qua Ecclesiasticis læta omnia et literæ tuæ, et vir ille optimus atque eruditissimus qui eas nobis reddidit, nuntiaret. Fueram diu de te sollicitus; qui non ignorem quot quantisque periculis capita sua objiciunt, qui itinera adeo præsertim longa suscipiunt. Sed me a te mensem unum aut alterum cura de salute tua nescio quis liberaverat, visum te isthic sibi salvum atque incolumem serio affirmans. Publicum rerum vestrarum statum ad firmam et stabilem concordiam esse perductum, coaluisseque omnium animos, qui leviter saltem videbantur in re non levi dissidere, ex tuis primum literis, deinde ex Spotisvodi tui, vel potius nostri, sermonibus cognovi. Egi statim, mi Lame, atque etiam nunc ago Deo Opt. Max. gratissimas grates, cujus immortali erga vos et universam ipsius Ecclesiam beneficio factum, ut erumpenti jam incendio, quod late per Regnum vestrum opinione hominum

existimabatur grassaturum, iretur feliciter obviam, omnisque in posterum (sic enim speramus) fomes, omnia ἐναύσματα atque incentiva mature subtraherentur. O lætum illum et candido lapillo notandum diem, qui vestros omnium animos, non obscure prius commotos, et magnum humanæ imbecillitatis, nisi affuisset Christus ὁ Σωτὴρ, exemplum daturos, unum sentire atque unum velle primus vidit. Iterum iterumque vel μυριάκις potius agimus, Lame eruditissime, immortales Deo immortali gratias, qui hanc vobis piam mentem, hoc prudentissimum suggessit consilium. Sed et serenissimum Regem vestrum plurimum pro sua pietate et prudentia ad tam præclarum facinus momenti attulisse, lætis auribus accepimus, cum de tanti Herois præstantia multa Spotisvodus vester mihi narraret. Beatos vos, qui Regem nacti estis, qualem animo Plato conceperat, oculis nunquam viderat."

Ad Andream Melvinum Ep. 250. "Et quidem amantissime, planeque, ut est apud Poetam, ἐξ ἀτρεκέος νόου. Ea enim est, doctissime Melvine, tua pietas, ea eruditio, ut neminem arbitrer hodie extare bonum, et literarum amantem, cui non sit nomen tuum eximie charum, ne dicam notum. Genevæ primum tua mihi virtus innotuit ex magnorum virorum Bezæ, et τοῦ μακαρίτου Στεφάνου, necnon eruditissimi Lectii, aliorumque sermonibus, quos omnes de tua integritate, probitate, ingeniique præstantia, quoties tui incidisset mentio, multa eximia memini solitos narrare. Scis tu, quos igniculos in animis τῶν καλῶν καγαθῶν excitare splendor virtutis sit solitus ut mihi videatur sapientissime majores pronuntiasse, bonos omnes sibi invicem conciliatos, invicem amicos, quantumvis sæpe intercedant οὔρεα πολλὰ μεταξὺ καὶ κύματα μάκρα. Qui igitur pridem in te, doctissime vir, pietatem et literarum peritiam (quæ duo flagrantissimis semper votis nobis quoque expetita) amem ac tacitus venerer; faciendum tamen duxi, ut affectus hujusce mei testes literas ad te mitterem. En igitur tibi leve quidem, sed certe ἀφελὲς amoris illius testimonium, quem a me, hoc est, ab homine tibi ignoto, constans tuarum virtutum fama expressit. Simul accipe et meam et omnium φιλομαθῶν, quibus de singulari tua eruditione compertum est, æquissimam querelam. Non enim dubitamus

multa in sacris præsertim literis tibi elaborata esse, quæ magno Ecclesiæ Dei bono in studiosorum manibus versarentur. Quid igitur est, cur illa tu premas, et vigiliarum tuarum fructus nobis invideas? At sunt nimis multi, inquies, queis hodie manus pruriunt. Sic est profecto, vir eruditissime, qui scriptis suis innotescant, habemus hodie multos, at Melvinum tamen habemus, opinor, nullum, aut certe oppido paucos. Tu prodi, sodes: et quam personam Deus tibi imposuit, eam sic gere, ut ad nos quoque tuorum studiorum fructus perveniat. Vale, doctissime Melvine: in tuorum numerum me posthac habe."

372, 10. *Regem Scotiæ*] Extat Epistola. "Serenissimo, potentissimo Principi Jacobo VI. Scotorum Regi. Quod minime omnium Majestatem tuam latet, Rex serenissime idemque sapientissime, adfectus ingentis hæc interdum vis est, ut mutis atque elinguibus vocem exprimat. Lydi quondam Regis filio id contigisse, testis Historia antiqua. Ademerat infelici puero vocis usum naturalis quædam linguæ impotentia: pietas vinculum solvit, et opportuno tempore loquela donavit. Simillimum est, quod nunc et mihi Tua Majestas videt usu venisse. Personant aures nostræ quotidianis multorum sermonibus *τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ* commemorantium, quæ ille fecit in ordinanda imo cumulanda Tua Majestate generis omnis dotibus, quarum vel singulas in Principe tanto, jure aliquis non adulandi studio miretur. Est qui benignitatem naturæ tuæ, pari comitate junctam miris laudibus tollat in cælum. Est qui de æquitate justissima, et æquissima justitia, de prudentia, de judicio, quæ in omnibus dictis, factis tuis cernuntur, eximia prædicet ac rara. Alius mihi fortitudinem tuam, cujus grande nuper documentum Majestas tua dedit, meritissimo dilaudat. Versatur jam et in ore omnium amor Musarum tuus, et illa insignis quæ in te est peritia literarum, quæ judicio sapientissimi Imperatoris fundamenta sunt cunctarum virtutum. Super hæc omnia fulget longe lateque pietas tua, Rex serenissime, et purioris Religionis amor, atque in ejusdem professione et propagandi studio firma constantia. Harum igitur tot tantarumque virtutum frequens ac seria contemplatio, cum impulisset me dudum, ut tacita cogitatione atque intimis sensibus sublime hoc tantæ præstantiæ tuæ fastigium vene-

rarer: tandem etiam vocem rumpere, et te, magne Rex, affari compulit, cum præsertim ab humanissimo et eruditissimo Joanne Spotisvodo, quem in comitatu illustrissimi tui Legati hic vidimus, intellexissemus Tuam Majestatem non solum de nostro nomine et studiis inaudisse aliquid, sed et existimationi favere non obscure. Nempe hæc est magnarum et vere διογενῶν animarum natura, hæc indoles, ut eorum etiam, qui possunt minimum, conatus honestos benigne interpretentur, et non minus voluntatis quam facultatis in pendendis cujusque meritis habeant rationem. Certe Suffenus ipse mihi non sum, neque unquam fui, qui ingenii mei brevem nimis modum probe novi. Et tamen diffiteri nequeo, ad nuntium hunc incredibili quodam gaudio esse me perfusum. Nihil enim ad commendationem lucubratiuncularum nostrarum aut sperare, aut omnino concipere animo majus poteramus, quam ut per illas ei Principi vel leviter innotesceremus, qui cæterarum tanto Regi convenientium virtutum gloriam laude insuper eruditionis ivit cumulatum. O salve, et felix vive diu, immortale seculi decus. Absque te haud satis scio an habitura esset nostra ætas, quod vetustati Pios suos et Philosophos Imperatores in Christiani nominis contumeliam jactanti, posset opponere. Unus tu, Rex sapientissime, amore ac studio cum aliarum disciplinarum, tum imprimis pietatis, quæ vera philosophia est, veteres illos tam longo superasti intervallo, quanto divina distant humanis, et, ut cum poeta dicam, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. Sed longe animi judicio meo falletur, quisquis novum hoc veluti sidus ferreo illo potissimum seculo casu aut fortefortuna putabit illuxisse. Solet summus ille rerum Arbiter, quos ad magnas, et ut ita dicam, extraordinarias rerum conversiones elegit, eosdem raris quoque et extraordinariis virtutibus insignire. Regna a majoribus fundata, et quasi per manus inter cætera patrimonii sibi tradita, quietis rebus bene et prudenter administrare, etsi laus est non mediocris, ejusdem tamen, si verum fateri licet, cui etiam mediocria interdum ingenia usu ipso paria se videantur præbuisse. Major animi vis, mens acrior, altior Prudentia in eo Principe desideratur, quem Macedoniæ suæ non capi finibus etiam hostes ipsi (ut est potens veritas vel a conjuratis osoribus suis verum extorquere) sunt fassuri. Estne aliquis

Europa tota, ac prope dixerim toto jam terrarum orbe, quin sciat Magnum Henricum nostrum Regem Christianissimum, qui rebus gestis etiam felicissima Scriptorum ingenia longe a tergo reliquit, ad debitum sibi jure sanguinis Regnum admirabili quodam animi robore, et illis, quas heroicas dixere, virtutibus, magna mole Gigantum fraterculis contra nitentibus frustra multis, viam sibi fecisse? Te quoque, Princeps inclyte, *Majoribus ire per altum auspiciis manifesta fides.* Neque dubitamus magnum aliquid quod loquantur posteri suo tempore editum iri ab excellentibus adeo et præstantibus virtutibus tuis. In quibus commemorandis ac pro virili parte ornandis facerem libenter, qui meus est in te adfectus, aut potius pietas, ut mediocris ingenii vires exsererem, nisi viderem gravissimis occupationibus tuis bono publico esse parcendum. Contraham igitur orationis vela, et cujus potissimum gratia instituta hæc scriptio est non tam meo privatim nomine, quam publico bonorum omnium, quibus hic pietas et virtus cordi, quod ex immani illa conjuratione quæ Majestatem tuam anno oppresserat, memorabili in omne deinceps ævum exemplo, maxime quidem manu cælesti, sed et virtutem ac fortitudinem tuam secundante sis liberatus, cuncti et tibi et universis gentibus, quibus aut jam imperas, aut quandoque imperaturus es ex animo gratulamur. Macte felicitate tua, Rex serenissime, atque illud serio gaude, serio triumpha tam illustri argumento superos palam fecisse teque et salutem tuam sibi esse curæ. Quis igitur adversus te, si Deus a te? *Δυσμενέων παῖδες τῷ σῷ μένει ἀντιάσειαν.* Quod superest, Rex *θεοφιλέστατε*, Deum Opt. Max. assiduis precibus oramus, ut domi forisque omnia tibi tuta ac læta præstet, consiliis atque inceptis tuis adsit, præsitque semper benignus; faxit denique ut Tua Majestas populos a Providentia divina et submissos sibi et commissos quam optime, quam felicissime, quam diutissime regens *Imperium Oceano famamque ut terminet astris.* Tuæ Majestatis devotissimus cliens, Isaacus Casaubonus."—*Lutetiæ Parisiorum a. d.* XII. *kalend. Octob. anno ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας* CIϽ IϽ CI.

372, 22. *inspecta*] Hæc ad Thuanum Ep. 252. "Tandem patuit nobis ad Regis bibliothecam aditus: etsi propius nihil

factum quam ut optimi senis morositas inutile nobis beneficium tuum redderet, *καὶ ἄχαριν χάριν.* Jubebamur enim redire alias, et spem pro re domum reportare." De libris non inventis; *χρονικῷ* Georgii Monachi quod utendum sumpsit; de Excerptis suis e Græco Chronographo unde Siculi Fasti confecti sunt.

372, 25. *literas*] Ad Lamum, Melvinum et Regem Jacobum.

— — *Spotisvodo*] Joanni, Archiepiscopo Glascuensi 1610.

— 26. VII. *Kal. Oct.*] Ad Scaligerum Ep. 216, de acceptis ipsius per Plumbeum literis: "Hæc scribentem *καὶ τοῖς παρὰ σοῦ γράμμασιν ἐντρυφῶντα* febris, quam gravis tussis præcesserat, repente me corripuit et lecto affixit; *κλινήρης* igitur ista adtexebam quum urgeret tabellarius.——Astrampsychum (Vide 352, 25. Ep. 260), habes, et, si meo consilio uteris, gratias ages amplissimo Memmio, cujus instructissima libris præsertim mathematicis bibliotheca tibi patebit in posterum si hoc officium non neglexeris.——De libris Regiæ bibliothecæ *θυμὸν ἔχε ἀγαθόν.*——Amplissimus Thuanus utitur suo jure: heri eo profectus ut omnia explorarem, hominem non inveni: redibo et curabo. Multi jam sunt menses quum Rex benignissimus ei curæ nos destinavit. Et jam codicilli facti essent, quod scimus jussisse eum sæpius: sed adhuc res odio religionis infecta."

373, 24. *natalitatem*] Ad Fontembellaqueum (*Fontainbleau*) Regina (*Maria Medicea Francisci Ducis Etruriæ Filia*) v. Kal. Oct. Sanctorum Cosmæ et Damiani festo die, profunda jam nocte sub undecimam horam magno non solum Regis sed totius regni ordinum, ad quos fama mox pervenit, gaudio Delfinum enixa est. Publicam lætitiam Parisienses festa tormentorum displosione testati sunt, et ubique toto regno civitates; gratiæque in templis passim actæ, erectis in certam successionis in familia regia spem omnium animis, et per eam firma pace in posterum constituta. Nam non satis erat ad publicam quietem certum Regni successorem habere, nisi ex eo prognatus esset cui pacem et salutem universi singulique suam deberent." *Thuan.* 126, 19.

374, 7. *Kal. Oct.*] Ad Thuanum Ep. 253. De Scaligero: "Quod scribis de gaudio tuo ob natum puerum, nemo est bonus et reipublicæ amans, quem is nuncius non compulerit

manus in cælum tollere, et Deo Opt. Max. gratias agere pro tanto hoc tamque insigni beneficio.——Nondum febri caremus, quæ eo suspectior, quo remissior. Domi nos continemus, nisi quod heri maximum virum Florum Senatorem invisimus. O doctum solide hominem; de quo plura coram: plura enim nunc febris non permittit, quam hac nocte solito graviorem sumus experti."

374, 12. *Scaligerum*] Ep. 217: "Simul pedem domo extuli refocillata valetudine bibliothecam Regiam adii, lustravi singula, quantum poterat fieri, diligenter. Inveni nusquam librum G. Monachi cum Theophane.——Cum esset nihil ad manum, quod tibi mitterem, excerpta illa de quibus aliquando scribere ad te memini duxi esse mittenda. Liber unde excerpsimus satis grandis est: ille ipse quem Sigonius et Onufrius semper Fastorum Siculorum nomine indigitant.——Cum fueris usus, si placet, remittas velim."

375, 15. *Stipendium*] Aureos ducenos.

376, 29. *Bullionæus*] 352, 15.

378, 26. *Pastor*] Cayet. 361, 29.

379, 22. *Ebroicensem*] Perronium.

380, 23. *tamen*] Ad Carolum Labbæum Ep. 254, regressum in patriam, quærentemque Ep. 365, 2 (*Burn. MSS.*) quid in Glossario sit Paga mater, locum in Glossario alium Œdipum desiderare. "Æger ista scribebam e lectulo, cum mensem totum et quod excurrit, gravis διάρροια nos vexasset. Accedit languor animi propter aulica negotia, quæ etiam sic affectum prodire cogunt in publicum, magno valetudinis incommodo, rei familiaris autem commodo plane nullo. Jure, mi Labbæe, indignamur: miramur etiam, qui hoc fiat, cum nova quotidie testimonia non vulgaris benevolentiæ Rex nobis exhibeat. Sed omnino latet aliquid ἐνδομύχον."

381, 24. *literas*] Ad D. Hœschelium 255, de Phrynicho, de Procopio. "Auctores post Suetonium dudum prælo subjectos propridem a nobis exspectare te jubeo."

383, 23. VI. *Eid. Dec.*] Ad Scaligerum Ep. 256. "Auxit Rex stipendium nostrum aureis ducentis. Dedit etiam et quidem non poscenti, ac ne cogitanti quidem, codicillos quibus bibliothecæ cura nobis mandatur: cum hoc tamen ut morosus ille

τυμβογέρων qui thesaurum illum obsidet, loco ne moveatur. Itaque codicillos non magni facimus: nisi quod benevolentiæ Regis erga nos non leve hoc testimonium. Quod si non obstaret Pontificis Romani respectus, pridem factum esset ut Regis jussu publice doceremus. Sed mirum est, imo vero *θαῦμα θαυμάτων μέγιστον*, quantum in dies, ac prope dixerim in horas, adolescat in Procerum nostrorum animis illius reverentia, timor etiam et *σεβασμὸς* quem certum est clarissimis notis ante tot sæcula fuisse demonstratum. Ergo etiam fidissimi illius emissarii brevi creduntur revocandi: sequetur mox concilium Tridentinum, ut fama est." Nihil in bibliotheca quod Eusebium adjuvet; de Excerptis Chronologicis; invitum se ad editionem Augustæ Historiæ compelli. "Atqui alia studia nos habebant. Nacti enim ducem ad studia Arabica incredibili quadam cum voluptate paucos menses illis literis impendimus. Dux ille fuit Hubertus Medicus" (*Stephanus, Aurelianensis*) "qui Arabicam linguam jussus in hac schola profiteri, cum a quæstoribus nummum adhuc nullum potuerit extorquere, et scholæ et urbi coactus est valedicere. P. S. de Heligobali, Salambon, Tiberio illo Africæ proconsule, *παραβολεύεσθαι*."

Ad Heraldum Ep. 257. "Dies totos aut literas scribimus, aut amicos visimus, aut ab amicis visimur: quod quidem longe nos habet deterius. Nam ipsi quam rarissime possumus, pedem domo efferimus. Accedunt typographicæ occupationes vergente jam ad umbilicum editione *τῶν μετὰ* Suetonium. Erat animus breves notas adjicere, et levi opera opus illud recensere. Ubi ad rem accessi, serio sensi *τὴν ἐμὴν ἀβουλίαν*. Negotium enim mihi accersivi multo quam initio putabam difficilius, et temporis longioris. Itaque mala nomina imitamur, et urgentem typographum ludimus, eludimus."

Ad S. Simonidem Ep. 1025, nobilem adolescentem ab ipso commendatum ad omnia se officia paratissimum experturum.

384, 2. *ἐξηγήσεως*] Coram audientibus in ædibus suis.

— 10. *literis*] Ad Scaligerum Ep. 258, de invento in Medicea bibliotheca quæsito codice. "Cras, opinor, aut post diem tertium fidei præstantissimi Buzenvalli eum codicem sumus commissuri."

Ad Jac. Lectium Ep. 219, ipsius cupiditatem sui Genevam reditus bene cognitam; sibi Lutetiæ degendum esse. "Rex ipse, si maxime cupiam, ferat nunquam solum me vertere. Hoc ille nobis sæpe affirmavit. Et ut serio nos illi cordi esse sciremus, misit nuper benignissimus Principum, et quidem ultro codicillos quibus ad bibliothecæ curam designamur. Adjectum honorarium ducentorum aureorum annuorum. Ac ne quid liberalitatis deesset, in exactum prope jam annum hunc extendi jussit hoc beneficium.——Censen' potuisse me alibi trimestri spatio tantos in Arabica lingua facere progressus ut jam ingentem sylvam observationum eo spectantium habeam? Hic, hic, mi Lecti, oportebat nos esse, ut Ducem Maurum nancisceremur.——Equidem ingenue fateor post *ἀποστασίαν* veteris amici (*Canaii*) diu mihi exosam fuisse hanc urbem, et ingratam inter tot hostes veræ fidei habitationem. Ferebam animo iniquissimo infaustos nescio quos et penitus falsos jactari rumusculos. Itaque Genevam aut Sedanum, aut nescio quo terrarum cogitabamus. Haud ita Superis visum."

Ad J. Arcerium Ep. 220, de altera Jamblichi editione atque observatiunculis quas ipse missurus est.

J. Drusium venturum Lutetiam salutat Ep. 221: de Francisco Junio qui Tertullianum ediderat. "Mihi nunquam *φιλοκαινία* hæc tanta certorum hominum potuit. Ab illo fonte illæ monstrorum plenæ in Tertullianum notæ prodierunt: quibus nihil aliud auctor, homo sane doctissimus, est consecutus quam ut tali ipsius scripto amici dolerent, inimici gaudio triumpharent."

T. Canterum Ep. 261 monet ternas se scripsisse: observationes de Eleusiniis sacris proferat: siquid habeat de Spartiano, impertiat: sibi filium ejus curæ esse.

384, 14. *Buzenvallo*] *Buzenval* qui legationem apud Batavos erat obiturus.

394, 4. *uxor*] Libellum Tileni laudat Ep. 262, ista exarans cum uxori adesset acutissimis *πλευρίτιδος* vexatæ doloribus. "Omnia me in eo delectabant: argumentum grave; dictio, supra quam de homine peregrino facile credi possit, pura et minime exotica: tum autem illi sales, quibus totum opus est

tesselatum, quem non capiant? Mihi quidem *εἰρήσεται γὰρ τἀληθὲς* in hoc genere solus prope videris regnare. Non enim e plaustro, aut e circo petiti, quales multos in gravissimorum ætatis nostræ theologorum scriptis notavimus sæpe, prorsus, ut ille ait, e compito, e trivio, *ἐκ τῆς κουριακῆς λαλιᾶς*. Tui sales liberales sunt, in queis cum urbanitatis acumine certant eruditionis notæ. Quid multa? Iterum dico, et quidem *ἐξ ἀφελεστάτης καρδίας καὶ φρενῶν ἀπὸ μυχοῦ,* cepisti me, vir eruditissime, et jam ex asse tuum, *μᾶλλον καὶ μᾶλλον* totum me tibi conciliasti. Utinam proficiat hoc catharticum illi *ταλαιπώρῳ* (*Perronio*) cui est a te propinatum. Sed nimis vereor ne vitales illas et *καιρίας* ipsius partes pridem gangræna serpens sit depasta, ut jam ne precibus quidem, ac ne *συμπαθείᾳ* quidem sit locus. Illum igitur sinamus tortori suo, quem dies noctesque inclusum in pectore gestat, et sine dubio experitur."

394, 25. *meliuscule*] Huberto Ep. 263 memorat morbum uxoris, quam languentem Dei manus liberavit: morbum *ἐπιδήμιον* qui Præsulis Bellovacensis matrem abripuit: de Rabbini cujusdam libro de Romanis Imperatoribus.

395, 10. *partem*] Per nobilem Legatum Regium Angliam scripsit ad R. Thomsonem Ep. 264, de epistolarum ad Atticum codice hærente in manibus Labbæorum; de Junianis notis in Tertullianum, et Jesuitæ cujusdam in illis diatribis; se in Historiæ Augustæ scriptoribus et animo et corpore esse totum; de Epistola Græca a Dunæo *'Αττικώτατα* scripta.

Ad H. Savilium Ep. 265 mittens "Catalogum quæ in bibliotheca Regia servantur B. Chrysostomi operum," "De Chrysostomo sic habe. Extare in Regia bibliotheca opera illius prope infinita; sed quorum bona pars *κακῇ τινι τύχῃ* sit *ἀκέφαλος καὶ ἀτελής*, ut catalogum eorum conficere difficile sit et longi temporis. Accedit alia difficultas: sunt enim illius bibliothecæ claves penes hominem et ætatis vitio, est enim *τυμβογέρων*, et magis natura sua morosum, *δυσπρόσιτον, δυσέντευκτον*, et qui Gratiis litavit nunquam. Itaque licet regio diplomate patefactus nobis eo aditus, non tamen facile dictu quibus difficultatibus constiterit nobis hoc quicquid est quod tibi tantisper mittimus."

395, 17. *Patissonium*] "Qui olim Quintilianum edidit homo eruditus et in arte fide singulari uti solitus——parem sibi fide, industria et aliis virtutibus in eam rem necessariis neminem reliquit." Ep. 295.

— 25. *Puteani*] "Claudius Puteanus (*Du Puy*) sub optimis magistris Straulio, Turnebo, Aurato et postea Lambino literis operam dedit. Inde jus civile sub Cujacio didicit. Doctissimorum toto orbe virorum testimonio meruit ut primas inter literatos teneret, nam nihil scripsit, judicioque peracri, quo in censendis aliorum scriptis plurimum valebat potius alienæ gloriæ quam propriæ servivit. Demum in ordinem amplissimum cooptatus, ut in literatorum consessu, sic in illo senatu principem locum facile tenuit, cunctis ejus incorruptam probitatem, in enodandis juris quæstionibus profundam doctrinam, in solvendis litium tricis solertiam stupentibus.——Bellorum civilium incommoditates domo pulsus constantissime pertulit, ac sine ulla privati sensus significatione in moderata fortuna ingentes ac supra conditionem generosos spiritus gerens, ut quanquam numerosa prole auctus tamen alieno prorsus ab omni quæstu animo vixerit.——Ad extremum morbo studiosis fatali correptus est, ingenti calculorum strue——quæ optime de republica meritum civem Kal. Dec. 1594. eripuit, relictis Christophoro, Augustino, Petro dignissimis patre filiis." *Thuan.* 109, 18.

— 29. XIV. *Kal. Feb.*] Labbæos Ep. 266 codicem Epistolarum ad Atticum ad se missum in ipsorum manibus hærere admonet; Spartiani et ejus comitum inchoatam dudum editionem, cum ad proximum mercatum Francofurti non possit perfici, lentius jam urgeri.

397, 10. *dediceram*] Corrige "didiceram."

398, 16. *Annæ*] Fragmentum Ep. 367, 35 (*Burn. MSS.*) "Si vous faictes quelque chose pour Mad[le] Rigotti votre soeur vous faictes œuvre de charite supreme, ou si vous scaviez comme ses affaires vont, acheminez les affaires au plustost qu'en vous servit. Nam res ipsius sunt pessimo loco. Illam ut sororem germanam colo, et lubens ceu te ipsum frequenter video et excipio venientem, et de suis communicantem. Sed sero sapiunt Phryges. Tu siquid potes in ea re de qua scribis

ostendetur cito. Quum res ipsius nomino loquor de facultatibus. 1601, 8 10bre. Pessene."

399, 26. *Pr. Non. Feb.*] Ad Thomsonem Ep. 268. "Nugæ sunt quæ me occupant, et officia amicorum ac mutuæ plerumque ἐπισκέψεις, quas prætermittere οἷοι νῦν βρότοι εἰσὶν οὐ θεμιτόν. Itaque sic fere hactenus viximus: ubi illuxit, patent fores, veniunt amici (si tamen amici dicendi qui studiis meis tantam afferunt perniciem) alius officii caussa, alius ambitiosis precibus a me contendens, ut vel magno Thuano, vel alicui alii Procerum nostrorum, quos velut majorum Gentium Deos colunt, suam caussam commendem." Multa se habere olim edenda si Deus voluerit; novum Persii interpretem (*Marcilium*) indignum esse stomacho suo.

401, 17. *Id. Feb.*] Scripsit ad Scaligerum Ep. 267, de accepta Epistola; de opere Rambanii; de Dactylotheca; de annulis, in altero quorum sculptum caput hominis arietinum cornu gestantis; de Arabicorum Proverbiorum libro.

Ad Baudium Ep. 269 gratulans "ex ipsis pene Orci faucibus ereptum."

Ad Bongarsium Ep. 1026, de recta Broughtoni interpretatione τῆς εἰς ᾅδου καταβάσεως.

403, 4. *patientia*] Corrige "patientiæ."

409, 15. *Bacchanalia*] Carnival.

— 19. *Gourgæus*] Gurges tuus ὁ πάντων τῶν ὄντων καὶ ἐσσομένων λωιολικώτατος Ep. 307.

410, 30. *vix*] Perrotto Ep. 270 agnovit redditam sibi a Vassano epistolam: "utinam is ego essem qui opera mea et industria fulcire scholam vestram possem;" commendat se venerando cœtui Genevensi, nominatim Bezæ.

411, 20. III. *Non.*] Ad Tilenum Ep. 271. "Librum tuum, etiam ante missum a te exemplar, devoraveram, posteriorem dico: nam de illo priore scripsi nuper (394, 4. Ep. 262) τὰ φρενῶν κεῖται ἐν μυχῷ. Sales tuos epistola illa memini laudare: at in altero hoc plus eruditionis et illius γνησίας Θεολογίας inveni, quam in priore leporis, etsi erat lepidissimus, et, siquid judico, εὐφυέστατα παιχθείς. Utinam, mi Tilene, hanc provinciam sumere velles, ut omnibus ἁπαξαπλῶς quæ parepiscopus (*Perronius* 247, 12) iste hactenus tanto nisu

foras emisit, responderes: faceres, mihi crede rem Ecclesiæ Dei utilem et omnibus bonis gratam. Non possumus negare hominem esse semidoctum, et qui id agat summa vi et conatu, ut acceptis *ἄνωθεν* ingenii dotibus in contumeliam auctoris magna dexteritate abutatur. Miserum non *τρὶς καὶ τετράκις*, sed *μυριομυριάκις*. Quanto erat æquius acumen istud et ingenium omne ad illius gloriam comparare, a quo acceperat? Sed purpurei pilei nulla, credo, *οὐρανόθεν* spes ostendebatur. Qui propius norunt, etiam non e nostris, hunc illi esse propositum finem *ἀρχιτεκτονικώτατον* affirmant. Itaque *ὁ μὲν θρηνητέος τῆς μανιώδους προαιρέσεως· ἡμεῖς δὲ ἅτε ἀξιωθέντες ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ ἀτιμασθῆναι* felices et beati.

Ad Heraldum Ep. 272, senescere se amicos visentem, ab amicis visum, literas legentem, literas scribentem.

412, 28. *Scaligerum*] Ep. 275, gratiæ quod ad *ζητησείδια* responderit: de spe lucubrationum ipsius in Martialem: "non cessat in horas per literas per ministros suos *ὁ χξς* (666) *τὸν ἡμέτερον* (*Henricum*) *ἐπισπέρχειν καὶ καθ' ἡμῶν παροξύνειν*. Ille quidem fidei tenacissimus, otiique amantissimus; sed mira est *ἡ τῆς μορμοῦς ἐκείνης δεινότης*, mira *ἐνέργεια*. Itaque, ut ais vere, in præcipiti stant res nostræ." De Arabicæ linguæ studio; de Tiberii Proconsule; de accepto Rabulio. Subjicitur initium Lexici Gallico-Arabico-Turcici.

Labbæis Ep. 273 acceptum codicem Thomsonianum agnoscit.

Spotisvodo Ep. 274 felicem reditum in Scotiam gratulatur, atque illi acceptam refert benevolentiam Regis Jacobi, paratumque sibi perfugium confidit si aliquis casus Scotiam ipsum detulerit.

Ad Andream Dunæum scribit Græce Ep. 1027, amorem suum testans et respondens Græce scriptis.

Justo Lipsio Ep. 276 commendat Paulum Prevotium.

415, 14. *Kal. Ap.*] Scripsit ad P. Canaium Ep. 277. "Nisi mihi certum conscientia mea testimonium suggereret animi in tuo cultu, Amplissime Domine, firmi et constantis, verendum mihi putarem ne diuturnius hoc silentium meum pristinum in nos amorem tuum immutaverit. Nam defuisse me officio meo adeo non nego, ut ultro etiam profitear. Ἀπροσηγορίᾳ autem lentescere etiam bonorum et ex virtute vitam agentium amicitiam non nescio. Ut enim ignis, si fomitem subtrahas, non

ὑπὸ ἀδρανείας, sed per naturæ ipsius leges primo marcescit, deinde etiam extinguitur; sic omnes humani ingenii impetus omnes animi adfectus cessatione minui, tandemque etiam desinere et ratio evincit, et quotidiana experientia palam facit. Si quid igitur et de tua adversus nos benevolentia longiore taciturnitate nostra sit delibatum, ubi illius caussas acceperis, et diligentiam qua deinceps uti cogitamus, fueris expertus, non dubito, qui tuus est candor, amplissime vir, sarciri et quasi in integrum restitui priorem posse gratiam. Quod autem tot menses literis nostris carueris, per meam et meorum valetudinem, nonnullorum etiam obitus quos necdum eluxi, scito accidisse. Nam a discessu tuo dies prope dixerim abiit nullus, qui novam subinde caussam et materiem doloris non attulerit. Ita multa adversa ἀθρόως proximis mensibus in nos ingruerunt. Huic fortunæ meæ, non mihi, condonare te æquum est, quicquid apud te culpæ indiligentia nostra fuerit admissum. Ipsi, audebo dicere, peccavimus nihil, qui dies noctesque etiam inter gravissimos mentis sæpius, interdum et corporis cruciatus de te assidue cogitavimus, veteris amoris in nos tui memoriam sanctissime summaque religione custodientes. An simus defuncti tot malis novit Deus, non ego. Sed quicquid illud sit, quod nos maneat, priorem cessationem emendare certum est, neque committere, ut nostrum in hoc genere officium posthac jure unquam σὺν Θεῷ desideres. Felicem tuum isthuc adventum, quia serum et ἕωλον, gratulari tibi prætermitto. Sed quod Venetus aër sanitatis tuæ rationibus parum sit accommodatus magno cum dolore meo intellexi. Fama fuit cogitare te eo nomine de reditu, quem modis omnibus faustum atque felicem opto tibi quam vehementissime. Mitto ad te integerrimi et præstantissimi Thuani literas, a quo amari te et pro tantis ingenii dotibus ἀξίως æstimari plane mihi compertum est. Quare non dubito daturum te operam ut in eo quod a te petit votis ipsius fiat satis: eadem me quoque tot jam vinculis obstrictum magis et magis tibi devinxeris. Nam etsi mens nostra assiduis hisce casibus obtunsa in fastidium sæpe studiorum venit cum tamen agere nihil non possit, urgere priora incepta, et nescio quæ parare posteris fortasse profutura perseverat. Quamobrem oro obsecroque te, vir am-

plissime, quod fecisti hactenus, porro etiam velis facere, meos ut conatus adjuves, et libros, quorum nulla hic copia, ad magnum Thuanum, et ipsius et meo etiam nomine quam primum occasio dabitur, cures mittendos. Vale, præstantissime Domine, et me ama. Deus Opt. Max. te cum omnibus tuis servet, beetque. Uxor, ex gravi et diuturno morbo nondum refocillata et tibi, et nobilissimæ tuæ uxori læta omnia mecum precatur." Vide 432, 24.

415, 21. *Non.*] Ad Dionysium Pætum Græce Ep. 1028, laudans τὴν Ἑλληνικὴν ejus παιδείαν.

416, 29. *Rege*] (p. 34.) "Innotuit nobis antehac insignis tua prudentia et eruditio: nunc adfectus tui erga nos, et cultus non levem fecisti significationem. Uterque gratus, etiam literæ tuæ quæ effusæ in nostras laudes. Quanquam illud Tragici hactenus perplacuit, animo magis quam voce laudari velle, tamen non diffitemur nos plurimum lætatos laudatione tua. '*Pulcrum*' ait ille, '*laudari a viro laudato*; annon a te? cujus nomen jampridem perclaruit in nostro orbe. Perge, per nos licet, laudare, colere, venerari, aut siquid aliud ducis mage nobis dignum, id face: nihil a te quod non gratissimum. Amamus enim eruditionem tuam, pietatem, prudentiam, acre judicium, et insignem animi temperiem, quorum nomine (et hæc non ultima laus, non minima) vales gratia apud Regem fortissimum et potentissimum. Gratulamur ex animo utrique vestrum; tibi quod honos sit habitus virtuti tuæ; illi quod ad cæteras virtutes hanc adjecerit vere regiam, cultum hominum literatorum: O felicem Galliam, si tanto Principe, si tam præclaris ingeniis diu fruatur. Ruebat regnum per motus bellorum civilium: ille retinuit; ille effecit ne jam animam agens exspiraret Respublica. Silebant artes, et tantum non peribant bonæ disciplinæ; vos restituistis. Quid est quod non hinc speremus, dummodo pax constet et libertas liberæ genti? Sed Deus videbit. Litigia in Religione, ut intelleximus, inter vos satis fervent, nec remittunt adversarii quicquam de veteri pertinacia. Mirum quod in tanta luce non pudeat errorum, mirum quod non tædeat viros puerilium nugarum. Romanos porro certum est omnia miscere in gratiam sui Pontificis; serunt odia inter

Principes; adimplent omnia suspicionibus; pacem Christianæ Reipublicæ sibi noxiam arbitrantur: etiam involant in jura nostra, et regna divino humanoque jure nobis debita aliorsum transferre conantur. Hæc persentiscimus, et quam humanitus fieri potest, cavemus, securi de eventu. Deus enim hucusque a nobis, et in posterum, ut speramus. Tu vero, Casaubone, quicquid nostra scire interest, per literas, dum occasio erit, significabis. Scis quid momenti habeant opportuna nuntia, præsertim in rebuspublicis. Pietas tua et affectus de quo multa apud nos Spotisvodus noster, hæc suadent: dein tu sub Principe, quocum nobis conjunctissima est amicitia; in illa Ecclesia, cujus status nos habet valde sollicitos. Optamus certe prospera omnia; nos interim prospicimus Ecclesiis nostris, certi una cum imperio propagare certam in Deum fidem. Exteris, si dederit Dominus, opitulabimur: nunc, et sicut hactenus firmum nobis est, studia bonarum artium, sed et earum fautores fovere: namque hæc ornamenta regnorum ducimus et firmamenta. Rectissime Seneca et ad nos: *Etsi nostra magis refert fortiores fieri quam doctiores, tamen alterum sine altero non fit: non enim aliunde venit animo robur quam a bonis artibus, et a contemplatione naturæ.* Ignoscimus Philosopho, quod non adjecerit studia pietatis, quæ nos tamen ante omnia semper poscimus et meritissime: Μία φυλακὴ εὐσέβεια· εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ· Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. Quod superest, impeditum in Scotiam iter tuum superiori legatione moleste tulimus; nobis multo potius coram tecum sermocinari quam per literas; et dabit illud Deus aliquando, confidimus, fortasse in locis non ita dissitis. Tu perge interea, dum hoc fiat, quam iniimus amicitiam crebrioribus literarum alloquiis fovere, ita feceris nobis longe gratissimum. Nunc quoniam itur ad occupationes publicas, te, charissime Casaubone, salvere jubeo et valere." *Edinburgi in palatio nostro suburbano. Kal. Febr. anno salutis* CIↃ IↃ CII.

421, 16. *Regem*] "Tantine Tuam Majestatem, Jacobe, Rex serenissime, leviculum illud nostrum scriptionis officium fecisse, debitum pridem heroicis virtutibus tuis, ut literis meis statim, non multo secus atque in privati hominis modum

responderes? ut in tanta negotiorum mole hanc curam susciperes, et aliis et multis *προυργιαιτέροις* anteverteres? Adeone te fastigii tui aut meæ humilitatis rationem habuisse nullam? Nempe illud supererat, Rex maxime, ut etiam mihi privatim, civilitatis tuæ, et illarum tot tamque illustrium virtutum specimen præberes, quas longe lateque radiantes dudum in te cum omnibus bonis, qui ubique gentium degunt, tacitus sum demiratus. Equidem ut vidi, ut legi quas ad me Tua Majestas dignata est scribere, gaudione majore fuerim affectus, an admiratione stupefactus non dixerim facile. Nam quæ hæc est tam ingens, tam inusitata comitas? quæ tam obvia benignitas? Deum immortalem! quam hodie, non dicam ordinis tui Regum et Principum, sed omnino Procerum pauci vitam ad hoc exemplum instituunt! Inter illos paucos Tuam Majestatem, Jacobe, Regum decus, non dicam censeri debere; verum de loco principe cum uno fortasse aut altero *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι*, contendere, ambigit hodie mortalium nemo. Olim de magno quodam populi Romani Senatore vir disertus dixit. *Nihil aliud esse quam ex omni bonarum artium congerie collectam perfectionem.* Absit invidia verbo; sed profecto meliore nunc jure de Tua Majestate communis gentium consensus vulgo idem prædicat; Ut jam quacunque in orbis parte positus aliquis tuum, Rex sapientissime, nomen audierit, perfecta magni Principis imago simul illi in mentem veniat. O illum beatum populum, cui talis tantusque Rector *θείᾳ μοίρᾳ* obtigit! Beatiores tamen illos, qui excellentissimas Tuæ Majestatis dotes familiarius norunt, propiusque mirantur. Super omnes beatum te, imo beatissimum, qui tam insignem hanc gloriam, et omnia, quæ Dei Opt. Max. liberalis manus in te non effudit, sed profudit, bona atque ornamenta auctori, unde habes, fers accepta. Persta, magne Rex, in ista ratione propositi, atque illud firmiter crede virtutum cæterarum, omnisque adeo felicitatis genitricem, conservatricem, amplificatricem Pietatem esse, et in ea fide quam a puero imbibisti *ἀμετακίνητον* constantiam. Oro supplex venerorque *τὴν παναγίαν ἐν τριάδι μονάδα*, ut promovendæ gloriæ suæ, et imperii tui propagandi, faciles certasque Majestati tuæ rationes suggerere, teque nova semper laude florentem, nepotibus ac pro-

nepotibus nostris servare, perfecta denique beatitudine *καὶ ἐν τῷ παρόντι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι* velit cumulare. In hoc voto finem faciam, ne publica Regni tui negotia intempestivo otio meo interturbem, si hoc unum tuæ Majestati oravero obtestatusque fuero, sic de nobis sibi persuadeat, tuum unius nomen in terris esse quod secundum clementissimum herum nostrum, Henricum Magnum, Regem Christianissimum, omni cultu, observantia, veneratione, devota mente colamus, et æternum simus culturi." *Lutetiæ Parisiorum a. d.* XI. *Kal. Mai.* CIↃ IↃ CII.

421, 16. *auctores*] Radesianum (*De Retz*) Thuanus nominat inter eos qui aderant, ubicunque consultabatur de rei exequendæ ratione. "Regina media jam nocte verita ne Rex quem ad facinoris atrocitatem adhuc fluctuantem ac nutantem sibi animadvertere videbatur mutaret, in ejus cubiculum descendit; quo et continuo Andinus (*Anjou*), Nivernius (*Nevers*), Biragus, Tavanius, Radesianus, ex compacto et post eos Guisius venerunt. Ibi hæsitantem Regem post longum ultro citroque habitum colloquium, a matre increpitum memorant, qui tam pulcram a Deo oblatam debellandorum plane hostium occasionem cunctatione elabi sibi sineret. Quo sermone quasi ignaviæ insimulatum se sentiret feroci animo Princeps et fundendo sanguini assuetus inflammatur et rem exequendam imperat. Igitur Regina ejus impetum, ne mora relanguesceret arripiens, signum, quod hora ante lucem dandum erat, maturari jubet, et ex propinquiori Sangermani Antissiodorensis (*Auxerrois*) templo tintinnabulum pulsari."

422, 20. *recordatio*] Sc. negotii Plessiaci.

— 28. *Kal.*] Corrige *Non.*

— 30. III. *Non. Mai.*] Henrici Lindenbrogii post sex annos scribentis notas se accepisse agnoscit Ep. 278; Augustæ historiæ scriptores illustrandi pigere se fatetur.

423, 26. *amisimus*] Hœschelium Ep. 279 monuit Chrysostomi scripta quam plurima in Regis bibliotheca extare, adhortans ut in Procopio edendo laboret.

Velsero Ep. 280 promisit se enisurum ut proximis Nundinis Cæsareæ Historiæ scriptores sex cum notis suis prodirent; quærenti de Cn. Pompeii et Cleopatræ tempore

conjectura respondit; rogavit ut Hœschelium urgeret in Procopio.

424, 9. *cætera*] Ducæum Ep. 281 laudat in Græcorum Patrum illustratione operam ponentem; narrat H. Savilium magnis ex Angliæ, Galliæ et Germaniæ bibliothecis paratis subsidiis Chrysostomi opera Græce Latineque Lutetiæ edenda curare.

425, 5. x. *Kal. Jun.*] Tornæsio Ep. 282 se excusat, qui non scripserit.

428, 8. *Bironium*] Jam mense Martio——Jacobus Lafinius Bironi consiliorum ab initio particeps et auctor——delator acer ad Regem clam venerat, et——testimonia molitionum Bironi quæ penes se servaverat manu ipsius scripta apud Cancellarium deposuerat.——Bironus Eidibus Juniis Fontembellaqueum improvisus advenit.——Cum Rex Bironum ad ingenuam consiliorum in se initorum, de quibus aliunde constare sibi dicebat, confessionem hortaretur——plenamque confessioni veniam paratam ostenderet, ille contra non ut se purgaret, quippe a criminibus objectis innocens,——ad aulam venisse audacter respondit. Rex tamen qui ægre faceret ut summo jure cum viro de se deque nomine Francico tam bene merito ageret, spatium deliberandi ei relinquere voluit. Postridie summo mane Rex in hortum——Bironum vocari jussit, cum quo diu collocutus——ut ex ipsius ore de rebus——satisfieret, enixe rogavit——eadem semper quæ initio illo respondente.——Post cœnam denuo Rex ne quid intentatum relinqueret——urget ut quod jam sciat, ipse sibi patefaciat; quo recusante, Atqui, Birone, quod negas, Rex infit, ego ab Arvernorum comite an resciturus sim pro ultimo conatu tentabo. Is participare Bironi consiliis arguebatur. Itaque et ambo comprehendi statim jussi——et ambo sub custodia totam noctem a regiis stipatoribus asservati, Birono sua merita et ingratitudinem alienam importuna verborum petulantia identidem exprobrante. Mane——decretum ut Bastilia includerentur, cum iisque, legibus, more majorum ageretur. Igitur XVII. Kal. Quintil. per flumen Lutetiam devecti et Bastilia inclusi. *Thuan.* 128, 4.

— 10. *Auverniæ*] Vel Arverniæ. Carolus Valesius Arvernorum comes (*Charles de Valois Comte d'Auvergne*) qui cum

Birono captus fuerat cum——videret——apud sagacem principem ad periculum vitandum confessionem ingenuam sufficere, [Octobri demum mense] ex reo delatoris partes induit, et molitionibus ac consciis detectis in gratiam receptus est, ac libertati restitutus. *Thuan.* 128, 9.

430, 18. *Pr. Kal.*] Caroli Labbæi Ep. 283 consilium de Glossariis laudat; de Zonaræ Lexico et Macrobii loco.

431, 18. *Lipsium*] Ep. 284 agnoscit acceptum Epistolarum Syntagma quod 4 Non. Mai. miserat Lipsius 365, 87 (*Burn. MSS.*), se esse in Auctoribus Historiæ Augustæ.

— 20. *Scaligerum*] Ep. 285 plures se ejus accepisse; Cæsareanos se scriptores non ante publicaturum quam ipsius de Inscriptionibus opus viderit; expectare patris ejus commentarios, ipsius Eusebium; laudat Heinsii Tragœdiam.

Heinsium, Ep. 286 Tragœdiam *Auriacum* admiratur; operam ejus in Hesychio poni vehementer gaudet; Nonnum ab erudito quodam viro multis in locis emendatum, et Priscianum Scaligeri missurus.

Grotium Ep. 1030 egregie laudat. "Quia æquales tuos pridem superasti, tecum certa."

Ep. 287 queritur nihil responsum literis a se datis sub anni principium; se casu apud Episcopum Bellovacensem in bibliotheca ejus incidisse in Cyrillum MS. Græcum, cui erat adjuncta Latina versio MS. cujus in ima cera nomen erat Bonaventuræ Vulcanii.

432, 24. *quales*] Extant 364, 57 (*Burn. MSS.*). Multa epistolæ loca obelis ductisque lineis Casaubonus, nonnulla vocibus signavit. Voces additæ Italica forma excuduntur. "Clarissimo viro D. Isaaco Casaubono P. Canaius a Fraxinis S. D. Quas ad me Kal. April. (415, 15) dederas, vir magne, Kal. demum Juliis ad me venire mirari satis nequeo. Sed quantumvis veteres novi tamen et ingentis gaudii materiam nobis attulisse nemo unquam dubitabit qui de carissimi et toto pectore recepti amici jactura in periculum aut dubium aliquod venerit. Equidem etsi de tua in nos fide dubitare nefas mihi semper fuerit, fateor tamen ingenue absentis silentium præsentis ἀπροσηγορίᾳ et deminutæ familiaritati adsutum, animum meum eatenus pupugisse ut subolfecerim te amicorum scilicet tuoque nomini faventium hominum consiliis adductum fuisse ut

crederes e re et existimatione tua omnino non esse cum transfuga, cum apostata, cum Ecebolio et ejusdem farinæ titulis onusto amicitiam colere, nisi te ejusdem criminis conscientia damnatum in profundum maledicentiæ baratrum bruti alicujus fulminis ictu una cum illo detrusum velles et perditum. Hoc, inquam, credidisse me fateor. Hoc sane te sensisse non est quod dissimules. Sed remotis arbitris et omni Dominæ nostræ disciplinæ metu dic, anime mi, sed dic libere et pro tuo candore, an fieri potest ita te malæ educationis et consuetudinis vinculis detineri ut arbitrio et judicio tuo uti non posses? An scriptum usquam reperisti Ecclesiam illam a Christo et Apostolis certa immutabili et visibili πολιτείᾳ constitutam ut filios Deo pareret, ut veritatem assereret, ut falsitatem convinceret et pro sua auctoritate condemnaret, Ecclesiam, inquam, illam solam Christi sponsam senio tandem, vel si aliis placet ante senium, in ipso ætatis flore ruituram in fumum et fæces, vel in sparsa rudera desituram; ac novam demum ordine quodam inaudito, non scripto, non tradito prodituram, rebus, nominibus, ritibus, totis denique viribus cum antiqua illa et scissa pugnantem, seculis omnibus et annalibus Christianorum sibique ipsi contrariam, nullis miraculis testatam, nulla ordinatione legitimatam, nulla Evangelii propagatione, sed Ecclesiarum innumerarum vastatione illustrem, sola paucitate et portentosa novitate inflatam, in ipso fere ortu confectam et effœtam, per seditionem et turbam florentem, in pace et ingenua veritatis palæstra languentem. Hæc sane te dudum pro tua ἀγχινοίᾳ animadvertisse, ideoque non sine summo dolore et necessitudine isthic adhærere non nescio (*falsissimum*). Sed quominus ad nos transeas multa dissuadent; fastus et mores a Christiana pietate et charitate in multis Ecclesiasticis nimium discrepantes, vocationes Simoniaca labe plerumque infames, doctrina inter paucos abstrusa, doctrinæ abusus, et praxis deplorabilis; ejusmodi sexcenta: nec contradico. Sed quicquid sit, Nigra sum, sed formosa. Quamdiu foras stas, vitia tantum vides ac mala. At si sponsæ thalamum adeas, si in castissimæ (*Romanæ!*) matris amplexus tandem admittaris (*ridiculum*), tum demum quæ et quam admirabilis sit illius pulchritudo et puritas perspicies. Eccle-

sia illa una ad salvandos homines instituta et mirabili ἱεραρχίᾳ adversus temporis et Sathanæ ipsius vim omnem instructa, non est, non fuit, προσκαιρόν τι, sed æterna et immobilis columna vitalis. Ecclesia illa Dei non est, non fuit, non erit unquam invisibilis illa chimæra, hæreticorum omnium asylum, fanaticorum omnium diverticulum. Contradicant, allatrent quicquid velint, Christus secundas nuptias non facit. Mentiuntur falsa et illegitima pacta fucatæ et novo more comptæ concubinæ vel potius meretrices forma reformata infames in dominæ lectum et dignitatem nunquam ascensuræ. O maxime Casaubone, Evangelium semel cum Christo natum non renascitur nisi cum Antichristo, nec renascentis Evangelii voce vestris adeo familiari adeo speciosa Christianis et piis auribus quidquam portentosius aut φορτικώτερον audiri potest. Hoc te nemo melius novit, nemo melius sentit (*falsissimum*). Et tu hæres: et tu contra animi tui sententiam, contra animæ tuæ salutem, contra tua et tuorum commoda juratus, imperitorum, ne dicam impiorum irrisorum scamno affixus jaces; nec te res rebus omnibus quæ videntur et tanguntur illustrior convincit, (*Quo ruis?*) nec te rationes tot scriptis tot colloquiis probatæ ducunt, nec te tot externa trahunt, nec te tui cura ulla monet aut futuri cogitatio mordet; cum in te sit positum, in uno te inquam situm sit animo simul et corpori, imo familiæ toti, uno opere pio, facili, honesto, necessario prospicere et sordibus omnibus abstrusis te laude clarum reque lautum splendida istis oblatratoribus ostentare, a quibus præter obscuram et genio tuo intolerabilem servitutem quid speres non video. Ago fortasse nimis rustice, nimis abrupte cum viro nobis non jam ut olim dedito, et nostræ levitati, (sic enim ingenua docilitas audit) non leviter offenso. Ago tamen cum amico veteri, candido, et quantumvis male consulto, et male de nobis judicante, semper tamen carissimo quemque nosse vel meminisse prius desinam quam suspicere colere et amare. Egone tecum circuitum et dimidiata vel suspensa verba quæram, quem amoris nostri acies indefessa noctes et dies intuetur, pro cujus salute et illuminatione tot lachrymas istis oculis fundimus, tot suspiria ad Deum illum verum, verum nostri amoris auctorem, imo pectore mittimus,

quemque inter omnes mortales quos terra sustinet unum elegeramus, quocum non aliter ac nobiscum omnia nostra bona et mala individua vitæ societate communicaremus? Sed addere plura chartæ simul et temporum angustiæ prohibent, et properantis barbaries purgatas tuas aures non verberatim verberat, imo flagellat. Ex hoc igitur tuas tandem ad me pervenisse cognosces. Libros quos cupis inveniam, sed magno et Judaico plane pretio. Cum tu ita jubeas, emam. De mittendi ratione sum solicitus. Si veredariis nostris committam, care nimis caballi sui lenioribus tantum ferendis nati sudorem vendunt. Si mercatorum mulis imponam, tardum est animal, nec nisi raro in hac commercii prostratione se offert. Quid melius videatur indica. Mandatis omnibus et tuis et illustrissimi Thuani satisfaciam. O utinam in uno tantum tibi potius quam mihi Deoque inprimis satisfaciam: quo sine tibi nunquam erit bene, tibi tuisque in dies pejus erit et tandem pessime. Scribam *σὺν Θεῷ* commodius et minus properanter antequam exeat mensis. Cæterum de turbis istis novis quid videas, quid audias, quid judices velim prolixe et pro nostra curiositate diffuse scribas; facies rem nobis gratam simul et necessariam. Ego et conjux tibi tuæque lectissimæ et charissimis vestris pignoribus salutem et prospera omnia precamur a Domino Patre et D. N. Jesu Christo. Amen. Vale. Venetiis VI. Non. Jul. 1602."

Ibycus olim dixit *Δέδοικα μήτι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν τιμὰς πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.* Vid. 439, 11. Ep. 304.

433, 4. *literis*] Hœschelio Ep. 296 commendat Tardiæum. Hœschelium Ep. 297 rogat ut adolescens Augustanus ab ipso sibi commendatus demigret, voluntate patris intellecta, a Mago mercatore ad Galandium Gymnasiarcham notæ probitatis.

Ad Tilenum Ep. 299. Lecto ejus libro velle se *ἀντίδωρον* mittere; lentitudinem operarum non pati; opus suum crevisse. "An erit unquam illa dies cum *τῇ σοφιστικῇ καὶ ταῖς ἀπὸ τῆς ἑπταλόφου ἐλπίσιν ἀποταξάμενος* Antagonista tuus (*Ebroicensis*) veritati manus dabit?——Sed vetat nos hoc sperare *ἡ τῆς καρδίας πώρωσις, πάθος θεήλατον* eorum hominum qui agnitam veritatem infesto animo persequuntur. Miseret

me illorum, maxime autem veteris amici mei (*Canaii*) qui Venetiis nuper ad me literas dedit (432, 25), accuratissime scriptas ut me ad suas partes traheret. Ibi vir ingeniosissimus et facundissimus multis disputat extra Ecclesiam esse me, quæ una sit, Romana nempe, omnibus numeris perfecta: hæc una Christo legitima sponsa; in hac una speranda salus; et hoc genus quisquiliarum. Nosti enim repetitam toties cramben. Ille autem non contentus immeritis laudibus Romanam Ecclesiam ornare, nostram insuper convitiis proscindit, et quanta maxima potest ingenii vi nostros lacerat, improbos, impios, irrisores nominans et turbarum auctores et quid non?"

— 6. *literis*] Ad Bonaventuram Vulcanium Ep. 288, Cyrillum MS. illi Episcopum Bellovacensem donare velle. Vide 431, 20. Ep. 287.

Geverhartum Elmenhorstium Ep. 289, Juvenali quem edebat velle se notas addere.

Scaligerum Ep. 290, de redditis tribus Epistolis quas Ep. 287 *μεμψίμοιρος* desideraverat, et expetitis lucubrationibus ejus in opus Inscriptionum.

— 15. *literis*] Ad Lipsium Ep. 291 amore se otii et tædio scriptionis non nimis vigere; juvenem ab illo commendatum Ep. 364, 88 (*Burn. MSS.*) nondum vidisse; scire se cupere quis sit ille infrunitus lanapugnarius cujus notæ in Tacitum nuper prodiere:

Wottonium Ep. 292, pristinam se consuetudinem maxima cum voluptate recognoscere:

Joannem Caselium Ep. 293, illum se laudare et admirari; *αὐτοδίδακτον* se et *ὀψιμαθῆ* confiteri:

D. Hœschelium Ep. 294 de acceptis literis, de Hadriani *εἰσαγωγῇ*, de Procopio, de Epicteteis, de Eclogis *Πρεσβειῶν*, de Herodoto quem valetudini suæ consulens non diutius interpretatur, de otio suo.

434, 13. *finis*] "Bironus læsæ majestatis reus pronunciatur, decerniturque ut in platea Portuensi (*place de Greve*) capite plecteretur.——Facto decreto Rex——diplomate obrogavit, et reum non in platea Portuensi, sed in Bastiliæ area, ne tumultus confluente, ut fit, ad spectaculum plebe exoriretur,

plecti voluit, quod et factum.——Sub horam IV pomeridianam cum publicus minister conclave ingressus esset, ut eum vinciret, ille ab eo tangi, et omnino vinciri recusavit, minis ferociter additis, si contra pergeretur, et sponte in aream descendit, ubi ad scalæ gradus precibus ad Deum conceptis, se fratribus commendavit, eos obnixe rogans ut fideli obsequio Delfinum colerent. Postea sibi fasciola oculos velavit et crines a tergo substrinxit, nam a carnifice tangi nunquam passus est; et in genua procumbens tanta celeritate ictus est, ut ensis extra jugulum appareret, antequam caput a cervice recisum humi caderet. Corpus ad D. Pauli delatum et cum capite humo mandatum est.——Plerique sane alioqui tanti principis impense gloriæ faventes, hoc in ejus florentissima fortuna desiderarunt, quod saluti propriæ non aliter consulere potuerit, quam si pestem in regni visceribus hærentem exercitatissimi bello ducis et bene de se meriti peste expediret." *Thuan.* 128, 8.

435, 4. *Kal. Aug.*] Literis Savilii 366, 31 (*Burn. MSS.*) Non. Jun. scriptis, acceptis hodie respondet Ep. 1031; de codicibus Chrysostomi. "Meminero quando primum ibo in bibliothecam, quod ante sex septem dies non possum. Nudius enim tertius significavit mihi morosus senex qui illi incubat, per aliquot dies se abfuturum; ne ad se venirem frustra.——Quid tibi de illo viro docto (*Justo Lipsio*) videatur qui in Epistolis suis quas superioribus nundinis edidit, Græcas literas decoras at non necessarias pronuntiavit? Qui ab uno Baronio, spretis antiquis, jubet nos historiam Ecclesiasticam discere?"

436, 23. *Scipione Gentili*] Jurisconsulto Altorfiensi.

437, 16. XI. *Kal. Sept.*] Scaligerum Ep. 300 rogat de Joanne Medico, qui *πρόχειρον τῶν Περσικῶν χρόνων* scripsit Michaelis: se Pselli libellum habere: Priscianum ejus in manibus Puteanorum esse; de Budæi calculo quid sentiat scire se velle.

— 24. *quid*] Laniena SanBartholomæa.

439, 10. *amicos*] Hœschelium Ep. 302, de re quadam Thuani auctoritate confecta; Historiæ Augustæ scriptores luce adhuc carere.

H. Brochthonum (*Broughton*) Ep. 1032 Gr. Siquid ille scripserit id se videre cupere.

Scaligerum Ep. 215; de recepto Chronologo; de proverbiis Arabicis; de libro de anno Persico per Auriacam mittendo; de Historia Augusta lente procedente; de Arabe geographo.

Scipionem Gentilem Ep. 303. "Ut hoc iter (436, 24) tibi successit? Ecce autem tibi ad clarissimum Rittershusium epistolam quam ut verbis tuis ornes, pro meo jure postulo. Tu mihi scribendi auctor."

Conradum Rittershusium Ep. 301. "De meo in te animo, vir clarissime, malo ex sermonibus optimi et præstantissimi Gentilis nostri cognoscere te quam ex meis literis. Enimvero satis exorbitavimus; redeamus, censeo, in viam, *τῶν δὲ πεπραγμένων ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν λάθα πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ' ἄν.* Fidem fecerimus hactenus Tulliano dicto 'Bonorum animos facile esse irritabiles,' nunc illud potius probemus, *ἀκεσταί τοι φρένες ἐσθλῶν.* Non clam me est caussas habuisse te aliquas cur existimationi *τοῦ νῦν μακαρίτου* (*H. Stephani*) faveres minus. Illum impurum (*Scioppium*) qui de magni Dei certissima sobole Veritate triumphos nunc agit, quid impulit ut virum de literis optime meritum et vel parentis Roberti nomine præcipuo honore dignum hac immanitate laceraret? Ingenue fateor, amicissime Rittershusi, quum illa primum vidi, vehementer sum commotus. Atque is ego sum tamen, cui uni optimi senis morositas plurimum displicuerit, plurimum offuerit. Sed præponderabant apud me semper tot illa et tanta in rempublicam literariam merita quibus commemorandis nolo vel patientia tuæ vel otio meo abuti, et sunt omnia tibi si cui alii probe nota. Omitto privatum hoc affinitatis vinculum, quod si contemnerem, magno me scelere, vel judice te, impiatum putarem. *'Αλλὰ τὰ μὲν προτέτυχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.*"

439, 11. *Legatum*] Ph. Canaium, Ep. 304. "Amplissime vir, quod epistolæ tuæ nuper non responderim quum Præses Thuanus literas ad te dedit, caussam cessationis meæ ex illis ipsis literis puto tibi cognitam. Quare alia excusatione non utar. Omni enim culpa vaco; qui vix tertio demum die post tabellarii profectionem de elapsa jam occasione aliquid rescivi. Quod autem ne nunc quidem justa epistola te compello, ignosce: *δέομαί σου καὶ ἀντιβολῶ καὶ λιτανεύω·* da molestissimis occupationibus meis, quibus nunc quum maxime

distringebar, ne fraudi mihi sit subita hæc et tumultuaria scriptio. Ego enim post amissam superiorem occasionem securus, illud tempus exspectabam, quo præstantissimus Thuanus iterum tibi esset scripturus. Noram quippe hoc esse illi in animo. Sed quum forte ad illum venissem et acceptum a te Hebraicorum librorum Catalogum tibi scirem remitti, religio mihi fuit committere, ut indiculus hic sine meis literis ad te perferretur. Accipe, igitur amplissime Domine, non responsionem ad illam tuam accuratissime scriptam Epistolam, neque enim patitur *τὸ ὀξὺ τοῦ καιροῦ·* sed fidum planeque certum observantiæ pignus, ab eo profectum, qui cum in omni officii genere candorem simplicitatemque suam ac constantiam tibi cupit esse probatam, tum in eo maxime negotio, quo de tanta accuratione a te nuper est actum. Noli vero, per immortalem Deum te obtestor, hanc moribus meis notam inurere, ut alterplicum hominum more aliud me corde sentire, aliud fronte promptum gerere existimes: non facio, non feci, neque unquam sum facturus: servet modo Deus Opt. Max. quam indidit nascentis animo *φιλαλήθειαν·* cujus ego vel præcipuum testem fueram te laudaturus, si fors tulisset, ut alieno testimonio *τὸ στεῤῥὸν τῆς ἡμετέρας γνώμης καὶ ἁπλοϊκὸν* haberem probandum. Putavi ego stultus persuasissimum tibi esse ex veteris amicitiæ qua me dignatus es longo usu, tuum Casaubonum cæteras quidem laudes, quas fortasse quorundam comitas illi ascribat, ut alienas, aspernari, et facere non tanti; cæterum id unum summopere semper contendisse, ut vivus, nec vivus, veteris poetæ dictum tolleret, *πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Θεοῦ ἔρνος.* At tu, magne vir, *διαῤῥήδην* illis me adnumeras, quos Pater ingeniorum *ὅμως ἀΐδαο πύλῃσι* bonis ait exosos. Scribis enim, satis te acceptum habere, nos in re omnium gravissima *ἕτερον μὲν κεύθειν ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζειν.* Mene? *διαμαρτύρομαι πάλιν αὖθις τὸν καρδιογνώστην Θεὸν,* non scire me, unde ista tibi de nobis nata sit opinio. Convenio memoriam meam: ab illa omnes sermones exigo et garritus nostros: nihil invenio, nisi forte justissimas querelas in tuum sinum liberius olim effusas, de certorum hominum sinisteritate, et in bona caussa animo, ut videbatur, non bono. Si alia sit mens nobis, cur dissimulem? quum præsertim quod

me hic teneat, nihil quicquam eorum inveniam, quæ in rebus expetendis solent spectari præter caussæ justitiam. Quid? tu me adeo insanum judicas, ut contra mea commoda et meorum, qui vita mea mihi chariores sunt, animum in dissimulatione obdurem? O me vacui capitis, et judicii, si ita est, plane nullius. Sed et odio dignissimus sim tot Procerum et summorum virorum, qui pro sua in nos benevolentia et in literas amore tantopere tam sæpe idem quod tu a nobis exegerunt. Omitto illius divini capitis *πειθανάγκας*, in cujus unius, secundum Deum, potestate ac nutu omnes spes, fortunæ, vita ipsa nostra est posita. Huic ego tam benigno, tam clementi hero meo, sine ulla exceptione morem posse gerere, ipsa, mihi crede, vita mea vellem redemptum. Sed scit ipse quid me impediat, et pro sua æquitate facilis ignoscit. Tu quoque, amplissime Domine, idem facias velim; tibique persuadeas, neque in hoc negotio, neque in tui cultu et observantia aliud unquam mihi linguam esse professuram, quam quod *φρενῶν κέηται ἐν μυχῷ*."

439, 23. VI. *Eid. Sept.*] Lectium Ep. 305 laudat sine modo, qui miserit *βιωφελὲς* poema; operas Parisienses illud servare, *σπεῦδε βραδέως*.

440, 25. X. *Kal.*] Justo Lipsio Ep. 306 gratias agit "quod libellum inficetum Musisque iratis natum responsione sit dignatus.——Illum dico (*Marcilium*) *γωνιοβόμβυκα*, bipedum *ὄντων, ἐσσομένων, πρό τ' ἐόντων* arrogantissimum, petulantissimum, insulsissimum, qui Persium nuper impuris suis manibus conspurcavit" et similia.

442, 9. IV. *Eid. Oct.*] Scripsit ad Labbæum Ep. 307 de multitudine occupationum suarum; de optimo sene Gosselino paullo morosiore; de incognito Placidio; de locis ab ipso emendatis; de libello cujus auctorem cautio ut credat esse Julium Pollucem; et de literis R. et L. in MSS. omnium linguarum permutabilibus.

443, 21. X. *Kal. Nov.*] Ad Thuanum, Ep. 308 morbum uxoris vehementissime questus, "Jussi fueramus a Rege Landgravium Hassiæ (515, 7.) in Bibliothecam deducere. Diei fere integri jactura constitit mihi illud obsequium. Sed erat tanti: dignissimus enim est ille Princeps quem omnes

colant, qui Musas amant. Venimus igitur ad librorum principalium gazam: mirari Hassus tantam tot codicum bonæ tam notæ copiam, et multa de nobis quærere; multa etiam ipse de suo in literas amore, et studio congerendæ Bibliothecæ. Ac congessit sane prope jam *μυριόβιβλον·* quam tamen dum tua licebit nobis uti, invisuri ipsi nunquam sumus: parare enim sibi vim librorum magnam multorum est, atque adeo omnium qui a fortunæ opibus non sunt destituti; eligere et discrimen facere non omnium; conficere vero numeris omnibus absolutam qualem habes tu Bibliothecam, tua unius quod equidem sciam, vir summe, laus est. Accepi ab illustrissimo Principe rem mea tuaque admiratione dignam; nam cum libros Mathematicos versaremur, dixit ille mihi, Josephum Scaligerum libellum de anno Persico ante annum scripsisse, atque ipsi nuncupasse: eundem cum de peregrinatione Hassi brevi suscipienda inaudisset obnixis precibus ab eo contendisse, ut cum Lutetiam venisset, Commentarii de anno Persico, quem sciret esse in Regis supellectile libraria usum tibi vel a te vel si opus esset a Rege impetraret. Obstupui, cum hæc audirem. Scaligerum librum edidisse et quidem ante annum? et id me ignorare? nihil ab illo, nihil a te, nihil a quoquam mortalium de eo libro me rescivisse? Verum, nisi fallor, ne tu quidem oculatior hic quam ego: itaque vix sum adductus ut crederem; sed ita esse, non semel, atque iterum, verum amplius decies, sobrius Princeps affirmavit. De libro, quem petit, quid acturus sit, nescio: respondi illi, optare me prius de ea re tecum agere: nam si spes esset describendi ejus codicis, esset fortasse satius rarum adeo *κειμήλιον* aleæ periculi eximi.——Esto Avicenna (*quem librum dabat Thuanus*) tuus *κτήσει*, meus, si placet *χρήσει*."

445, 20. VI. *Eid. Nov.*] Acceperat jam a Canaio 364, 58 (*Burn. MSS.*). "Viro Maximo D. Isaaco Casaubono P. Canaius a Fraxinis Salutem D. Quo sæpius et attentius tuas IV. Non. Sept. datas (Ep. 304) pondero et examino, vir maxime, eo altius et gravius mecum doleo *Quod neque chorda sonum reddat quem vult manus et mens, Poscentique gravem persæpe remittat acutum.* O insipidam et illepidam infantiam nostram! *Amphora cepit Institui, currente rota cur urceus exit?*

O utinam infelicis istius schedii copia daretur, quod tantopere a nostra mente discessisse asseris, ut te hypocriseos et dissimulationis insimularit, cum nihil tale me ne per somnium quidem in animo unquam habuisse, sed tui dumtaxat et præsentis ἀπροσηγορίαν et absentis negligentiam jocose et hilariter carpere voluisse, perspicacem illum καρδιογνώστην testari possim, *Quem quod arcano latet in recessu Clausum pectoris nil latet.* Quam tu, charissime Casaubone, Socratica nimis ironia accuratam scriptionem vocas, animi partim maledicorum morsibus partim conscientiæ stimulis acrioribus incensi, impetum et προπέτειαν fuisse melius ipse nosti, qui placide et attente legisti, quam ipse ego, qui œstris illis percitus effudi, et sanguinolentam et tantum non visam exposui. Sed quantum memoria repetere licet, si quid habebat, quod minio illo tuo notari meruerit, et unde niveo pectori tuo cor et cor tribui, aut falsi speciem aliquam aspergi, colligere potueris, inde erat fortasse, quod alicubi dixerim te arbitrio tuo non uti, et Calvinianæ Ecclesiæ portenta absurda, nova, inaudita neminem te melius videre. At quomodo hinc efficere potueris tibi his verbis alterplicis notam inuri, vel τὸ στερρὸν καὶ ἁπλοϊκὸν τῆς σῆς γνώμης in dubium vocari, equidem lippientibus istis oculis perspicere nondum quitus sum. Arbitrium apud juris nostri auctores duplex esse non ignoras, summe vir, merum scilicet et arbitrium boni viri. Stipulationem in promissoris aut legatum in heredis arbitrium conferre ineptientis esse ; at si in promissoris vel heredis tanquam in boni viri arbitrium conferatur, legibus id probari, et moribus usuque quotidiano recipi, memini olim me didicisse. Itaque sicubi dixi te arbitrio tuo non uti, non tamen hoc protenus verba illa sonant, non hoc mens nostra cogitavit, apage ab hac anima tantam sinisteritatem, te aliud corde sentire, aliud fronte promtum gerere : sed quoties a viri boni, eruditissimi omnium seculorum, omnium scientiarum peritissimi arbitrio discedis, toties te arbitrio tuo non uti si dixero, te fortasse mala educatione corruptum, et inveterato habitu detentum in ea re tui similem non esse, et non bene arbitrari dixero, hypocritam tamen et in religione falsum aut mendacem esse nullus dixero. Facessat igitur ἀντιβολῶ σε sinistra illa et nimis a nos-

tris sensibus aliena suspicio tua: nam si quid usquam scripserim quod in illam partem vel ab ipsa calumnia trahi possit, totum id deleri, induci, inscribi, abradi volo, jubeo, impero, mando. Nunc igitur ab omni mala opinione liberatus, et veri veteris sinceri amici juribus libertatibus auctoritatibus restitutus, unum aut alterum gryphum proponere mihi liceat.

An ullo umquam seculo Ecclesia Christi presbyteris, et episcopis, qui ordinatione, id est jurisdictione, presbyteris essent superiores, caruerit: aut diaconos, id est ministros, presbyteris ipsis præposuerit? An umquam a Christo nato Deus, neglecta et abjecta vocatione ordinaria, per homines laicos nullo Ecclesiastico charactere insignitos, damnata Ecclesiæ doctrina et disciplina, nova dogmata docuerit, novum altare erexerit, novam vocationem et missionem instituerit, (ἔσονται πάντες διδακτοὶ Θεοῦ *adjicit Casaubonus*) musicos denique per immusicos emendaverit?

An quod nusquam fuit, quodque umquam fore nusquam scriptum reperitur, Calvino, Luthero, Zuinglio licuerit nempe se Ecclesiæ novæ condendæ, restaurandæ, reformandæ triumviros profiteri?

An tibi illustrissimus noster Thuanus in Ecclesia nuper nata natus et educatus videatur cujus nulli annales, series nulla, memoria nulla? An Calvinus contra, patrem suum laudare possit? At tu fortasse, ad gryphos, inquis, aures arrexeram: atqui non aliter quæreret olitor aut aliquis de gente hirtosa centurionum. Sic est profecto, sed sic rustice et simpliciter juvat quærere. Abstrusa, ardua, dubia non attingo. In re tanti momenti argumenta, quæ videri, quæ palpari possint, desidero. Quid adeo simile philosophus et Christianus, Græciæ discipulus et cæli, famæ negotiator et vitæ, verborum et factorum operator, veritatis interpolator et integrator, furator ejus et custos? Tertullianum agnoscis. Salutem non scientiam tuam quæro. His igitur pauculis quæsitis, cum de superioribus illis queri quam quærere malueris, te per sanctissimum amicitiæ nostræ nomen, per immortalem dexteram tuam tot monimentis æternitati consecratam, per sitim illam inextinguibilem tuæ salutis, quam sitire prius non desinam, quam te relictis arentibus hæreticorum puteis

ad perennes et dulcissimos Ecclesiæ fontes appulsum videro, ut candide et breviter respondeas oro, obsecro, obtestor: hac tamen lege, ne mihi satisfactum putes, si me ad Scripturarum tribunal obtorto collo rapueris. Omnia, inquit Tertullianus, adversus veritatem de ipsa veritate constituta sunt, operantibus æmulationem istam spiritibus erroris, qui tamen albine an nigri essent, Zuinglius et Lutherus discernere se non potuisse ingenue profitentur. Sed vanum istud terriculamentum, fastuosam dico scripturarum provocationem magnus ille Eboracensis Episcopus ita dissupavit, ut vel suis ipsis auctoribus ludibrio esse possit. Ne igitur cum veteri amico ex veteri illa Volusiana formula egeris, sed ita ut homini vestris hypothesibus plane non addicto, rationis tamen lumine non penitus destituto satisfieri posse probe nosti. Ego interim Deum orare non desinam, ut quam mihi pœnitudinis et resipiscentiæ mentem quamvis immerenti indidit, tibi maximo tuo et Ecclesiæ suæ bono concedere dignetur. Vale. *Venetiis.* XI. *Kal. Novemb.* 1602. Si ter maximum D. Thuanum nostro nomine salutaveris, rem mihi facies quam gratissimam. Equidem nihil non moveo ut ipsius mandatis satisfaciam, et responsa variis ex locis expecto. Sed nihil adhuc certi comperio."

445, 28. *literæ*] Ad Scaligerum Ep. 309. Priscianum se et Pselli κεφαλαῖα mittere per viduam Auriaci Principis; πρόχειρον annorum Persicorum a misello quodam medico descriptum iri, ab adolescente Flessingensi libellum Proverbiorum Arabicorum: "En etiam tibi primum Eusebii (*ab Arnaldo Pontaco Episcopo Vasatensi editi*) folium Burdegala ad me missum a certis hominibus quos urit expectatio tui operis.——Obtestor te——ut ad videndum te pares, cum illud ἔκτρωμα prodierit, si tamen aliquando proditurum est: nam ego non temere dubito, et folium istud inane puto esse μορμολύκειον. Amicus Venetus (*Canaius*) furit ὁλοαῖς μανίαις. Urget nos epistolis; proponit gryphos, sic ipse vocat, et vere, sunt enim παιγνιώδη προβλήματα, etsi, ut de re gravissima enixissime petit a me, respondeam et solvam: 'Ea tamen lege,' inquit, 'ne mihi satisfactum putes, si me ad Scripturarum tribunal obtorto collo rapueris.' Ipsa verba illius posui quæ ut βλασφημίας γέμοντα sine horrore non descripsi. Atqui

ille addit, pridem explosam penitus 'a magno illo Eboracensi' (Ebroicensi volebat dicere) 'Episcopo fastuosam provocationem Scripturarum.'"

Heinsio Ep. 310 gratulari nova Professione ornato Poeticam docenti in ipsius Academia; Hesiodi Editionem exspectari, tum Hesychium, cujus proverbia duo depravata corrigit.

Geverharto Elmenhorstio Ep. 311. excusat se qui acceptis non responderit.

446, 6. *F. Junius*] Lugdunensis sacræ Theologiæ Professor, peste correptus, de quo edente Tertullianum Ep. 21. "Si acerrimo illi quo pollet ingenio minus indulserit, non alium ille Afer vindicem poscere debet;" notas monstrorum plenas *φιλοκαινίᾳ* tribuit Ep. 221. "Multa etiam in Junianis notis falsa deprehendimus, de quibus ex veritate illud possum dicere, *ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων.*" Ep. 264.

— 30. *literæ*] Ad Andream Schottum Ep. 312, vitas comparatas Aristotelis et Demosthenis nondum publicatas, si Parisiensibus operis voluerit uti, se curaturum: Candolo Lugdunensi Senecæ controversias maluisse non commissas.

Hœschelium Ep. 313 filii ipsius literas desideraturum solatia adversus luctum unde sint petenda admonet.

Velsero Ep. 314 suum atque Thuani judicium de historia Rerum Boiorum communicat, tristesque ad Hœschelium literas de filii ejus obitu.

Scaligerum Ep. 315 certiorem facit, fasciculum olim per Auriaci Principis viduam deferendum Johanni Westhovio committi.

Molæis (438, 14.) Ep. 316 studium suum et amorem testatur.

Lipsii Ep. 317 adscriptum de literis Græcis judicium laudat.

447, 26. *Kal. Dec.*] Hœschelii Ep. 318 fasciculum opportunissime acceptum agnoscit.

Brochthono Ep. 1033 *Gr.* gratias se agere pro acceptis; gaudere se illum Pontificiorum artibus, quod metuerat, non capi.

448, 7. *Scaligerum*] Ep. 319, iterum de fasciculo: gratas esse observationes in Spartianum olim communicatas: in Athenæum et Polybium observata velle communicari: pes-

tilentia grassante valetudinis habendam esse curam: Academiæ calamitatem (Junio, Trelcatio, et Heurnio jam mortuis) lamentari: simul mittere Racassium de Bagarris, κειμηλίοις antiquarum rerum a Rege præfectum, ἐκμάγματα aliquot gemmarum, Scaligeri de iis judicium scire optantem.

448, 10. *Bullioneus*] (*Le duc de Bouillon*) "qui Turenæ (*Turenne*) erat,——cum Regi eum per literas XIV. Kal. Nov. manu propria scriptas ad se venire jubenti initio venturum se quamprimum recepisset, statim mutavit, et converso itinere in Septimaniam (*Languedoc*) descendens festinanter Castrum (*Castres*) venit, et ante literas Cyrifano (*S. Serè*) pr. Kal. Dec. ad Regem dedit, quibus mutati consilii rationes reddebat, et de profectione aliorsum sua se excusabat. Rex acceptis literis ——rescribit, et ut veniat jubet, non de constituendo judicio nunc agi, sed ut coram Rege semotis arbitris de objectis criminibus respondeat, et alioqui Castri cameram quam vocant non esse competentem ut de ejus causa cognoscat. Interim ——Bullionius,——porrecto cameræ——supplici libello, petierat, ne deinceps contumax haberetur, publico instrumento sibi caveri quo se in judicio stitisse omnibus appareret. Cognitionem minime sibi sumpsit camera a Rege interdictam—— interim supplici instrumenti copiam fecit.——Quod ipsi concessum Rex gravissime tulit. Id actum VIII. Id. Dec. Bullionius postea cognito Ludovicum Fabrum Caumastinum a Rege missum, ut illum nactus ubicunque sisteret, et sub custodia ad Regem adduceret,——in viam se dat et——Genevam tandem incolumis pervenit." *Thuan.* 128, 10.

451, 12. XIII. *Kal. Jan.*] Gasp. Laurentii Ep. 259. scripta laudat: longe aliter sentire amicum qui Venetiis scripsit ne 'obtorto collo ad sacras scripturas traheretur.'

452, 16. *Geneva*] "Post disceptatum multoties jus suum ——Sabaudus, cum apud se decrevisset, quacunque ratione posset, Genevam in potestate habere, sic rem instruit, ut—— copias Camberii (*Chambery*) coactas ad vim faciendam paratas haberet.——Brignoletus Bonæ præfectus, præcipuus dux et auctor, dispositis excubiis, ultro citroque commeantes sistebat, ne quis ad urbem index pervaderet. Sabaudus ipse, cum paucis, quo magis lateret, Augusta Taurinorum (*Turin*) XVI.

Kal. Jan. profectus ultra montes erepit, et ad Tremblerias pagum leucæ spatio dissitum quarto post die venit, ut eminus rei eventum opperiretur. Per Arvæ ripas copiæ incedere jussæ——inde transmisso Rhodano ad Plani Palatii pratum consistunt, et ad Corrateriam media nocte——appellunt. In ea urbis parte——longus murus.——In eo muro binæ sunt speculæ; in altera vigiles stabant, altera neglecta fuerat. Juxta eam scalæ novo artificio fabricatæ admoventur. Summo silentio per unam ex illis ducenti delecti enituntur.——Puer qui circuitoribus altera post mediam noctem hora laternam præferebat——in urbem subito profectus ad arma sumenda cives excitavit.——Sabaudi subito occursu turbati non jam conferti resistere. Quinquaginta quatuor, cum effugium non haberent, desiderati, tredecim circiter capti, quos severior sententia morti addixit.——Inde magistratus ad Philibertum Guichium (*de la Guiche*) Lugduni regium præfectum dat literas,——petitque, siquidem Sabaudus post irritum conatum nocturnum aperta vi obsidionem tentare in animum inducat, sibi ut viribus regiis præsto esse non cunctetur.——Rex cognita re statim ad Genevenses scribit et——mandasse se dicit præfectis suis in Sebusianis (*Bresse*) et vicino limite, iis ut cum omnibus copiis præsto sint.——Mericus Vicus qui apud Helvetios (495, 21) oratoris munere fungebatur cum inde discederet, ad eos proficisci jussus et animos civium ad pacis consilia inclinare. Accenso quippe bello Hispanos non quieturos apparebat, et pontificius legatus eventum veritus apud Regem instabat ne ex ea caussa ambo principes arma Christiani orbis bono posita resumerent.——Tandem inter partes convenit XII. Kal. Sextil. (495, 21). Pacta quatriduo post rata fecit." *Thuan.* 129, 9.

459, 23. *non male*] Ad Scaligerum Ep. 326, misisse se Psellum, Proverbia Arabica, et gemmarum ἐκμάγματα; literas ab Eremita redditas; medicum qui librum de anno Persico jussu Thuani describit, διαγραμμάτων transcriptionem in se recipere nolle; Lectii se Senatoris Genevensis carmen laudare; mittere exemplum Psalmi Arabice Lutetiæ editi typographi δωρίδιον.

460, 4. *Eid. Jan.*] Ad Bonaventuram Vulcanium Ep. 327,

Perierium typographum Parisiensem et affinem τοῦ μακαρίτου Commelini atque alios egisse cum Episcopo Bellovacensi de edendo Cyrillo, sed literas Vulcanii exspectari.

461, 9. XI. *Kal. Feb.*] Ad C. Labbæum Ep. 328, habere se Lexicon illud τριπόθητον Photii, velle illum uti eo statim, postea remittere: de glossulis.

— 18. *absolvi*] Hoc Theodorum Canterum Ep. 325 monet, literas filii ejus ex Pictonibus Narbonensem Galliam et Monspelium peregrinaturi transmittens.

462, 11. III. *Kal. Feb.*] Joanni Porthæsio Ep. 329 Massora quæ sit fusius explicat.

464, 5. *surgere*] Joanni Vassanio Ep. 330 respondendi occasionem semiæger non prætermittit; se opus institutum absolvisse; Bezam Lectiumque salutare.

465, 3. XIII. *Kal. Mar.*] Scaligero Ep. 331 gratias agit pro binis literis acceptis, atque Arabicorum Proverbiorum interpretatione; esse animum centuriam Græcorum proverbiorum publicare; mittere se jam descriptum, diagraphis non additis, de anno Persico librum, quem comparans cum vetere codice, institutam collationem ad umbilicum perducere non potest, fasciculum poscente Eremita; amicum Venetensem furere: Vulcanii Cyrillum sibi curæ esse et futurum.

Dionysio Pæto Ep. 1034 Græce excusat silentium suum.

474, 3. *Drouardo*] Bibliopola Parisiensi.

477, 20. VI. *Eid. Apr.*] Scaligero solicito de valetudine sua Ep. 332 respondet se ἰκτέρῳ laborare; Eremitam tradidisse fasciculum mercatori Belgæ;—"Ad cæteras molestias nostras gravissimas superioribus diebus cumulus accessit per Eremitam quondam tuum, nunc tuo et omnium queis pietas cordi odio dignissimum. Is juvenis insanum magno πλεονεξίας οἴστρῳ βληθεὶς cum prioribus conditionibus, quas studio et commendatione mea nactus est sane luculentas, non acquiesceret, casu quodam, non tam volente me, quam non repugnante, in Vicquii Legati Helvetiensis domum εἰσέφρησεν. Est autem Vicquius optimus vir quidem, et ἐν τοῖς μάλιστα φιλόκαλος, sed superstitionibus τῶν ἐξ ἐναντίας supra fidem obnoxius. Monueram igitur Eremitam, videret quid ageret, et ad quotidianas velitationes se compararet; ante omnia ani-

mum obfirmaret, et ex constantia non solum οὐρανόθεν mercedem certam verum etiam ab hominibus et imprimis Vicquio laudem ac certissimam gloriam sibi sponderet. Ille vero vix adhuc novum hospitium fuerat ingressus, cum et puriori religioni, et amicitiæ meæ simul nuncium remisit; in quo tanto usus est astu, ut ante discessum ipsius cum uxore Vicquii tantum καινοτόμημα me latuerit: tanta item imprudentia, ut semel a novo hospite admissus post illa nos nunquam adierit, nobis insalutatis abierit, cum tamen ipse Vicquius pridie quam uxorem præmitteret, ad nos venerit et de sua profectione nos fecerit certiores. Adde quod ipso quo discedebat die rogatus meis verbis ab uxore mea et filia et aliis meorum ut ad me accederet, et literas peteret quas in ipsius commendationem Stuckio et Polano scripseram, ad officium compelli non potuit. Et cum in ipsis Vicquii ædibus uxor, quæ eo venerat officii caussa, de ejus ἀποστασίᾳ aliquid inaudisset ac statim vocatum gravissime increpuisset tui etiam nominis injecta mentione, dissimulare ille, et quo poterat modo factum excusare. Sed mox filia audivit, cum Lusitano cuidam Franciscano homini imperitissimo, impudentissimo, ochlagogo et plano insigni gratias ageret, *quod sibi oculos aperuisset.* Hæc sunt perditi Juvenis verba."

477, 24. v. *Eid. Apr.*] Ad Scaligerum scripsit Ep. 333, Eremitæ ingenium suspectum dudum propter incredibilem in ea ætate opum sitim. "Vir fide dignus narrabat mihi audisse se cum diceret *Omnia sibi quæ hodie disputantur æque et probari et improbari, paratumque se ad omnia pro tempore et rerum suarum emolumento.* Cum vir pius hanc vocem abominaretur, cachinno Eremitæ est exceptus stultitiam eorum πικρῶς ridentis, qui nescirent τὰ ἴδια εὖ τίθεσθαι." Sed nondum omnem spem de salute ejus abjectam:——tria operis sui exemplaria tradita Scaligero, Buzenvallo, Heinsio: Cyrillum Vulcanii ereptum ex manibus Episcopi Bellovacensis: Christophorum Puteanum conqueri de fide Eremitæ, qui acceptum librum commodato abstulisset ut proprium.

— 29. *literis*] Eremitam Ep. 334 patris ipsius jam senis sollicitudinem admonens, atque orans ut ad se redeat.

Responsum est ab Eremita Ep. 335 prolixis sane literis se ex-

cusante, atque orante ut in gratiam cum ipso redeat.——"Nosti quo me loco constitueris, cui me Domino (ut duriuscule dicam) emancipaveris, cujus ut animus omnino esset in me quem optarem, religionis tamen diversitas abalienaret. Hinc cum ita compararem me, ut placere paulatim magis magisque inciperem, measque cuivis actiones probarem, monere quotidie me, hortari, instare etiam, ut animum meum a religione averterem, et ineptissimas illorum et absurdissimas opiniones induerem. Nec caruerunt monita promissis; ipse mihi Dominus Legatus prolixiora spondebat. Ego, qui facile a ratione persuadebar quam esset is religionis cultus rei veritate alienus, nunquam adducere animum potui ad illas partes. Nihilominus tamen cum gratiam Domini mihi vellem mereri, remisi animum, et moderatius paulo ut de illis rebus loquebar, ita auribus levibus illorum dicta excipiebam, atque id quidem ex consilio tuo, si meministi forte mihi dixisse ne partes ullas foverem, neque illis quicquam per asperitatem adversarer. Ita moderatum utrinque, et spes favoris et gratiæ plenioris et novitatis etiam studium animum labefactatum quotidianis interpellationibus in Missæ auditionem pertraxerunt, non eo animo ut reclamata altera parte hanc profiterer, sed ut ista res importunas illorum hortationes componeret et inclinaret. Nec vero adeo abieram in partes, ut existimarem conscientia posse me prohiberi audire homines loquentes; nam certe alius rei caussa Missam non accessi, nisi ut rem incognitam explorarem. Casus etiam aliquis me impegit in monachum Lusitanum; cujus ut imperitiam cognovi memetipsum damnavi, quod vel aures sordidis ejus sermonibus præbuissem: in quo quidem si peccatum est, est certe ætatis: juveniliter lapsus sum; ut juvenis, excusandus sum; præsertim cum ita nunc mihi cum Domino Legato conveniat ut arbitrio meo relinquat res religionis. Cæterum cum ita se haberent res, et jam nostris hominibus eam excitassem opinionem, ut existimarent nihil mihi prius fore, quam ut me prorsus ad religionem ut vocant catholicam traducerem, jamque dimanabat ista opinio, et abibat in homines, ego itaque conscius mei erroris, quod ita parum esset prospectum rebus meis ut ista jam venirent in publicum, rebar etiam idem ad te aut a

Riberio, aut alio quopiam esse delatum. Ita cum præsens judicii tui censuram subire non sustinerem, sperabam id fore tolerabilius, si absens tibi ejus rei rationem exponerem. Vides hic candorem meum, quam nihil dissimulem etiam quod minus in rem sit meam, quique subterfugerim coram te præsente erubescere. Quare cum peccasse me inficias ire non possim, solum est in humanitate tua præsidium."——

Responsum a Scaligero 366, 46 (Ep. 37) (*Burn. MSS.*) "——Proh facinus indignum? Quid de Eremita audio? Adeo immutatum ingenium ejus, ut alius ab eo, quem tibi commendavi discederet?——væ illi qui in te ingratus fuit, et me hominem stultum, qui vulpem non hominem tibi commendavi. ——Alui domi meæ, erudivi, fovi hominem, quem nesciebam, furem domesticum. Is mihi *δίδακτρα* rependit, ut plus quam trecentos aureos furatus sit."——

479, 8. *Regi*] Ep. 336. "Rex maxime, si Majestatem tuam animum erga ipsam meum parum habere notum existimarem, totis ingenii viribus id nunc agerem, ut seria et accurata gratulatione meam tibi devotionem probarem. In tantis enim bonorum omnium qui ubique terrarum tibi gratulantur, acclamationibus faustissimis vocem nostram non *ἐπισήμως* audiri turpe mihi atque adeo impietati proximum censerem. Ego vero, Jacobe, Rex maxime, et seculi *τὸ μέγα αὔχημα*, pro eo ac debeo, piosque omnes decet, toto intimi pectoris affectu plane sic medullitus Majestati tuæ gratulor, ut ne tuorum quidem subditorum quenquam esse contendam, cui majorem lætitiam imposita nuper sacratissimo tuo capiti corona attulerit, quam mihi. Sed gravissimarum curarum memor, quas nunc cum maxime divina mens tua necessario sustinet, defungi apud me tacitus, Numine solum conscio, hoc genere officii satius duco, quam importuna scriptione vel tantillum Majestatem tuam a publicis negotiis avocare. Scit sane vir eruditissimus, cui has tradituri eramus, qua reverentia et veneratione cum cæteras excellentissimas virtutes tuas, tum inprimis orbi terrarum universo notam pietatem, et in purioris religionis amore constantiam tuam multos jam annos prosequar. Nam istos ex mendaciis consutos rumigerulos qui candidissimam nominis tui famam miris inventiunculis

maculare conantur, non ego solum qui animi tui testes literas habeo, quibus anno me beasti, sed vere boni omnes incredibili consensu οἰμώζειν κελεύομεν. Oro obtestorque Deum Opt. Max. per μονογενῆ Filium suum Jesum Christum, ut qui tot regna tibi commisit, idem Spiritum illum suum τὸν ὄντως ἡγεμονικὸν magis magisque indies Majestati tuæ impertiat, eam regat, et ab omni insidiarum aut cujuscunque noxæ genere servet, diutissimeque præstet incolumem. Valeas, Rex serenissime, potentissime, et quod res arguit ipsa θεοφιλέστατε, quem si modo posse videre Fata semel dederint, cælum accepisse videbor."

481, 1. *Pr. Kal. Mai.*] Molæos Ep. 337 hortatur ut temporis rei pretiosissimæ quantam maximam rationem habeant.

482, 8. *literæ*] Ad Baronium Ep. 338, cum Historiæ Augustæ exemplari. "Speramus enim non involupe futurum tibi siquando a gravioribus curis vacas, his literis otium tuum oblectare, quarum juxta amantem et peritum esse te scripta tua loquuntur. Itaque profecisse nos per te non semel sumus professi. Quod si leviter aliquando rationes aut expositiones nostræ a tuis dissident, modestiam in scriptis nostris desideraturum esse te, amplissime Baroni, non putamus. Errare, falli, ac decipi facile, ut homines et οὐτιδανοὶ μέροπες, possumus; cognitæ veritati repugnare, neque in hoc neque in ullo literarum genere unquam cum bono Deo convinci poterimus."

Mutium Riccerium Ep. 339, de accepto eruditionis ejus specimine; de Pauli Jovii Historiis; Thuanum ad umbilicum fere universam post Jovium historiam perduxisse.

D. Heinsium Ep. 340, de non acceptis literis, oratione et oda; de expectato Theocrito, Hesiodo, Hesychio, Nonno; Meursii poemata accepta.

Scaligerum Ep. 341, se Delphinatum proficisci, missurum διαγράμματα et descripta Chrysococci κανόνια.

494, 17. *ea re*] 452, 16.

— 19. *Ammiralius*] "Colinius, refractis conclavis foribus, Bemio quærenti, Tune Colinius es, respondit, Ego vero sum. Dicenti Bemius gladium in pectus intorquet, et retractum ictu transverso in os adigit, quo illum plane deformavit: tum repetitis ictibus ille exanimis cadit. Tum cadaver miris

modis injuriose fœdatum in stabulum proximum abjicitur, et postremo capite amputato quod Romam usque perlatum est, pudendis item et manibus ac pedibus truncatis, per vicos ad Sequanæ ripam tractum; quod olim ominosa voce quamvis nihil tale cogitans præsagierat. Cum in eo esset, ut in profluentem a pueris mergeretur, inde retractum ad furcas Monfalconianas cruribus in altum sublatis et propendente corpore ferreis catenis suspenditur, igne subjecto, quo tantum ustulatum non etiam consumptum est, ut per omnia elementa veluti torqueretur. Nam in terra occisus, aquis mersus, igni subjectus, postremo in aere pependit. Ibi cum ad aliquot dies spectantium libidini prostitisset, Franciscus Momorantius per homines fidos nocte illud e patibulo transferri, et Cantiliæ (*Chantilles*) in sacello terræ mandari curavit." *Thuan.* 52, 7.

495, 22. *pacem*] 452, 16. Subscripsere Carol. Rochetus, Cl. Pobelus Petræ Baro, Sabaudi nomine: Genevensium, Dom. Chabræus, Mich. Rosetus, Jac. Lectius, Joan. Sarracenus, Joan. a Normandia: Helvetiorum, J. H. Schwartius, N. Schuletus, Jac. Golzius, And. Riffus, P. Surius, J. Jac. a Stalo, G. Medelus, H. Schwartius, Ulr. Nafus, Jo. Hamus, Seb. Thorigus. *Thuan.* 128.

496, 7. *Thomæ Smithi*] Ex Collegio Reginensi, qui natus 1514, obiit 1577.

— 13. *Chæcus*] E Collegio St. Johannis, natus 1514, linguæ Græcæ peritia Henrico VIII commendatus, quem docentem audiebat Edvardus VI. Per fraudem, ut videtur, ad Pontificios transductus, obiit 1567.

— 14. *Ponetus*] E Coll. Reg. natus 1516, Episcopus Roffensis 1550, Vintoniensis 1551, Germaniam exul profectus, regnante Maria obiit 1556.

— 16. *Vintoniensis*] Stephanus Gardiner 1531, obiit 1555. Cancellarius Cantabrigiensis 1538—1546.

— 25. *Ramum*] Petrum, Veromanduum, qui Parisios profectus professor eloquentiæ regius evasit, et mathematica eruditione celeberrimus. Accessit laudum cumulo puræ religionis cultus, ob quem quum tutum se non satis in Gallia videret Genevam, se recipere cogitaverat, sed aliter volente Deo, inter illos quos Parisiensis laniena cruore suo tinxit

1572 occisus est a percussoribus quos ipsi Carpentarius æmulus immiserat. Cadaver ejus scuticis primo cæsum, dein in Sequanam projectum est.

506, 22. *alios*] Petrum Junium Ep. 342 qui siqua ad illustrandum Strabonem utilia habet iis se uti velle.

Joannem Spotsvodum Ep. 343, de Geneva, et de Beza. "Hic vere *θαυμάσιος* vir in hac decrepita ætate sua, quintum siquidem supra octogesimum annum agit, omnibus humanis curis exutis, quarum etiam in totum ferme amisit memoriam, ita nunc vivit, ut futuram beatitudinem mature inchoare videatur: omnis illi vita continua quædam concio est: Deum unum cogitat; de illo solum loquitur, ad illius amorem ac timorem se continuo stimulans, alios hortans. Equidem nunquam ab eo discessi non obstupefactus rei novitate, cum viderem tam obliviosum in cæteris senem tam recentem literarum præsertim sacrarum servare memoriam. Loquitur Latine ac Græce ut ante annos viginti: verborum ac textuum Sacræ Scripturæ maxime autem Fœderis Novi sic meminit ut olim cum doceret et concionaretur assidue. Auctor ei fueram ut ad serenissimum Regem vestrum literas daret, meam illi spondens operam ut per amicos ipsius studiosos Majestati Regis ejus literæ offerrentur: sed ætatem homo modestissimus excusans exorari adhuc non potuit. Urgebo tamen per literas, ut tibi, mi Spotsvode, et aliis piis viris qui apud maximum Principem gratia et auctoritate valetis, detur occasio provocandæ erga venerandum senem regiæ liberalitatis. Hujusmodi subsidiis fulcitur ejus domus alioquin brevi ruitura: nosti enim, credo, Ecclesiæ illius paupertatem."

A. Schottum Ep. 295, de typis Plantinianis, negligentia typographorum Parisiensium: Quinctiliano Patissonii: Demosthenis vitam Augustæ Vindelicorum edi: Lipsium *ῥαΐσαντα* exemplar operis sui missum non agnovisse.

Hœschelium Ep. 298, de foliis quæ deerant integrando Eclogarum libro: de Origene, Libanio, Dione Aretæo: se impelli ut Lutetiam, negotiosissimam otiosorum matrem, aliquando valere jubeat.

Gulielmum Bedwellum Ep. 344, cum illo linguæ Arabicæ perito amicitiam se inire percupere.

Jacobum Regem M. Britanniæ 1035, pro Genevensi Academia et Schola preces apud illum fundens.

507, 5. *moniti*] Vide Ep. 549. v. K. Ap. 1607.

— 22. III. *Kal. Aug.*] Ad Scaligerum Ep. 345, Legatum (Buzenvallium) Hagam redire; Eremitam culpam deprecari. "Spero equidem nondum conclamatum esse eum adolescentem, sed ad frugem quandoque perventurum." Augustæ Historiæ exemplari misso ad Heinsium et Cyrillo Vulcanii quid sit factum?

509, 7. *literis*] Ad Scaligerum Ep. 346, accepisse se Scaligeri, per quas videt periisse fascem olim missum: nunc mitti Fastos Siculos, Chrysococci librum, et Proverbiorum Arabicorum exemplar ex autographo descriptum: Genevæ pacem superioribus diebus concessam. "Debetur ea laus Helveticæ genti: illi namque omissa quæstione de religione, componendam pacem miro consensu susceperunt, neque ante quam re confecta quieverunt."——De Notis Dominicani Alcoranicis, atque opera in Avicenna posita."

510, 20. XV. *Kal. Dec.*] Molæis Ep. 347 rogantibus Ovidii *Lusa maritali Gallica veste manus*, corrigit *Tunsa maritali Gallica reste manus.*

512, 24. Insere "VI. *Kal. Sept.* τὰ ἐγκύκλια· Deus benedicat huic familiæ." Scripsit ad Canaium Ep. 348. "Amplissime Domine, etsi constitueram nihil ad te literarum dare, qui certo scirem non mea sed aliena culpa alienatum a nobis animum tuum, quia tamen intellexi epistolam quæ mihi hodie a viro præstanti Francisco Maria Illyrico reddita sit, certe cum tuis isthuc fuisse missam, non potui responsionem earum literarum ad te mittere, quin simul pauca hæc raptim etiam ad te exararem. Primum igitur tibi pro hoc officio gratias ago; teque oro, ut pro cætera humanitate tua cures ad eximium virum deferendas quas hisce adjunxi. Deinde illud a te etiam atque etiam peto, persuadeas tibi nullis machinis aut te aut quenquam mortalium efficere posse, quo minus grata sit nobis recordatio veteris amicitiæ tuæ, et meritorum in nos tuorum. Quod si in ea re quam nosti assentiri tibi non possumus, multo minus in animum inducere, ut exemplum tuum sequamur. Obtestor fidem tuam,

ne me pervicacem potius credas quam ἁπλοίκα, et earum, quas μετὰ πάσης πληροφορίας πέποιθα εἶναι ἀληθεῖς, sententiarum tenacem. Cæterum περὶ τῶν τοιουτοτρόπων cum nemine velitari unquam pridem κέκρικα. Vale, Vir amplissime."

Responsum est a Canaio 364, 69 (*Burn. MSS.*) "Viro Maximo Isaaco Casaubono P. Canaius a Fraxinis S. Ea sunt tua in rem literariam merita ut et literis a te non urbanatim læsus et silentio fastidiose neglectus tibi me plurimum debere non illibenter profitear. Utere igitur officiis et propensione animi nostri in te prout libuerit. Nam præter ingentem illam eruditionis palmam quæ te omnibus literarum cultoribus publice colendum et venerandum ostendit, vivit, ac vivet æternum in nobis dulcissima recordatio amicitiæ bona fide semper et in omni fortuna a nobis observatæ, a te vero injuste nimis et injuriose jugulatæ. Bene vale. *Venetiis.* x. *Kal. Novembr.* 1603." Vide 521, 12. Ep. 1036.

512, 25. *Scaligerum*] Ep. 349, de voce μονάδες in Comm. Chrysostomi sæpius occurrente, de numero ἑξακισχιλίων, et de judicio super Rabbino illo Haccados. Commendat Vassanium Genevensem, et de Epistolis Simplicii rogat.

513, 1. *literis*] Ad D. Baudium Ep. 350, gratulans in patriam (*Lugdunum Bat.*) reditum et ad vitæ genus, in quo multum potest; rogans de Hesiodo Heinsii.

J. Vassanium Ep. 351, eum se Scaligero commendasse; rogat de Merulæ Geographia.

Scaligerum Ep. 352, acceptas literas agnoscens; de Dioscoride Regiæ bibliothecæ; ægre se ferre moram in Eusebio; admiratur Bezam.

C. Rittershusium Ep. 353, rogans quid ille et Scipio Gentilis parent.

D. Hœschelium Ep. 354. De Origenis foliis; de Heraclidis περὶ ἄπνου fama; de Procopio; de ὀνειροκριτικῷ a Rigaltio impetrando; de privilegio, responsoque Thuani.

Joannem Matthæum Wackerum Ep. 355, gaudens se illi a Velsero commendatum; agnoscens operam ejus impensam, quamvis frustra, ut libellis suis a Cæsarea Majestate privilegium impetraretur.

M. Velserum Ep. 1037, de extinguendo in Ecclesia discor-

diarum nomine, et de privilegio pro quo frustra laboratum est.

514, 15. *literis*] Ad Vulcanium Ep. 357, de reddito libro; de foliis missis; de Cyrillo.

Scaligerum Ep. 356, de laudata Augusta Historia; de recepto fasciculo: de vocabulis Arabicis: de Hebraicis quibusdam inscriptionibus.

F. Lindenbrogium Ep. 358, amico se de conditione aliqua prospicere.

515, 7. *literæ*] Ad Thuanum Ep. 359, de lucubratione ejus beneficio Rigaltii visa. Ep. 360, de libello Scaligeri quem Princeps Hassus dicebat domi se reliquisse in Bibliotheca sua: "Iveram hesterna die apud Principem Hassum, (443, 11.) et officii caussa, et ut quid sit actum rescirem. Cubiculum ingressus inveni ludentem alea, et quia πανήμερος dicebatur lusurus, ἄψορρος ποτὶ δῶμα pedem retuli. Accepi diutius moraturum illum in hac aula, nec puto esse caussæ, cur de rustico urbanus fiat. Equidem sic existimo rectam mentem ὁμιλίαις οὐ καλαῖς facilius posse corrumpi, quam ut unius exemplo assuescant multi suum pretium virtuti et eruditioni ponere."

516, 29. III. *Non. Oct.*] Ad Thuanum Ep. 361, de literis ad Fabrum perlatis: de concordia Ecclesiæ in Galliis: de nomine Episcopi (*Perronii*) invidiam levaturo: de expectato Thuani reditu.

517, 21. IV. *Id. Oct.*] Ad Thuanum Ep. 362, de Avicenna; de Indice recentium librorum; de Arnaldi contra Loyolitas libello: paucula de quibus dubitat, consulit: "Legatum Helvetium (*Vicquium*) virum amplissimum, tuique studiosissimum, atque ut ipse dicit observantissimum semel vidi. (495, 21.) Multa ille de tua valetudine nos statim percontatus salutem suis verbis quam officiosissimam tibi a nobis mandavit nunciari."

518, 8. *pauca*] Ad C. Labbæum Ep. 363, de se, et temporis sui jactura; felicioribus Labbæis qui Glossariorum opus ad umbilicum perduxerunt: Isidorum necessarium potius quam doctum. "Photio cum usus fueris, ipse lubens utar."

— 11. *Scaligerum*] Ep. 365, de literis a se antea missis:

quid ipse profecerit ex Scaligeri *Emendatione Temporum:* de Chronologiis Temporarii et Laureti: de Summatis Epistola: de nova Chrysostomi Editione: de Arabicis studiis, et Hadriano propter pestilentiam cessante describere verba adjecta Dioscoridi: Buzenvallium, Vulcanium et Heinsium salutat.

Andr. Schottum Ep. 364. Senecæ se codicem repetenti reddere, longiorem ejus usuram velle impetrare: de Nunnesii scriptis, et de Plethone.

521, 12. *Prid. Non.*] Ad Thuanum Ep. 366. "Novi quod ad te scribam habeo nihil præter hoc unum, illustrissimum Landgravium (443, 21. v. 515, 7.) cum a Rege multa de te cognovisset, itemque ab aliis, ægerrimo animo tulisse, quod te insalutato cogeretur hinc discedere. Sed eum repentina calamitas domum revocavit: cogitantem enim diutius hic morari atque hinc Britanniam petere et Belgas nuntius de uxoris obitu sententiam coegit mutare. Statim enim audito morbo illius graviore, equum ascendit, vix Rege salutato, ut mihi postea dictum est, nam ego illum non conveni a reditu e bibliotheca."

— 25. *diversos*] Heinsium Ep. 367, de scriptis in Theocritum. "Perge, magne juvenis, quo cœpisti pede." Iterum Ep. 373.

Scaligerum Ep. 368, de literis ejus non acceptis.

P. Canaium Ep. 1036. "Pax, vir summe. Ego ut tuam amicitiam spreverim? (512, 24. 364, 69 *Burn. MSS.*) Ut eam immani scelere violaverim? Deus ὁ τῆς ἀληθινῆς φιλίας προστάτης ne sirit, ut lævam adeo mentem unquam induamus. Hunc ego possum διαμαρτύρεσθαι, nunquam esse factum ut tuorum in nos maximorum meritorum oblivio obreperet animo meo. At dixi, scripsi etiam fortasse quæ parum tibi grata. Quam vellem pari fide tibi relata essent quæ toties eam summa laude tua, etiam tum, ἄνω, κάτω, et passim dixi, cum illa gererentur quæ leniter animos nostros separabant. Omitto dicere necessitatem mihi ab ipsa conscientia mea fuisse impositam, ut exemplo, quod magnum et illustre nomen tuum trahebat, pro virili mea obviam irem. Nam ut ad extrema consilia, quæ probata tibi, facerem gradum, Deus hominesque sciunt me ne cogitasse quidem. Epistolam illam infelicem, et

prope fatalem mihi si impelli ad immanitatem optimus noster Trajanus potuisset, non excuso; nam omnino quid in illa sit scriptum, imo an scripserim, juxta scio cum ignarissimo. Deus illis bonis viris bonam mentem, qui ea ad te missa id videntur egisse, ut tu me pusillum homuncionem pondere tuo, quod facile erat, elideres. Si libeat, liceat hic mihi quiritare, proh Dei hominumque fidem! adeon' invenustos esse quosdam, ut quasi per ludum et jocum naturæ gentium in perniciem innoxiorum jura migrent? Non ita tu quondam, magne Alexander, neque tu, Juli Cæsar, qui repertas in hostium castris literas de rebus, quæ ad salutem vestram spectabant, inspicere non sustinuistis. Sed rerum præteritarum memoriam pluribus nolo refricare. Quin te potius oro, vir maxime, siqua adhuc superest ingentis illius amoris scintilla, quo nos per annos multos beasti, eam ne penitus sinas extingui. Ego et propter suavissimam priorum temporum recordationem, et nonnihil etiam periculo recenti admonitus, sedulo cavebo, ne in observantia tui ac cultu fidem meam aut constantiam jure possis unquam desiderare. Vale *καὶ ἐν πᾶσιν εὐημερῶν διατέλει.*"

526, 11. *Cottonum*, qui a Rege diploma de restitutione Jesuitarum impetrabat. Hæc Thuanus 129, 10 et 132, 1. "Ineunte Martio per Virodunum (*Verdun*) Lutetiæ veniens Rex iter habuerat, ubi Jesuitarum insignis Schola est et frequens; qui post demissam salutationem, a Rege, verba faciente Carolo Turriano (*de la Tour*), suppliciter petierunt, ne senatus-consulto Parisiensi, quo toto regno expulsi erant, comprehensi censerentur. Perbenigne acceptis Rex respondit, ita nolle eos senatus-consulto comprehendi, dummodo juventus, quæ ad Mussipontem (*Pont a Mousson*) literis operam navabat, inde Virodunum migraret. Neque enim iis male velle, et benevolentiam pollicitus bene erga se affectos esse jussit. Cum hoc responso dimissi a Varano, qui eorum restitutionem urgebat, monentur Regem non de Schola Virodunensi tantum conservanda sed pridem a se et iis, qui circa ipsum erant, exoratum de illis toto regno restituendis serio cogitare. Itaque confestim ad Mussipontem conveniunt, et ex Varani consilio solemnem ad Regem legationem adornant; cui obeundæ

designati Ignatius Armandus provincialis, Castellarius, Brossardus, Turrianus. Secundum hæc Diviodurum (*Metz*) venerant, et tempus idoneum nacti in profesto Paschali, cum feria quarta Rex ac Regina pro more in lavandis pauperum pedibus solemni cæremonia defungerentur, sacro interfuerant, et post prandium a Varano ad Regem, cum quo Espernonius (*le duc d'Espernon*) Villaregius (*de Villeroy*) et Gevræus a secretis epistolis (*de Gesvres, secretaire d'état*) erant, introducti sunt, ubi Ignatius cum sociis in genua primum procumbens, tum surgere jussus——orationem habuit.——Perorantem de geniculis Ignatium Rex excepit, "Jesuitis nequaquam male volui," inquiens, "et si cui male volo, id in caput meum recidat. Quod curia mea hac in re decrevit, id non nisi mature et consulto decrevit." Tum scriptam orationem accepit, et Villaregio tradidit, et bono animo eos esse jussit, addito, negotium penes pontificem esse, quo inconsulto nihil velit decernere. Ceterum se amplius, cum Lutetiam venerit, deliberaturum et effecturum ut sibi restitutionem ipsorum curæ esse intelligant. Post gratias actas cum petiissent ut tres provinciales, si ita Regi placeret, cum tribus e suo sodalitio Regem comitarentur, Ignatium sufficere Rex respondit cum Petro Cottono, neque majore comitatu opus esse.——Instante pontificio oratore, mense Septembri proximo diploma de restitutione a Rege, dum Rotomagi (*Rouen*) esset, impetraverant, quod sigillo magno firmatum in senatum allatum fuit, cum justitium instaret. Itaque in proximam sessionem res dilata, quæ ab exeunte Novembri incipiens totum fere Decembrem quieverat. Perlatum ad Regem maligne fuerat, cum decretum erat ut promulgationi intercederetur, et Regi humillime pro intercessione supplicaretur, infestos in senatu pervicisse, ut non viva voce, sicuti more majorum semper antea usurpatum fuerat, sed scripto intercessio fieret: quod ita interpretabantur male erga senatum affecti quasi aperta et literis consignata contradictione Regis auctoritatem et rectum de hoc judicium oppugnare vellet. Itaque missus ad senatum Andreas Huraltus Messius exlegatus Venetus——ut Regis nomine ediceret, ne scripto sed viva voce intercessio fieret. ——Quatriduo post pridie natalitii (24 Dec.) re præter mo-

dum festinata ad Luparam (*le Louvre*) frequenti senatorum comitatu Harlæus hora pomeridiana ivit, et in superius conclave admissus. Rex cum Regina, quam manu ducebat, ut seriarum deinceps deliberationum, sicuti aiebat, particeps fieret, et magna procerum et sacri consistorii corona eodem venit. Tum Harlæus solita gravitate infit, principio a gratiarum actione facto, quod non scripto sed viva voce juxta majorum morem aliquoties magno senatoriæ dignitatis detrimento intermissum, in tantæ molis negotio intercessionem fieri jussisset.——Ad ea peramanter et moderate a Rege responsum, gratiæque amplissimo ordini pro tanta solicitudine, quam pro se regnique incolumitate præ se ferebat, regio affectu actæ: tum periculi a restitutione imminentis, cujus alioqui se magnum contemptorem ostendebat, allegatæ rationes citra acerbitatem elevatæ, rem apud se mature perpensam, et non dies ac menses, sed totos annos in eam cogitationem impendisse, ac tandem decrevisse societatem exulare jussam, patriæ restituere, ac sperare ut quam noxia pro tempore credita sit, tam uberius ex ejus restitutione fructus porro sit Francia perceptura. Ceterum periculum, quod tantopere perhorrescat, in se recipere, qui majora hactenus Dei beneficio evaserit, ac de eo securos omnes esse jubere. Se pro cunctis excubare, et pro cunctis consilia capere: neminem toto suo regno existere, qui se aut experientia, aut in rebus quas innumeras vitæ curis assiduis exercitatæ curriculo gesserit explicandis, vincat solertia. Proinde quiescant, et anxiam de se ac republica solicitudinem in sinu suo deponant, qui suam vitam salvam velit, ut alios servare possit. Interim sicuti orationis principio gratiæ denuo pro clausula amplissimo ordini actæ. Quæ omnia ego, qui actioni cum multis aliis interfui, eo diligentius perscribenda curavi, ut vanitas relationis Italica lingua scriptæ, et Turnonii in Vivariensi pago (*Tournon en Vivarais*) anno post publicatæ, pateat, in qua pleraque contumeliosa contra amplissimum ordinem addita, quæ nunquam tunc Regi optimo ex ore exciderunt, quædam etiam ex rumusculis collectà pro responso inculcata ad ea, quæ ab Harlæo minime dicta fuerant. Sed accidit aliquot post diebus, cum a Petro Cottono qui tunc in gratia

flagrabat, ad Regem perlatum esset, triumviros in eo laborare ut compilatis curiæ archivis, et repetita clausularum exoletarum memoria beneficium Regis irritum redderent, ut Rex commotior eos ad se vocaverit, et coram Claudio Grolarto Rotomagensis curiæ primario præside stomachose increpuerit: et, cum jam dies inclinaret, e vestigio ad tribunal suum pergere, neque inde prius quam confecto negotio exire compulerit. Postridie Messius in senatum venit, et se a Rege missum dixit, ad promulgationem accelerandam; satis intercessione senatu digna actum; et responso ad eam facto, restare ut sine mora et sine conditione promulgatio quamprimum fiat.——Ad hæc cum Harlæus nullam a senatu moram affectari respondisset, et omnes Regi obedire paratos ostenderet, Messio digresso, et diplomate, et quæ pro intercessione facta fuerant, recitatis, cognitoris item regii postulatis, decretum fuit, ut diploma, audito cognitore regio, et post intercessionem in acta curiæ referretur."

526, 24. *Madridum*] In Boloniensi saltu *Madrid en bois de Boulogne.*

527, 10. *Rosnium*, qui honorificam legationem mense Junio obierat ad Jacobum jam Regem Angliæ salutandum.

528, 4. x. *Kal. Jan.*] Ad Scaligerum Ep. 321, se ante quinque dies scripsisse: de Laureti Chronologia; de Chronicis excerptis: et de parato in Persium commentario, non sane ad exemplum ullius priorum Interpretum. De Ministro e Provincia Narbonensi (*L. Nautonnerio a Castello Franco*) auctore libri *Mecographie du Guide Aimant.*

Johannis a Wouweren vel Vouwerii, Ep. 324, agnoscit libros missos muneri. "Diuturni silentii mei causam paucis accipe. Cum in hanc urbem (*Lutetiam*) secundum veni ante annos quatuor, relatum mihi ab amicis familiaribus aliquando tuis, te quamdiu heic versatus es solitum de me, de uxore, de liberis jocosos sermones cum nequissimo bipedum, qui Sidonio tuo tantum debet, habere. (*Theodoro Marcilio* 178, 16, *Ep.* 189, 440, 25, *Ep.* 306, *cui cum Petri Colvii tum suas in Sidonium Apollinarem notas Vouwerius dedicavit.*) Non sum veritus virtute Dei, ne honestati domus meæ talibus sermonibus posset noceri. Ipse virtutis et literarum amorem professus

semper, cur riderer materiam, quod sciam, nemini mortalium dedi. Uxor pietate, probitate, et aliis muliebribus virtutibus conspicua: pudicitia autem adeo insignis, ut ne fabulæ quidem occasio vel minima sit ab illa data. Liberos vel ætas tam adhuc tenera ab eorum urbanis dictis, qui parentes parum amabant, tutos præstare debuit. Atque hæc eo tibi nunc aperio, non quod aut novum aut admodum mihi videatur *δεινὸν* extitisse, qui me riderent, aut mea, sed ut caussam agnosceres, cur ad varias epistolas tuas, quas ex Italia et Germania ad me misisti, respondere hactenus supersederim."

His Vouwerius prolixa Epistola 366, 209 (*Burn. MSS.*), *Mar.* 14, 1604 respondit negans factum. "Testor Deum et conscientiam meam, me nihil unquam male de te tuisque cogitasse, nedum dixisse apud eos, quos ipse merito odi."

527, 19. *scribendis*] Ad Scaligerum Ep. 370. "Lexicon Nebrissensis Hispano-Latinum neque habemus, neque unquam hactenus nancisci vel utendum potuimus. Collegimus non pauca id genus *μιξομαυριτανοαραβικὰ* vocabula.——Infelicitatis meæ pars magna est, quod ad aliorum potius quam meam voluntatem studia mea cogor disponere. Eo factum, ut Persium nunc ederemus, qui in aliis libentius operam poneremus. Legi his diebus, quæ in eum poetam ante biennium bipedum arrogantissimus, (*Theodorus Marcilius*) ludimagister Parisinæ cujusdam scholæ, effutivit. Equidem sciebam, cum librum in manus sumerem, nihil exquisiti ab illo morione esse exspectandum; sed tantam hominis esse imperitiam, et tam stupendam asinitatem, non enim possum aliter vocare, putavi nunquam. Miseram diligentiam *κακοδαίμονος σοφιστοῦ*. Atqui scito, ante mensem dedecus illud hominis in publicum fuisse productum, et in eam cathedram impositum, ex qua olim Turnebi, Merceri et alii summi viri oracula edere soliti. Beatum te, qui hæc non vides: quanquam jocus et risus hæc sunt præ aliis, quæ singulis diebus oculos nostros incurrunt. Nam de Loyolitis (526, 11) puto accepisse te ab aliis rem omnem. Hem, vir divine, quo tandem ista evadent? Audistin' aliquid unquam *τερατωδέστερον*? Incredibile enim dictu est, quam sit in eorum potestate is *οὗπερ κράτος ἐστὶ μέγιστον*. Fateor tibi vix parem esse me *ταῖς ἀνιαροτάταις ἀνίαις*, quas

ex impendentium malorum cogitatione præcipio. Quoties charissimam uxorem, quoties suavissima pignora, quoties denique libros meos inspicio, subit animo diei illius infausti (*D. Bartholomæi* 1572) species, quo furor Dei hostium ante annos triginta et unum in bonos crudelissime est grassatus. Et avertent quidem superi, spero, tantam a nomine Gallico infamiam. Cæterum, ut sunt ingenia hodierna, maxime autem *τῶν δημαγωγῶν τῶν ἀκριβέστερον παππομανούντων, οὐδὲν ἀπώμοτον.* Quod ad *διαπόντιον ἀποδημίαν* omnem pone metum: consilio enim utemur tuo, neque committemus ut illi *κακονουστάτῳ δοκησισόφῳ* (*Jacobo ??*) nos objiciamus *ἕλωρ καὶ κύρμα.*" Chronica excerpta iterum se velle mittere; Eusebium exspectare; ad Heinsium, quem pusillum Scaligerum appellat, et Baudium rescripturum.

Heinsii Ep. 373 Poemata, Orationes et Epistolam magna cum voluptate legit. "Persium a nobis edi scito, non segni opera post tot ineptias interpretum illustratum. Non erat animus veteres illas curas retractare: sed ita lubitum amicis. Legi quæ Marrucinus (*Th. Marcilius*) iste, de quo elegantissime scribis, ad illum effutiit. Moriar nisi opinionem meam de hominis insania res ipsa longe superarit."

Baudii Ep. 322 laudat orationem.

Theod. Cantero Ep. 320 excusat literarum infrequentiam: de filio ejus Monspelium profecto: de carmine Nazianzeni sub Amphilochii nomine publicato.

529, 18. *Brochtonum*] Vide 447, 26. Ep. 1033.

Deest Fasciculus quartus *ἐφημερίδων* a Kal. Jan. 1604 ad x. Kal. Jun. 1607. Extant literæ datæ

1604. VIII. *Id. Jan.* Ad Heinsium Ep. 377. De Hesiodo ejus; libros Lugduni Batavorum editos post annum Lutetiæ inveniri; commentarium in Persium se editurum.

Ad Scaligerum Ep. 378. Eusebii se moram ægre ferre; de loco Eusebii a se correcto "Latona Jovis conjux *tunc palitia*, respondi statim conjux *usurpatitia*."

Id. Jan. Ad C. Labbæum Ep. 379. Literas a Scaligero mittit.

xii. *Kal. Feb.* Ad Christophorum Puteanum Ep. 380. "A tuo discessu vix unum egimus diem a morbo vel uxoris vel amborum immunem: quin et nunc quoque jacenti et tantum non conclamatæ adsumus, cum has scribimus." Laudat impetum quem cepit noscendi Historiam Ecclesiasticam; si feliciter ingrediendi hujus studii rationem indicari velit, alias consulendum. "Accepi ante aliquot dies illustrissimi Cardinalis D. Baronii literas quas curavit ipse——:"

Nempe has 363, 23 (*Burn. MSS.*) "Isaaco Casaubono viro disertissimo Cæsar Baronius S. R. E. Card.—Accepi quas ad me nuper litteras dedisti, vir ornatissime, benevolentiæ et amoris plenas: quarum et verba ipsa grata fuere, et gratior pollicitatio notationum tuarum in auctores historiæ Augustæ, quas equidem libenti animo cum allatæ fuerint, accipiam, certus de fructu quem præclari labores tui ac præstans ingenii felicitas parere consueverunt. Sed omnium gratissima fuisset annuntiatio conversionis tuæ ad fidem catholicam, de qua expectationem non parvam multorum antehac relationes attulerant. At cum videantur jam nobis hæ spes evanescere, dolemus ex intimo corde, timentes valde, ne hujusmodi (ut ita dicam) renascentiæ tuæ procrastinationes, accelerationes sint interitus: et tanto magis timentes, quanto ab eo tempore quo scripta tua vidimus, in te semper propensiores extitimus. Agnosce, quia Dominus (ut ait sapiens) dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia. Et (quod adeo decantarunt antiqui illi patres) frustra aliquem gloriari de Deo Patre, qui non habeat Ecclesiam matrem. Hanc igitur perquire, invenito, et amplectere: et in ea munera tua Deo offeres; munera, inquam, de pinguedine puræ devotionis, et fidei integritatis: ut sicut ad munera Abel, ita ad tua respici possit. In ea proferes de tuo horto fructus optimos et purissimos qui sint Deo in odorem suavitatis. In ea plecte tibi de laboribus tuis immarcessibilem gloriæ coronam, quam non comedat locusta, bruchus, rubigo, nec eruca. Et vide, quam hæc tibi sint facilia, qui cum præstes, quod rarius est, ingenio, unico tibi opus sit, quod cuivis est pervium, velle: cum promissum sit, quod omnis, qui petet, accipiet, et qui quæret, inveniet, et pulsanti aperietur. Quod si exemplis

movearis, habes et recentia quam plurima virorum præstantissimorum, habes et vetera infinita, quæ imiteris. Si doctrinam antiquiorem quæras, ecquid non tibi suppeditabunt ditissimi illi thesauri patrum atque doctorum, qui suis scriptis vitæque sanctitate, atque miraculorum virtute eamdem omnes atque omnino fidem, quam semper ecclesia Romana cunctorum mater tenuit, hodieque tenet, egregie reliquere testatam? Horum tu vestigia sequere, ut cum illis salveris. Sic enim vias sanctorum custodiens (ait idem Sapiens) tunc intelliges justitiam et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam. Hæc ad te, vir ornatissime, ex dilectionis abundantia, et ut tibi in omnibus persuadeas, nos quoscumque tuos progressus magnopere desiderare. Quod si et nostram operam, vel auctoritatem (siqua illa sit) utilem tibi fore prospexeris; eas tibi nos ad eam rem sincere pollicemur, atque deferimus; desiderio desiderantes, ut te solutum erroribus fidei conspiciamus, quem absolutum doctrina humaniori cernimus. Faxitque Deus, ut qui hæc nunc mœrentes ad te extra ecclesiæ castra errantem scribimus, aliquando tibi in ejus septis ambulanti hilares occurrentes, te amplectamur fratrem nostrum, sequentem vestigia matris tuæ. Quod ut Deus impertiat tibi, iterum atque iterum enixis precibus ab eo contendimus.

"Dominationis tuæ qui salutem vehementer cupit Cæs. Card. Baronius."—*Romæ pridie Non. Novemb.* CIƆ IƆ CIII.

IX. *Kal. Feb.* Ad Schottum Ep. 381. Pro donato Senecæ libro gratias agit: operis de Aristotele et Demosthene exemplaria non missa: Persium se missurum suum.

J. Lernutium Ep. 382. De acceptis literis, et adolescente quem commendaverat.

Id. Feb. Scaligerum Ep. 383. Publicatum esse tandem Burdigalensem Eusebium; duo exemplaria ab auctore Pontaco missa; mitti Epistolam Gul. Nautonnerii qui Mecometriam (528, 4, Ep. 321) edidit; Persii unicum superesse folium.

XV. *Kal. Mar.* Hœschelium Ep. 384. De accepto fasciculo; de libris contra Celsum; de Gregorii Thaumaturgi Oratione. "Jam beneficio Dei Opt. Max. ex ærumna gravissima respirare incipio, meliuscule in dies se habente uxore, quæ ab octava hujus anni die periculosissime et gravissime ægrotavit."

XII. *Kal. Mar.* Hœschelium Ep. 385. Legisse se Origeniaca et Gregorium; Gregorii non vidisse interpretationem, quæsiturum in Regia Bibliotheca cum primum illuc venerit.

VIII. *Id. Mar.* P. Terlonium Ep. 385. Patris ejus suasu hortatur, ut quam ingressus est viam fortiter insistat.

XV. *Kal. Ap.* Hœschelium Ep. 387. Mittit Procopium: "cum usus fueris, remittes; est enim mihi ille liber carior, quod manu optimi adolescentis sororis meæ filii Petri Chabanei scriptus est paullo ante quam extremum diem obiret. Amavi vivum, luxi mortuum." De privilegio quod quærebat impetrato, sed nescio qui non rato (vid. Ep. 410); de Glossariis, ex quibus volumen ingens amicus adolescens composuit.

VI. *Kal. Apr.* Heinsium Ep. 388. De expectato Hesiodo ejus; ἀντίδωρον se missurum Dionem Chrysostomum magna forma editum a Morello, cui adjecit Diatribam αὐτοσχέδιον; Persium jam excidisse e manibus.

Scaligerum Ep. 389. De judicio ejus super Chrysostomi loco et Galatino; de Sebonis operibus; de Santandreano Abbate; de expectato Scaligeri Eusebio; Scaligerum ab Episcopo Vasatensi laudari; de Johanne de Laet quem commendaverat. "Quia autem Eremitæ in hujus commendatione meministi, scito neminem vivere Missarum inexplebiliorem aut sitientiorem. Quare illa παλινῳδία (477, 29 Ep. 335) simulata fuit mendax et ὑποκριτική. In dies ejus herus (*Vicquius*) exspectatur, quo præsente veram vocem a me audiet iste Proteus." De Dione Morelli quem vult mittere.

Non. Apr. Eundem Ep. 390. De Eusebio ipsius et Pontaci: "Si augurium me non fallit meum, æque vitabitis uterque, ille ne dicat aliquid non protritum, tu ne aliquid, cujus ante notitiam vel doctissimi habuerint." De uxore, "Adeo ἐπικινδύνως ἐνόσησεν ab octava hujus anni die, ut ne nunc quidem priori valetudini sit restituta." Suas notulas morari Chrysostomum.

V. *Id. Apr.* Eundem Ep. 391. Commendat D. Rivaltium studiosum περὶ τὰ μαθήματα. "Non possum quin rem jucundam tibi narrem. Is (*Th. Marcilius* 178, 16. *Ep.* 189, *et* 440, 25. *Ep.* 306) quem nuper in Historia Augusta perstrinximus (*ad Flavii Vopisci Carinum*) Horatium edidit, ubi multa in

nos, etsi moderatius, audio: nam Rex ipse id sibi displicere significavit. Ille, inquam, heri suas in Catullum notas dono misit cum iis elogiis, quæ vel ab amicissimo viro profecta odiosa fuissent. Adjecit mandata ei qui detulit, velle mihi amicum esse, pœnitere quod temere lacessisset; orare paterer mihi satisfieri; posthac alium fore. Respondi, si mores mutaret, et bene meritos de literis, ut par est, coleret, me virum putaturum et amaturum."

IV. *Kal. Mai.* Scaligerum Ep. 392. Dionis se exemplar missurum, mox ad Persium rediturum, ἀραβισμῷ oblectari.

Heinsium Ep. 393. Brugensem juvenem sibi ex commendatione Lernutii notum laudat: Hesiodum in Francofordiensi Indice notatum se vidisse: De Diatriba in Chrysostomum.

Non. Mai. Scaligerum Ep. 394. De acceptis trium paginarum literis: de Thuani historia: de meridianorum certa constitutione.

Id. Mai. Eundem Ep. 395. Ex morbo se uxoris acquiescere in Scaligeri colloquio: has fratrem Vassanii Pithœæ matris filium redditurum.

XI. *Kal. Jun.* G. M. Lingelshemium Ep. 396. De Codice Arabico Bibliothecæ Palatinæ, cujus usum impetrare voluit.

III. *Kal. Jun.* Scaligerum Ep. 398. De aureolo munere Græcorum ejus Poematum. "Nostra longe durior conditio, qui partim ob valetudinem uxoris, partim ob nugatorias plerumque occupationes, maximam hujus anni partem amisimus.—— Quia medicis auctoribus loci mutationem afflicta conjugis valetudo postulabat, Madritum volente Rege concessimus." Dionem adhuc teneri a Morello; Persii sui opus crescere.

Heinsium Ep. 399. Acceptum Hesiodum laudat. "Nunc cum in secessu hoc amœnissimo sumus, Madriti enim habitamus, quod Regis suburbanum est Prætorium, videbimus quantum otii Dei benignitas sit nobis concessura."

P. Scriverium Ep. 400. Multum illi deberi, qui Scaligeri Græca Poemata ediderit.

Pr. Kal. Jun. Labbæos Ep. 397. De novo in Persium Commentario inter typographorum manus versato; "rimemini de hoc negotio τὰ καθ' ἕκαστα, quis auctor, quæ res, quæ spes sit."

XIV. *Kal. Aug.* Scaligerum *Lutetiæ* Ep. 402. "Non dubito

invitum esse te lecturum, quæ invitus et mœstissimus scribo. Nuntio enim tibi obitum Hadriani Gulielmi Flessingensis, juvenis supra annos docti, supra fidem probi ac pii. Ex tua primum commendatione innotuerat ille mihi; sed is postea accesserat usus, ea inter nos familiaritas, ut hominem intus atque in cute nossem totum. Quod sane difficile mihi non fuit; nam apertior illo, aut *ἁπλούστερος τὰ ἤθη* nemo vixit unquam. Itaque ea coaluerat inter nos amicitia, ut cum ego illum filii charitate complecterer, ille me et uxorem non aliter quam parentum loco amaret et coleret; quo fuit molestior utrique nostrum hic casus tam inopinatus funeris tam acerbi. Sed me non tam privata amicitia movet, quam respectus publicæ rei literariæ, quæ in hujus adolescentis morte incredibilem, siquid judico, fecit jacturam. Ardebat *ὁ μακαρίτης* amore flagrantissimo cum universæ *τῆς ἐγκύκλου παιδείας*, tum illius præsertim partis, quæ in cognitione rerum naturalium est posita; quo in studio eos jam fecerat progressus, ut æquales suos sine controversia superans, paucos vel senes peritiores illarum rerum videretur posse invenire sibi magistros. Imprimis *τῇ ἀνατομῇ* et *τῇ τῆς ἰατρικῆς ὕλης γνώσει* operam impenderat tanta quidem felicitate, ut paucis antequam obiret diebus, præstantissimis Academiæ luminibus Mareschoto, et Pietro ipsius genero miraculo esset, cum in saltu Madridano, quo ad visendam uxorem meam convenerant, obvias omnes plantas agnosceret, et nominibus tam vulgatis quam veteribus Græcis Latinis et Arabicis designaret. Ego vero qui studia illius nota habebam, longe majora sperabam, et aliis recipiebam. Sciebam qua diligentia Medicos Arabes, Avicennam, Serapionem, Rasis, alios legisset, ac cum inter se contendisset, tum cum Græcis comparasset. Testis eram pulcerrimarum observationum, quas in eo genere fecerat. Nam in Arabicis literis quantum profecisset, sine lacrymis recordari non possum. Tantum affirmo tibi, magne Scaliger, eam *ἕξιν* fuisse adeptum, ut pauca legeret quorum mentem non caperet, ubi paululum attendisset. Avicennam usu contriverat: Alcoranum ita familiarem habebat, ut cum a te discessi, neminem Europæorum fuisse illi putem secundum. Sed quod maxime sum admiratus, præceptiones grammaticas ejus

linguæ eximie callebat. Nactus erat mea aut amicorum meorum Huberti et Florentii virorum eruditissimorum ope quatuor aut quinque Arabum grammaticas manu exaratas; in his ille se anno exercuerat, ut exceptis oppido paucis, cætera omnia posset ex tempore in Latinum sermonem vertere. Quod cum sit per se difficile, et dignum admiratione, magis tamen mireris, si scires quam difficili charactere Africano, quam corrupte scripti sint illi libri, unde hanc tantam ejus artis notitiam hauserat. Egeram cum eo persæpe, ut quæcunque legerat ejus argumenti, in unum colligeret, et postquam tuum consuluisset oraculum, cum studiosis ejus linguæ eam operam communicaret. Sed diu modestissimus juvenum consilio ac voluntati meæ reluctatus est; cum diceret rudem se omnium rerum, et me in ea opinione quam de ejus studiis conceperam, falli vehementia amoris contenderet. Quid multa? adeo sui negligens et *ταπεινὰ φρονῶν ἦν*, ut literas ad te scribere, etsi cupidissimus, et tui, si quis mortalium, *γνήσιος* admirator, ausus tamen sit nunquam. Scimus paratam illi fuisse dubitationum sylvam, quas relaturus ad te fuerat, sed pudor adhuc inhibebat. Expugnaveramus tandem ejus modestiam, et assiduis hortatibus, ac prope dixerim, convitiis quotidianis impetraveramus, ut meum potius consilium quam judicium suum sequeretur. Jam igitur ad grammaticam Arabicam edendam animum appulerat. Itaque itineri Constantinopolitano, quod ante aliquot menses instituerat, profecturus cum regio legato, cui de meliore nota ego et amici illum commendaveramus, ea fine renuntiaverat; atque ut majore otio frueretur in Regis Prætorio Madridano, quo propter uxoris morbum concesseramus, nobiscum venerat. In eo secessu cum dies circiter quindecim jucundissime inter libros egissemus, jamque operis istius *ἰχνογραφία* ei esset absoluta, quædam etiam capita diligentius polita, ecce tibi languor eum occupat, et *ἀηδία* potius quam morbus; quo factum ut venienti mihi in urbem negotiorum caussa comitem se adjungeret, rediturus, ut existimabamus vel mecum, vel biduo, aut ad summum triduo post. Ita inter nos convenerat: sed, O cæcas hominum mentes, O spes inanes, non ita illi visum cujus nutu maxima, minima geruntur. Lutetiam igitur hi-

lares venimus, viæ laborem fabulis literatis levantes; hilares item apud amicum pransi sumus. Deinde cum ego amicum medicum vocassem, et mentionem suæ valetudinis Hadrianus, etiam tum meus, quasi aliud agens injecisset, jussus linguam ostendere et manum præbere gravissime ægrotare statim a medico judicatus est. Ridere ille, et negare ægrotum se, verum levis tantum *θεραπείας* indigere. Erat illi non multo ante conductum hospitium in altissima urbis parte, prope illius ædes qui characteres sculpsit Arabicos, quibus se brevi usurum sperabat, ac propterea e Sangermanico suburbio illuc migraverat: eo igitur se recipit me redeunte. Lapsi sunt dies pauci, priusquam gravius quicquam medici, quorum opera usus est assidua et fideli, metuendum præcisa spe pronuntiarent. Ego tamen per sororis filium fere quotidie curavi eum visendum: deinde ipse etiam veni. Hic me verba pæne deficiunt, cum illius diei venit in mentem, quando illum gravissime affectum vidi *θερμότατα πυρέττοντα,* et tormina infra umbilicum acerrima perpetientem. Adii ad medicos; consului de genere morbi: responderunt, aut longam fore *ἀρρωστίαν*, siquidem esset evasurus, aut cito vitam cum morte commutaturum; quod et accidit, sed velocius quam vel ipsi medici opinarentur. Postridie enim illius diei, quo illum videram, et quo erat ille me amplexus quam arctissime, ut vix remissurus videretur, scripserunt medici, et certum hominem miserunt, qui nuntiaret, si vellem vivum videre, accurrerem, jam enim in extremis eum versari. Conscendi equum sine mora, etsi alta jam vespera erat, et accurri. Inveni non mortuum sed morientem, et dum preces pastor funderet, animam beatam Deo auctori suo reddentem. Aderant illi amici multi, viri pii, quibus ipse propter virtutem et eruditionem et præcipuam pietatem fuerat carissimus. In his erant Molinæus et Desiderius Heraldus, quorum unum ex scriptis, alterum etiam ex vultu scio tibi notum. Hic fuit obitus juvenis optimi et cum summis viris, si longiorem vitam fata indulsissent, merito suo mox comparandi. Nunc præclara omnia tanti ingenii incepta *οἴχεται φροῦδα·* nam qui lucubrationes suas non per simulationem, ut nonnulli, sed ex vera modestia sperneret, solitus erat quæcunque observabat in minutissimis

scidis adnotare; quæ post ejus obitum collectæ sunt a nobis, vere sparsa Sibyllæ folia et nulla penitus inter se connexione cohærentia. Hæc nos adeo cari capitis monumenta, cuicuimodi tandem illa sint, jure amicitiæ vindicavimus nobis, cum cæteram ejus omnem supellectilem, quæ quidem varie sparsa potuit inveniri, coram amicis curaremus describendam, et amplissimæ dignitatis viro, Arsenio, legato illustrissimorum Ordinum, tradendam. Hæc autem eo pluribus ad te scribenda duxi, præstantissime Scaliger, quia fidei, quam præstare tibi debeo, interesse judico, ut scias nulla in re officia nostra ei defuisse, quem tua commendatio nobis conciliaverat. Deinde illud cogitavi, fore isthic fortasse illius amicos, quibus volupe esset *τὰ περὶ αὐτὸν* plenius cognoscere: sed de re tam tristi plus quam satis."

Eundem Ep. 401 tabellario poscente.

Heinsium Ep. 403. Orat ut memoriam Hadriani versibus in posterum transmittat. Carmen scriptum extat.

xii. *Kal. Aug.* C. Labbæum *Madriti* Ep. 404. De acceptis literis: de Eusebii Chronico Burdigalensi (*Pontaci*). "Convenere et capita contulere quam plurimi, et communi opera faciendum decreverunt, ne quid Respublica, hoc est, Ecclesia Romana detrimenti caperet, si *ἑτερόδοξος* aliquis ea præstaret, quæ non posset homo *πεπωρωμένος*."

iii. *Id. Aug.* Canaius ad Casaubonum scripsit 364, 70 (*Burn. MSS.*). "S. Quam sancte et quam sincere et constanter *κατὰ τὸ καρτερὸν* amicitiæ nostræ sacra coluerim, jura servarim, vir clarissime, Jovem illum *φίλιον* testem appellare nunquam pigebit. Quo vero animo vel quo jure silentium nostrum accuses, qui non tantum plures nostras responso dignari nolueris, sed et apud exteros ceu quisquilias (ita enim indigitabas, quæ tibi amice, secreto, serio dicta cupiebam) ridicule traduxeris, tui esto arbitrii. In hac sane caussa frustra Bongarsium, Lectium, aut alium quempiam melioris notæ virum correum vel consortem, ne dicam auctorem laudaveris, a quorum candore et amore in me quantum afueris, æquius forte agnovisses, si exemplar tuarum Messerii incolæ Sedanensis manu descriptum, apud illustrissimum Sillerium, cui hac fini miseram, recognoscere libuisset. Aliter tu fortean

scripseras, et libens credo. Istis tamen sic legitur, sic passim describitur, talis ego ab amico non amicis ostendor. Et miraris, vir clarissime, mihi doluisse? Et postquam doloris caussam breviter, modeste, summisse notavi, nec quidquam toto fere biennio respondisti, pectoris tui arcana rimari me nunc tandem jubes? Cæterum jure fortassis aliquid excipias, quod amico quantumvis rogante non facias, quod vero amico amice interroganti non respondeas, sed aliis, quibus nec opus fuit nec sane decuit, cum cachinno referas, qua ratione excuses, tum demum videris, cum tibi res erit cum viro quocum æquo jure experiendum censeas. Ego interea si propter nimiam infimæ sortis meæ cum summo clarissimi tui nominis fastigio *ἀσυμμετρίαν,* seu quia *οὐ συγχρῶνται* Ἰουδαίοις *Σαμαρῖται,* nullo amicitiæ (quod Deus non sirit) gradu tibi jungi queam, te tamen colere, suspicere, venerari, tibique ac tuis omnia fausta et prospera precari nunquam desinam. Esto mihi testis ad hæc, qui pectoris arcana fabricatus es. Vale." *Venetiis* III. *Id. Aug.* 1604.

XV. *Kal. Sept.* Scaligerum *Lutetiæ quo ex secessu suburbano veneramus* Ep. 405. An redditæ sint scriptæ literæ; de Hadriano; qui has reddet, eum commendat; de Persio nondum constitutum; Dioneas notas absolvi; Heinsium venturum expectari.

XIV. *Kal. Sept.* Heinsium Ep. 406. "Audin? sive ego in urbe sim, sive Madriti recta statim ad me: nisi vis reus fieri gravissimi criminis violatæ amicitiæ nostræ; quam injuriam quibus potero cunque modis ulturum me pro certo habe. Est mihi amicus (*Sofridus Caligno Navarræ Cancellarius*) vir illustris dignitatis sed pietate et eruditione longe major, apud quem hospitium tibi metatus sum, quamdiu volueris in urbe esse."

IV. *Non. Sept.* J. Gillottum *Madriti* Ep. 407. De versione Turnebi.

III. *Non. Sept.* G. M. Lingelshemium Ep. 408. De codice Arabico ejus benignitate impetrato.

C. Rittershusium Ep. 409. De repertis B. Patris Isidori Pelusiotæ Epistolis.

Hœschelium Ep. 410. De Procopio, de versione Gregorii

θαυματουργοῦ. "Si per typographos licuisset Persianum Commentarium isthuc misissemus, et simul alteram Suetonii editionem.——De privilegio (Ep. 387) quod a nobis petiisti scito *τὸν σφραγιδοφύλακα* (*Bellevreum Cancellarium*) hominem e senio prope jam obnoxium Græcorum proverbio, sed *ἀπὸ τῆς δεισιδαιμονίας* meticulosum, adeo ut omnia etiam tutissima timeat, rogatum ab amplissimo et sapientissimo Thuano, ut privilegium ejus meaque cura conscriptum Regis sigillo firmaret, quia ego veniebam in partes, statim cœpisse suspicari, tot librorum editione, de quibus cogitare te significaveramus, culmen Romanæ arcis peti, et hæresim, sic enim veritatem Dei vocant, stabiliri. Risimus ego et Thuanus, cum hæc nobis referrentur a Perrotto Regis secretario, nominis Germanici studiosissimo. Ivi igitur ipse ad *τὸν σφραγιδοφύλακα*, et, quam longe abessent tuæ curæ ab eo genere scriptorum quæ orbem Christianum misere lacerant, exposui. Adjeci neque Thuanum neque Velserum, duos summos viros ejus professionis, fauturos tuis cœptis, si eo spectarent. Quid multa? Pervici non tibi debere hoc negari. Promisit igitur, si per eundem Perrottum mitteretur, facturum quod rogaremus. Ecce vero rem suavem; nam ubi venit Perrottus, responsum tulit ab optimo et alioquin venerando sene, permissurum se tibi, ut tua isthic ederes; at ut impediret, ne nostri possent edere cum vellent, nullis conditionibus adductum iri. Quo quid magis *γεροντικὸν* potest fingi? Quid enim privilegium est ea parte dempta? Sed alia caussa est profecto, quæ illum terret. Ego certissimum habeo, simul ac Regi rem aperuero, jussurum ut fiat. Sed vix in urbem ex eo tempore Rex venit, aut nos casu tum aberamus."

Eundem post aliquot menses Ep. 486. "Gregorium Thaumaturgum et nos vidimus. Apparet eruditum Interpretem codice usum longe meliore, quam tuus esset: itaque multa emendate ibi scribuntur, quæ corrupta in tuo."——de Cantoclaro; de Dione. "De privilegio meministi quæ nuper scripsi: sed jam alia rerum facies; nam *ὁ πρὶν σφραγιδοφύλαξ* vir integritate insignis, voluntate Regis, non dignitate sed labore muneris sui alteri cessurus est cis paucos dies. Ille autem alter multum nos amat et literas colit." V. Ep. 444.

VII. *Eid. Sept.* Gillottum Ep. 411. De Turnebo.

V. *Eid. Sept.* Foppium ab Aitzema Ep. 412. De accepto carmine ejus in memoriam Hadriani.

III. *Eid. Sept.* Scaligerum Ep. 413. De interceptis, ut veretur, literis; de Hadriano; de mittendis exemplaribus Dionis; de Bibliopolis Beis, Morello, Drovardo. *ἀμ' ἦρι φαινομένῳ* expectandum se a Scaligero.

V. *Kal. Oct.* Foppium ab Aitzema Ep. 414. De carmine ejus, et Hadriano.

Non. Oct. Heinsium Ep. 415. De Dionis exemplari, Hadriano, ipsius adventu.

Scaligerum Ep. 416. "Audi rem novam, illustrissime vir, et assem para. Qui hactenus propter constantiam in purioris Religionis professione *τοῖς ἐξ ἐναντίας*, siquis alius, fui exosus, nunc Loyolitis ita carus sum, ut nihil supra. Sive nos urbs habeat, sive rus concedimus, non effugimus quin sit nobis cum illis versandum, colloquendum. Nuper venit ad me Gonterius cum nescio quot episcopis: postridie cum in libris totus essem, ecce tibi Frontonem Ducæum. Deinde cum ex negotio in urbem venissem, quin dies totos cum illis contererem, vitare non potui. Hæc quo spectent, non est quod exponam tibi pluribus. Fronto vero sancte affirmabat post prima statim salutationis verba se jussum a Rege id conari et urgere; hoc enim valde se cupere. Ego illis hoc unum respondi, *φιλαλήθειαν ἀσκῆσαι ἡμᾶς* semper: veris argumentis locum daturos lubentissimo animo: gratia vero Principis aut pollicitationibus nihil quicquam moveri: mirari tamen, cum de animo nostro omnibus constet, quid esset, cur toties sollicitatam constantiam nostram is vellet, a quo mittebantur. Hæc res quem exitum sit habitura nescio: suspicor tamen haud temere ista tentari, videturque is futurus eventus, ut alius Mæcenas nobis brevi sit quærendus.——Videro te brevi."

III. *Eid. Oct.* J. D. Perronium Card. Ep. 417. De commodatis libris, quos remittit, gratias agit. "Sed tuum istud beneficium, illustrissime Cardinalis, prope nobis reddunt invisum rumusculi a tuis, ut audio, et aliis nonnullis dissipati. Viderint illi, qui tale nihil cogitantem, et studia longe diversissima omni contentione animi urgentem *φιλίας πρόφασιν*

interpellarunt, quam sit professioni ipsorum ea jactatio et κομπασμὸς conveniens. Ego, qui vigilias omnes meas amori veritatis in quocunque genere literarum semper impendi, non λογομαχίαις πρὸς ἐπίδειξιν comparatis, re jam experior, quod apud gravissimum virum Gregorium Nazianzenum sæpe legeram, vix ac ne vix quidem hujusmodi συζητήσεσιν ullum unquam extitisse fructum. Mihi persuasissimum est, eam demum esse pietatem Christianam, quæ ἐντάλματα ἀνθρώπων insuper habens, ἀμεταπτώτως doctrinæ adhæret Divina Scriptura contentæ. Hæc una est quæ doctrinæ regulam figit, ut alicubi ait Augustinus, et illa Ecclesia vera, quæ non est egressa de finibus suis, id est de Scripturis sacris, ut ait diserte Hieronymus. Porro autem ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς Spiritus sancti efficacia, docente Paulo, Deus est ipse. Quæ enim adversus hanc ἐν θεῷ πεποίθησιν disputari audivi, nuce cassa viliora judico, quoties vel ad divina promissa, vel ad fidem antiquam oculos mentis refero. Hanc nostram πληροφορίαν si quis est qui labefactare cupiat, age, quod sæpe nuper dixi, rationes suas scripto complectatur: nos freti virtute Dei parati sumus ostendere frustra antiquitatem ab illis jactari, qui sacræ Scripturæ miris modis, ut quidem videtur nobis, detrahentes, vetustatis auctoritatem pro ratione obtendunt. Nuper non sponte quidem mea, quod tute scis, neque enim ea fine veneram, sed impulsu tuo quædam proposui οἱονεὶ γεύματος χάριν quæ viderentur esse τοῦ πονηροῦ κόμματος. Idem nunc quoque affirmo, et doctrinam de sacra eucharistia vestram cum aurea veterum simplicitate pugnare, non disputandi gratia, quod semper sum aversatus, sed quia sic credo, πάλιν αὖ καὶ πάλιν confirmo. B. Augustini et Theodoreti loca, quæ mihi nuper in mentem forte venerant, et de quibus singulari subtilitate multa sunt a te disputata, ut amplius de iis cogitandum pro meorum morum candore dicerem, non temere neque contra auctorum mentem a nostris laudari, eorum rationibus æqua lance pensis, patebit. Jam de imaginibus, et hodierno earum cultu quid in me nuper receperim, quantumvis obstrepentibus cunctis, scio, meministi non recusare me, quin ex historia ecclesiæ luce meridiana probarem clarius, prodigio videri posse simile, quod quidam patrocinio

veterum orthodoxorum illas tueri sustinent. Dei hominumque fidem! Hoccine est veritatem propugnare? an quod philosophi aiunt, *δουλεύειν τῇ ὑποθέσει*; Nam quæ in eam rem nuper asserebantur, solerter esse excogitata non negamus; cum Dei verbo et, quod toties assertum est, cum antiquæ Ecclesiæ usu convenire, hoc vero præcise negamus. Quod non eapropter dicimus, ut tuum a nobis animum alienemus, magni enim facimus, pro eo ac debemus, amorem tuum: sed ut verissimum esse cognoscas, quod sæpe *διεμαρτυράμην*, unicam esse flectendi nos atque alio traducendi rationem, si Ecclesiæ, cui sum innutritus, doctrina *αὐτοπίστῳ* Dei Verbo et primævæ Ecclesiæ consensui, ad capita fidei quod attinet, probetur esse contraria: de quo cum nullum unquam dubium animum mihi incesserit, cumque ad alia omnia præclusas aures nos habere cunctis, qui me non ignorant, confidam esse notissimum, quid est quod in eam spem quenquam mortalium adduxerit, quasi abduci ab accepta fide possemus? Illud equidem assiduis a Deo Opt. Max. precibus postulo flagitoque, ut mentis meæ tenebras velit non *ψευδοφαεῖ* luce illustrari, sed vera, hoc est, illa quam in Verbo ipsius lucere tota vetus Ecclesia una voce pronuntiat. Eo siquis ducem mihi se profiteri gestiat, maximam, testor *τὸν καρδιογνώστην* Deum, iniverit a me gratiam; præeat modo recte et itineri illi insistat, quod sanctos patres, quorum nomina vereor, esse ingressos trivisseque certissimum apud me est. Cæterum siquis me nonnullorum hominum similem arbitratur, *ὧν νόος ἀκρόπλοος καὶ ἀβέβαιος καθέστηκε*, neque ille me novit, et ego ejus amicitiam, libere loquar, nihil moror. Quid multa? nemo, opinor, est, quin sciat, quæ studia profiteamur, quarumve literarum notitia Regi Christianissimo innotuerimus. De his qui voluerit cumque mecum agere, gratissimus semper fuerit; nam neque ad discendum ullam ducimus ætatem seram, et ad docendum nulla potest cuiquam propensior esse voluntas quam mihi."

Pr. Eid. Oct. Foppium ab Aitzema Ep. 418, de acceptis literis, de astu Pontificiorum et scripta ad Perronium epistola.

XIV. *Kal. Oct.* N. N. Ep. 420, *Madriti.* De Dissertationibus inter epulas apud Perronium et sua ad illum Epistola.

10 *Octobre.* 367, 14 (*Burn. MSS.*) "Monsieur, J'aurois beaucoup a dire, si j'estois pres de vous: mais une erysipole qui m'a guerroche rudement depuis trois mois, et qui me tient encore par le pied gauche, ne me permet de faire longue pause, outre le depart du porteur, lequel desloge deux jours devant le temps que je m'estois imaginé. Vostre longue lettre a esté allonge par plusieurs devis agreables de mon compere M. Blancharde, lequel est retourné en sa tavernette de Nyon. Je ne scai s'il y subsistera long temps, encore que le pedantisme soit son vrai gibier. Par deux fois vous ai escrit depuis votre depart d'içi: mais j'ai ce malheur que plusieurs de mes lettres s'esgarent. Les recharges de visitatione que me marquez en la maladie si longue de Mad. Casaubon picquent tous vos amis; consolez en la vigoureuse patience que Dieu vous donne. Je me confie que ceste pratique du Christianisme vous rendra tant plus douce et precieuse la theorie theologique, a laquelle Dieu vous appelle, attire, atraine par ces liens de sa charité paternelle. Croyez que je croy de vous que vous y pensez, comme en avez toutes occasions et devez les empoigner a deux mains en ces temps perilleux. Si faut il dire en fin adieu a ces *œuvres* de sapience humaine, et aprocher un peu plus chaudement de la divine *loi* si vous en serviez si tost aux autres, vous servirez aux vostres, a vous mesmes. Je souhaite en un mot que vous pensiez a la profession de theologie, voire a bon escient, pour faire bien tost teste de ces transformateurs et plastreurs de mensonge. Je lis quelquefois en ce qu'avez fait sur Theophraste, Strabon, Suetone, Athenee, et j'attens encore pour la derniere piece votre Perse. Mais quel contentement seroit ce a vous, a vos freres, aux hommes craignans Dieu de voir vos labeurs sur l'antiquité ecclesiastique, un Tertullian par vous illustré, ou quelque bon volume de diverses leçons sur ces vieux Theologues Grecs et Latins? Combien de fraudes monachales, combien de crimes Jesuitiques, combien de mechancetez execrables de nos correcteurs modernes sont a descouvre? Vous voyez les playes sanglantes des bons anciens, que l'on mutile que l'on escorche. Ne l'endurez plus. J'espere que notre Seigneur vous donnera quelque retraite. Je n'ose penser a ces quartes

de deça : la pauvreté, l'envie, la pedantisme y regne trop; suivie d'autres maux qui me renouvellent l'erysipole et me provoquent presques a vomissement. Toutefois monsieur Lect vous y souhaite : ce qui m'a esmeu de feintre quelque chose : mais ne voyant jour aucun en mon dessein je sursoys, et veux par quelques lettres devisses premierement avec vous cest hiver, si une nouvelle escalade ou autre bourasque Savoyard-Espagnole ne nous trame sur un bouleverse dans quelques mois. Certainement nous courons a nostre ruine par trop de desordres au dedans, ausquels je voy peu, ou point de remede, faute d'honneur. Je suis retourné a ma solitude de Sainct Gervais, d'ou je ne bouge le plus du temps, me consolant avec mes meilleurs amis, mes livres. Monsieur Godefroy a mieux fait a mon avis pour soy et les siens de ne bouger : et s'il survenue, je le desirerais en Hollande et vous avec. Les Espagnolizez tienent les Pays Bas pour acquir a l'Archeduc, qui deviendra vieil et pauvre, si toutes les villes a prendre lui coustent autant a moitié pres qu'Oustende. Nous n'avons point oublie la devise de nostre peur, Dominus providebit, ou Providebitur in monte Jehovæ. La peste estoit a Leyde assez fort tres mois passes. Je ne scai si elle est apaissee. Mon second fils s'y est acheminé pour y passer l'hiver, ou bien aller a Franctres en Frise au pres de Drusius et Sibrandus Lubbertus. Monsieur De La Scale (comme scavez) est fort apres son Eusebe affectueusement attendu. Monsieur de Besze decline de semaine en autre, et (s'il subsiste encore un peu de mois) retournera aux principes de la vie. Il ne bouge de la maison. Quant aux afaires de mad. vostre soeur, suyvez deux expediens. Faites en parler vivement a Monsieur Daufin Agent de ceste Republique en la Cour de France a fin qu'il en estive de bonne ancre deça. L'autre est escrivez en vous mesmes a messieurs les Syndiques, et Seigneurs de Conseil des XXV, et m'envoyez la lettre. Je la leur rendray moymesme. J'atten Monsieur Lect, qui est a Vendangee, pour aviser avec lui (qui vous aime, si je ne suis bien deceu) d'autres moyens convenables pour voir le bout de ces miserables hydrees, qui pullulent deça sans honte et remede. Le remede d'un synod national sera bon : mais il faudra essayer

les autres qui seront plus prompts. Escrivez en a toute nostre compagnie afin que quelques deputés d'icelle en parlent en conseil. C'est ce qu'avez pour le present de mon pauvrete qui apres mille salutations et recommendations a vos bonnes graces desire demeurer, Monsieur, vostre humble frere et serviteur, Simon Goulart.—De Sainct Gervais ce 10–20 Octobre 1604."

25 *d'Octobre.*] Mr. Du Plessis Ep. 419, Gallice, de studiis atque operibus suis; de obstinatione Pontificiorum. "Que pleust a Dieu que nos eglises eussent ou la volonté ou le moyen de dresser en quelque lieu une academie consacrée a la gloire de Dieu, et y voulussent retirer ceux qui desireroyent y servir.——C'est merveille de l'industrie de ces gens à procurer l'avancement de leur parti. Je ne veux vous amuser des merveilleux artifices, qui ont eté pratiqués envers moy depuis que suis en ce pais.——Je leur ay temoigné avec toute franchise, que j'abominois leur doctrine contraire a la parole de Dieu. Et quant aux grandes promesses qui n'ont jamais manqué, Dieu scait que je n'ay permis en tant que possible m'a esté, que mes oreilles en fussent polluées. Et quand on s'est addressé a ma femme, ce qui a plusieurs fois esté fait, ses oreilles n'ont esté plus ouvertes que les miennes."

XIII. *Kal. Nov.* Heinsium Ep. 421. De silentio Scaligeri.

Scaligerum Ep. 422. De eodem silentio.

III. *Kal. Nov.* Thuanum Ep. 423, mittens Rittershusii librum; de Isidoro Pelusiota. "Mihi tandem inventum hospitium; illud quidem angustum et non nimis commodum——Dominus ædium est Senator Gallus sive Coq, qui vastissimam domum sibi nuper ædificavit, et angulum quendam a reliquo corpore separavit, quod mercede locaret. Τὸ ἐνοικίον est aureorum centum." Ep. 424, commendans nescio quem.

III. *Non. Nov.* Salmasium Ep. 425. Respondet tribus ζητησειδίοις.

Nov. 9. J. Meursium Ep. 426, de acceptis ab eo literis, et fasciculis a se missis.

XVII. *Kal. Dec.* P. Bertium Ep. 427. Gratas ab eo fuisse literas. "Nos iis in locis sumus, ubi bonis vivimus inutiles; et quod me pessime habet, per eos quiescere nobis non licet, qui omnem lapidem movent, quo abducant nos a recta fide.

——Et tamen ferrem omnia facile, nisi illud enecaret me, quod de futura apostasia mea (πρίν μοι χάνοι εὐρεῖα χθὼν) novos subinde rumores alastores isti fingunt tanta quidem confidentia, ut qui me non norunt, rem factam putent."——

Sed erant qui norunt Casaubonum et constantiam ejus laudabant, qualis fuit Jac. Cappellus, qui hæc 363, 105 (*Burn. MSS.*) "Isaaco Casaubono viro clarissimo S.—Silentium diuturnum, quod imperavit mihi tui non oblivio sed reverentia, abrumpere cogit admiratio tuæ illius heroicæ constantiæ, qua ποικιλοδαιδάλους Satanæ atque purpuratorum aulæ Pontificiæ gnathonum technas tam generose contudisti, ut deinceps illis per te tacere liceat. Quidni enim ego quoque exultem? et erumpam in voces non meæ tantum sed et publicæ lætitiæ testes? Cujus per te justissimam occasionem nobis præbet misericors Deus. Ego vero temperare mihi non potui, quin hujus gaudii argumenta communicarem cum illustrissimo Principe nostro (*D. de Bouillon*) qui te et amantissime salutat, et sedulo hortatur ad invictam illam et homine Christiano vere dignam fortitudinem. Valeant impura tyrannidis aut culinæ Pontificiæ mancipia cum suis sophismatis pariter ac poppysmatis, quibus infirmiorum animos perstringunt aut inescant. Te solidæ veritatis petræ innixum et ἐποικοδομηθέντα si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinæ. Sed enim cum assidua hæc certamina mente recolo quibus inconcussum fidei tuæ robur labefacere nituntur non tam nostri quam Dei hostes, non possum quin tutiora tibi alcyonia exoptem, et securiorem recessum procul ab insanientis olim plebeculæ tumultibus, ab ambitiosa senatorii fastus pompa, ab importunis istis fucorum morsibus ac calumniis quibus cum fidei synceritatem non possint, famæ saltem candorem identidem conantur infirmare. At vel eo maxime nomine hæc non tam tuo quam totius *Ecclesiæ* bono vota concipio ut libera possis etiam in publicum sensa animi proferre, et ex inexhausto eruditionis tuæ penu reconditissimos thesauros expromere ad historiæ Ecclesiasticæ illustrationem. O si det Deus ut quæ adhuc in pectoris tui scrinio lateant, prodeant in lucem, quanta tum lux aderit multis tenebris? Quis stridor Baronianis tenebrionibus? Eja eripe te, siqua

via est ex his vinculis. Numquid plusquam satis justam tibi præbent ansam crabrones cucullati, qui te Regii voti prætextu tam promissis illicere quam minis concutere videntur? Sed jam taceo, et quam maximas possum tibi gratias agam, quod in Cameronii nostri gratiam commendatitias ad Montispessulani proceres literas scribere dignatus sis. Adsit Deus, precor, huic juveni, et tibi ac tuis fausta omnia largiatur pro sua in Christo gratia. Bene vale, vir sanctissime. *Sedani*, xv. *Kal. Nov.* CIↃ IↃ CIV. — Tui studiosiss. et obsequentiss. Jac. Cappellus."

x. *Kal. Dec.* Scaligerum Ep. 428. Accepisse se literas ejus et fortitudinem mirari: de suo isthuc itinere. "Interea scito gravissimas esse obortas caussas, cur suspecta mihi et molesta in hac urbe mansio sit facta: tandem enim illud *μυστήριον ἐφανερώθη*, non amore literarum nos huc esse accersitos; verum ut de veritate Dei per nos triumpharetur: *ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ' ἔσται.* Interea Gosselini tristissimo obitu, relictus enim a famulo decrepitus senex ante focum semiustulatus et vitæ expers postridie est inventus, redit ad nos cura bibliothecæ. Hic vero fremere multi, *δεινὸν εἶναι, καὶ πάνυ δεινὸν, εἴτις οὐ παππομανὴς μέλλει προστῆναι θησαυροῦ τοιούτου·* nosti cætera. Exspecto quid Rex jussurus sit; nam ut in aulam propterea irem, aut omnino manum verterem, nunquam impetrare a me potuerunt amici." De Eusebio, Serario Jesuita, Dione, Persio.

Heinsium Ep. 429, de accepto Theocrito: de Dione, et Beis bibliopola: de Persio ex parte edito: de epigrammate in Hadrianum.

x. *Kal. Jan.* N. Vassanum Ep. 430. De matre ejus.

IX. *Kal. Jan.* Scaligerum Ep. 371. "Omnino *ἐν δοίῃ μοι θυμὸς*, non ex levitate, sed propter multas gravesque caussas. Quod si me vetus illud viri sancti in monte *Deus providebit* non solaretur, tantæ solicitudini par non essem. Scripsi nuper de obitu Gosselini: quæ postea acciderunt si referre incipiam, nimis te morer. Certum est *τοὺς Λοϊωλίτας* omnem lapidem movisse, ut ejus ministerii, cujus codicillos (382, 23, Ep. 256) ante triennium demum a Rege missos acceperam, alius fieret successor. Quid objiciatur non ignoras; neque

nihil profecerunt, neque effecerunt tamen quod moliebantur. Adhuc sub judice lis est. Ego securus in museo exspecto quid jussurus sit, cujus est imperium, nam ut ea de re verba cuiquam faciam nemo a me impetraverit: *πρὸς τοῦτο καὶ τεκταινέσθων καὶ παλαμάσθων οἱ ἐμπεπερονημένοι ὁτιοῦν.* Ego digitum non porrigam ea caussa."

xiv. *Kal. Jan.* Foppium ab Aitzema Ep. 372, sibi Regiæ Bibliothecæ demandatam custodiam otium ad censuram Poematiorum non dare.

x. *Kal. Jan.* Scaligerum Ep. 374. Librum *περὶ τῆς χαλυβοδεικτικῆς* ab auctore quem commendat rogatus dono mittit.

iv. *Kal. Jan.* Eundem Ep. 376. "Scripsi nuper tibi de Gosselini obitu. Id muneris quum ante triennium mihi esset a Rege ultro demandatum, nos tamen ne venerando seni dolori essemus, ne verbum quidem ullum unquam super eo cum ipso commutavimus. Accidit vero sane quam perincommode, ut tunc ille fatis concederet, quando flamma illa cum maxime ardebat, qua propemodum ustulati sumus. Fremere igitur boni fratres et clamare indignum fore facinus, si tantus thesaurus obstinatissimo hæreticorum, sic enim vocitant, permitteretur. Est quidem Princeps noster fidei tenacissimus etiam erga humillimos; concussus tamen est illius animus istorum vocibus. Ac quoniam periculosi res exempli fore videbatur, si religionis caussa delata semel provincia abrogaretur, exstitere homines ingeniosissimi, qui inventiuncula nova malo mederentur: fuere enim auctores ut ad cernendam hanc hæreditatem Hugo Grotius usque inde ex Haga Hollandorum vocaretur, ut intelligerent omnes non religionis quam profiteor, sed mei privato odio hoc fieri. Cum hæc agerentur, plures amicorum ad me venerunt, qui monerent, irem in aulam, et cum optimo Principe agerem; quod cum impetrare a me non possent, illud facile obtinuerunt ut literis de Gosselini morte Villaregium facerem certiorem. Præterierunt septimanæ aliquot, cum interea alii gratia, alii pecunia rem tentarent. Post illa venit Rex in urbem, quem statim pro more et officio adii, quo loco bibliotheca esset, aperui; de me ne verbum feci. Sensi voluntatem illius erga me non leviter immutatam, neque enim familiari illo vultu nos excepit,

quo prius solebat, quæ singularis ipsius est comitas et benignitas. Postridie adiit ad illum magnus Thuanus; qui animum ejus cum vidisset nutantem, nullo negotio firmavit. Non diu deliberatum est post illa; nam altero die venit ad me Perrottus Regis secretarius, qui nuntiaret placere Regi, ut pristinum beneficium ratum maneret; ut ejus rei codicilli, prout moris est, quam honestissima forma perscriberentur, atque adeo jussisse ipsum, ut Thuanus et Villaregius ei negotio finem imponerent. Erant meæ jam partes ut ambitiosis precibus a summis illis viris obtinerem quod Rex sponte sua dederat. Sic enim in hac aula vivitur, ubi nulla unquam mihi fuit molestia, si quid vellem a Rege mihi concedi, plurima, si Procerum aliquem vellem conventum. Hac omni sollicitudine *ὁ θαυμάσιος* Thuanus sic me liberavit, ut rem prius confectam intellexerim, quam in animum inducerem cuiquam eo nomine supplicare. Hodie igitur cum tuas XII. Kal. Nov. datas legerem, et de te fabularer cum illo adolescente, qui eas reddiderat, allatum diploma est, quo præter verborum honorem quadringentarum librarum stipendium priori pensioni adjicitur. Id vero mihi eo gratius accidit, quia Villaregius nullo meo rogatu, imo vero inscio me hanc *συντάξεως προσθήκην* mihi procuravit." De Eusebio Burdigalensi, et Persio suo.

Heinsium Ep. 375. De carmine ejus in commentarium Persianum; de futuro ejus in Galliam adventu, et Calignonis hospitio; se cum Heinsio rediturum, ut Scaligerum visat; "De Loyolitis quod metuis multum te amo, sed libera te metu; nam illa *μορμὼ*, etsi merito *φοβερὰ*, *οὐκ ἔδακε* tamen hactenus quidem. Ex iis quas ad illustrem heroem (*Scaligerum*) scripsi, intelliges quam pene sit factum, ut in contumeliam nostram Grotius vester huc vocaretur.——Dionem an acceperis a Beisio velim significes."

1605. IV. *Non. Jan.* C. Rittershusium Ep. 431. Carmina ejus laudat, scripta *πολεμικὰ* deprecatur. "Nunc absolvetur editio nostrorum in Persium commentariorum."

III. *Non. Jan.* J. Caselium Ep. 432. Gratæ ejus epistolæ: cum Scaligero comparatur.

II. *Non. Jan.* Scipionem Gentilem Ep. 433. Eruditionem

ejus laudat: de Judæo (*Conrado Ottone*) professione Christiano edendis Rabbinorum libris operam dante: quare ipse observationes sacras non scribit.

Jan. x. D. Pætum Ep. 1038 Græcè. Amicitiæ ergo.

xix. *Kal. Feb.* Foppium ab Aitzema Ep. 434, nulla se re defuturum, quæ quidem in potestate fuerit.

Id. Feb. Scaligerum Ep. 435. In Regia Bibliotheca quid invenerit. "Misi tibi ante sex dies Chronicum Eusebii donatum tibi ab Episcopo Vasatensi, quem paullo post obiisse supremum diem heri intellexi. Eum fasciculum dedi cuidam Du Temi qui negotia hic agit amplissimi Buzenvallii Legati."

x. *Kal. Mar.* Eundem Ep. 436. De scriptis ejus in Serarium, et de impurissimo et deterrimo atque imperitissimo mortalium Del-Rio.

vi. *Kal. Mar.* Lingelshemium Ep. 437, de mendaciis contra se disseminatis et constantia sua.

Mendacia sane ista non leviter affecerunt, amicos nonnullos Casauboni 367, 79 (*Burn. MSS.*)

"Monsieur, J'enten que le diable travaille et tasche plus que jamais a vous ravir a Dieu et a son Eglise. Mais je m'asseure que tous ses efforts seront vains: et Dieu ne permettra point que vous soyez arraché de sa main. Celuy qui a commencé son œuvre en vous la poursuivra, avancera et parachevera à sa gloire et à vostre salut. Je me rejouis infiniment quand j'enten votre pietè et constance singuliere. Trouvez bon neantmoins que je vous prie de boucher les oreilles au chant de ces Syrenes. J'adjouste qu'il vous faut esloigner de ces pestes et instrumens du diable, et cercher quelque lieu plus commode a vostre profession. Et sur ce subject je vous diray que nous desirons de vous r'avoir par deca. Nous cerchons les expediens et moyens pour rendre vostre condition bonne et honorable. Nous n'y espargnerons rien. Ainsi vous aurez plus grand repos d'esprit, et vous pourrez plus seurement, plus librement et plus utilement servir a l'Eglise de Dieu. Je vous prie de vous y disposer. Vous scavez combien je vous affectione et honore. Permettez donc que nous procurions ce bien et a vous et a l'Eglise. Ayez patience et attendez, s'il vous plait, que nous y disposions

toute chose, et prenez ce desir, et ceste recerche comme procedante de celui qui est a jamais votre tres humble et tres affectionne serviteur Biagord.

"Je vous baise tres humblement la maine et a Madame de Casaubon."

En Montpelier ce 13 *de Janvier* 1605.

IV. *Non. Mar.* Scaligerum Ep. 438, de Persio ante aliquot dies ad umbilicum perducto; de revisendis Arabicis libris; de Albategnio.

V. *Eid. Mar.* C. Labbæum Ep. 439, de ἐν μέρει ἑορτῆς et κτίσει.

Heinsium Ep. 440, invitum se Pastorum consilio compulsum ad Perronium scripsisse Ep. 417.

Jan. Gruterum Ep. 441. Persium mittit; Chalcondylam expectat.

Scaligerum Ep. 442, quia scribendi offertur occasio.

C. Rittershusium Ep. 443. Mittit Persium, ut memorem se illius et amantissimum probet.

Hœschelium Ep. 444. Offert Regiæ Bibliothecæ opes. "De Privilegio (Ep. 410) sic habe. Creatus est superioribus diebus a Rege non Cancellarius quidem, sed σφραγιδοφύλαξ tamen alius præter illum priorem de quo nuper ad te scripsi. Is est Silerius, apud quem videmur gratia aliquid posse. Ille igitur cum munere suo fungi incipiet, quod nondum facit, preces meas, scio, haud difficulter admittet."

X. *Kal. Mai.* Heinsium Ep. 445. "Ἐπιταφίους quidem λόγους (Ep. 403) scripsere, et scribunt quotidie multi; sed, ut tu scripsisti, hactenus profecto nemo."

Kal. Mai. Scaligerum Ep. 446. Mittit veteris scriptoris περὶ Ὀλυμπιονικῶν libellum. De Regia Bibliotheca, libello in Serarium, Pseudo-Gorionide et voce κεῖρα.

VIII. *Eid. Mai.* Jo. Meursium Ep. 447. De accepto libro, et reddendo Persio suo.

Scaligerum Ep. 448. Exspectat Eusebium.

IV. *Eid. Mai.* Foppium ab Aitzema Ep. 449. Salmurium profecto auctor est ut isthic habitet, ubi nobilis ille, qui ejus fidei creditus est, pietatem simul cum lingua possit commodissime addiscere.

Scaligerum Ep. 450. De Eusebio Pontaci. "Equidem existimo non infelicem ab eo positam in eo operam ut Chronicum Eusebii legeretur, quale ab Hieronymo est olim publicatum, sed quale ab ipso Eusebio debuerat concipi, hoc vero est quod a te uno éxspectamus."

Mai. 12. Plessæum Ep. 451, Gallice, de sua Historiæ Ecclesiasticæ cura; de fraudibus illorum qui sibi adversarios novatores appellant; de Scaligero in Serarium.

IV. *Eid. Jun.* Scaligerum Ep. 452. De Theveto; de vocibus Arabicis quæritur; de fabella lepida apud Baronium A. D. 415.

F. Vertunianum Ep. 453, Gallice; de se studiisque suis.

VI. *Eid. Jul.* Heinsium Ep. 455. "Sperabam me in reditu ducem tibi futurum itineris in Gallias: nunc quid consilii tibi dem, non satis scio; cum præsertim raptim hæc scribam: illud spondeo adventu tuo nihil mihi posse aut gratius contingere aut expectatius: sin isthic adhuc moraris, filium ad te mittere constitui cum bono Deo."

Iterum Ep. 454. "Est in Bibliotheca Maximus Tyrius antiquæ manus, et admodum bonæ in speciem notæ."

Scaligerum Ep. 456. De literis ejus, bibliotheca, et mathematicis. "Vidisse te non dubito Stygii cujusdam canis (*Caroli Scribanii*) amphitheatrum honoris. Eo Satanico libro nos quoque vocamur in partes.——Miror tamen quis sit hic furor, quæ rabies, quietos homines atque εἰρηνικοὺς sine caussa invadere, atque ad certamen provocare. Possem hæc facile contemnere, nisi securo somnum adimat illa cogitatio: Qui talia dicant scribantque, hos quid censendum est moliri? aut quis potest dubitare homines Cerbereos nihil nisi flammam et ferrum meditari? Ego non dubito omnia eorum consilia eo referri, id agere, id studere unum, id assidue urgere, ut in bonos impetum faciant, piorum sanguine quem pridem sitiunt οἱ ἀλάστορες καὶ ἐναγεῖς, proprias maculent manus, ἀποφράδος denique illius diei, quæ sola ipsis placet, lanienam instaurent. Scio tamen ab hoc consilio quam alienissimum esse illum, cujus recenti beneficio (526, 11) ita feroces sunt facti: sed profecto in ea devenimus temporà, ut sit οὐδὲν ἀπώμοτον. Itaque fatebor tibi, quod res est, quotidie magis magisque

commoveri me, ut non tam mihi, quam meis, metuam, et prospectum cupiam. Hoc cum rescivissent Consules Nemausenses (*Nismes*), certum hominem ad me miserunt cum mandatis literisque scriptis quam honestissime, ut me suum facerent, persuaderentque mihi, ut penates meos in suam urbem vellem transferre. Offeruntur mihi in stipendium annui sexcenti aurei, quæ summa, ut quidem ipsi pertendunt, pluris isthic æstimari debet, quam quicquid est, quod a Rege hic præstatur. Addunt insuper de hospitio, cujus gratia libras pendo annuatim in hac urbe quingentas. Nunquam adeo æstuasse me recordor, atque in hac deliberatione multos jam menses *ἔνθεν κἄνθεν ὑπὸ ἀμηχανίας διασπῶμαι.* Quoties studiorum meorum venit in mentem, hoc est, *τῆς παρούσης βιβλίων εὐπορίας*, hic vivere, hic mori mihi suave est, et profecto tam longe a te abesse, mortis instar mihi futurum. Accedit magni Mæcenatis mei reverentia; nam ingratum me illi non esse, unica re excepta, certo scio. Thuanus vero *ὁ ὑπερμέγας*, quo animo abitionem meam sit laturus, satis declaravit superioribus diebus, quum pro nostra conjunctione æstum meæ mentis cum illo communicassem, et consilium ipsius expetiissem: non enim dissimulavit, nullo modo sibi videri ferendum, ut de ea re vel cogitarem. Hæc fere sunt ab hac parte, quæ etsi pro eo ac debeo, duco esse gravia, vereor tamen ne si in alteram lancem contrarias rationes contulero, facile sit præponderatura. Omitto justissimas metuendi caussas, de quibus ante dicebam: certe cum liberos meos, cum uxorem respicio, quid est, cur *ἐμφιλοχωρεῖν* ei loco debeam, ubi neque vivus consulere eorum possum commodis, et moriens in summa solitudine atque amicorum inopia afflictissimam domum sum relicturus. Magni enim illi amici, quorum gratia pollemus, altiore loco sunt collocati, quam ut *ἐμοῦ οἰχομένου* meis ipsos conveniendi ulla sit futura facultas; nedum ut in ipsis fore ullum præsidium miseris paratum existimare debeam. Ego ipse duobus exceptis viris optimis maximis, cæterorum *συκίνην ἐπικουρίαν* esse non semel sum expertus. *Οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει.* Regis liberalitas etsi non contemnenda, propter loci tamen ut scis damnosissimi conditionem hæredes non multum est adjutura. Est mihi liberorum parvus quidam

populus: filios in Dei timore et literis curare instituendos sine maximis impensis non possum, filias si sperem conditiones hic reperturas pro honestate familiæ nostræ quod præfiscine dictum sit pro cerrito sim circumferendus: nam quæ alibi luculentæ censeantur dotes, cerdonum Parisiensium, et tomadariarum filias vix deceant. Hæc me cogitare, et non minoris momenti quam ista sint alia, quæ, ne longior sim, missa facio, pietas jubet et ἡ φυσικὴ στοργή. Te igitur convenio, sapientissime Scaliger, teque, per hunc tantum quo me dignatus es amorem, oro obtestorque, velis ad ἀκαρὲς punctum temporis fingere te quasi hic sis, et agitata apud me deliberatione ista, consilium mihi impertiri tuum; non enim vereor, ne cujus consilii te habuero auctorem, ejus me jure unquam pœniteat."

XVI. *Kal. Aug.* D. Hœschelium Ep. 457, missurum se libellos de Satyrica Græcorum Poesi et Romana Satyra: de Procopio.

VII. *Kal. Sext.* Hebelum Brunerium Ep. 458, de libello adversus se scripto (*a Scioppio*), quem contemnit: paratum majoris dignationis Antagonistam (*Baronium*): de proficiendo in Arabicis, Laurentio Archiatro, Hottomanno.

III. *Eid. Sext.* C. Rittershusium Ep. 459. Carmina ejus laudat: de Amphitheatro Honoris (Ep. 456). "Est mihi cum Frontone Ducæo ejus quidem φρατρίας viro at non eorum morum, et præterea doctissimo familiaritas magna. Is juxta mecum auctorem libri vel potius auctores et approbatores abominatur execraturque." De Thuanea Historia.

XVI. *Kal. Sept.* Scaligerum Ep. 460. Acceptis ternis respondet: benignitas ejus provocat, ut sit molestus: de Theveto, convitiis Loyolitarum, Pseudo-Callisthene, Eusebianis.

Heinsium Ep. 461, de nunciata editione Canterianæ συλλογῆς; isthic esse tres viros ipsum, Canterum, Scaligerum: Lutetiæ unicam Regiam Bibliothecam dignam oculis ejus.

III. *Kal. Sept.* Cl. Salmasium Ep. 462. Gratæ fuerunt ejus literæ: intelligitur cum voluptate meditari illum quod posteri loquantur: quæ de Callimacho scribit, nihil plebeium sonant, quæ in Athenæum animadversa sunt δόκιμα. "Nullum aliud, Lutetiam ubi veneris, prius ingrediaris hospitium quam meum. Notissima est Franciscanorum λαύρα, in qua regione habito prope ædem illorum."

Aug. 31. Scaligerum? Ep. 463, Gallice: de Amphitheatro Honoris. "Je ne scay comment ma plume s'est egarée a dire un mot de ce Satanique livre que m'aviez donné, et qui est maintenant entre les mains de M. de Rosny: d'autant que le Roy en ayant ouy parler il avoit esté instruit par son Cotton (526, 11), que tout ce qu'on en disoit, estoit faulx, et l'a hardiment soustenu Jesuitica fronte a Monsieur Servin en presence de sa Majesté."

Eundem Ep. 464, Gallice, de responso Serranii.

Kal. Sept. Lingelshemium Ep. 465. Mittit libellos de Satyrica Græcorum Poesi, et Satyra Romana: in cognitione τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας quotidie se proficere: de libri Arabici usura.

Marquardum Freherum Ep. 466. Pomponium ejus expectari: libellos suos mitti: in Polybio se nunc esse. "Amphitheatrum Loyolitarum vidisti. Ego ita sentio interesse reipublicæ ne eximatur hominum oculis tam insigne monumentum Jesuiticæ impudentiæ, συκοφαντίας, impietatis erga Deum, contumeliæ in Reges ac Principes, furiosi denique odii quo literas et virtutem persequuntur οἱ ἀλάστορες.——Qui hic sunt ex illa familia mentiri nescia deos deosque dejerant non se neque suos tam abominandi libri esse auctores, verum istos hæreticos qui verecundæ familiæ atque probissimæ invidiam voluerunt conflare: et cum astu illorum omnes libri essent subducti, tum frontem perfricuerunt, et apud Regem fortiter negarunt vel talem librum fuisse scriptum, vel in eo quicquam eorum legi quæ vulgo jactarentur."

C. Rittershusium Ep. 467, de desponso illi exemplari Historiæ Thuani, misso opusculo suo de Satyra, Polybio: Isidorum illum sedulo nimis curare; exemplum sumendum de se jam minus assiduo in studiis, factoque ἐρρωμενεστέρῳ et ὑγιεστέρῳ· de locis emendatis.

III. *Non. Sept.* Scipionem Gentilem Ep. 246. Mittit opusculum suum: de Judæo Conrado Ottone, Ep. 433.

II. *Non. Sept.* G. Remum Ep. 468. Edito ab illo Themistio gaudet.

Non. Sept. Heinsium Ep. 469, de sex libelli sui exemplaribus Beisio traditis, a Raphelengio recipiendis.

Scaligerum Ep. 470, de versione Mimorum Publianorum:

de Vettio Valente: de exemplaribus Beisio traditis: de Polybio: de versione Arabicorum Proverbiorum, atque nova ejusdem editione.

x. *Kal. Oct.* C. Labbæum Ep. 471. "Postquam a nobis discessisti, in continuis terroribus scito nos esse versatos; quin superiorem noctem perpetem insomnem traduximus ego et omnes mei, cum e variis locis accepissemus cædem nostram parari, et veteris lanienæ instaurationem. Audisti, puto, de publico programmate, et quidem typis edito et affixo V. D. P. V. P. (*unde de plano videri posset*) quo studiosi convocabantur ad necem Hablone redeuntium, e quibus unus saltem, etsi ab aliis, est occisus."

v. *Kal. Oct.* Scaligerum Ep. 472. De impostoribus priorum seculorum: de panicis terroribus et programmate: (de quo Ep. 471) versionem se Polybii facturum. "Accepisti credo indiculum τῶν προβλημάτων, ὧν περὶ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἠρώτησεν ὁ τοῦ γωσυπίου ἐπώνυμος (*Cotonus*). Historiam tibi nuper scripsit amicus noster Biturix (*Berry*), et simul quæstionum exemplum misit. Noli de re dubitare, ipse αὐτόγραφον vidi hisce oculis apud Gillottum, neque veritus est auctor factum tueri apud Thuanum."

Thuanus 132, 13. "Piget hic addere rem in specie ludicram, quæ tamen, quia in vulgus jactata in varios sermones incurrit, omitti non potest. Venerat in urbem spectaculorum omnis generis plenam puella, nomine Hadriana Fraxinea, Gerbiniaco pago in Ambianis (*Amiens*) nata sex a Samarobriga miliaribus, paupere loco, quæ parentes habebat labore diurno vitam tolerantes: in Bernardinorum vico, ubi hospitium sumpserat, ostentabatur tanquam a maligno spiritu possessa, et crebro ad S. Victoris nobile in suburbio proximæ cœnobium deducebatur. Haud minore frequentia quam ad Martham Brosseriam, concurrebant undique omnis conditionis homines, quorum illa, aut impurus qui eam habebat spiritus, per bimestre curam et industriam exercuit. In iis fuit Petrus Cotonus, qui excantandi spiritus fiducia fretus ad energumenam accessit; et ut erat curioso et excellenti ad omnia ingenio hinc occasionem sumpsit ab Hadriana sive spiritu sciscitandi multa, quæ aliunde cognoscere spes non erat. Is

commodato librum exorcismorum ab amico viro docto et pio acceperat, cui, ut memoriam adjuvaret, indicem quærendorum inseruerat manu propria et Latina lingua exaratum; quem post peractum exorcismorum ritum per obliviosam imprudentiam amico a quo acceperat cum libro restituit. Ille, qui Cotoni manum ignoraret, neque a Cotono scriptum profectum crederet, alteri amico tradidit, et ita scriptum per manus multorum volitavit, donec ad Ronii Marchionem pervenit, qui illud Regi ostendit. In eo quærebat ab Hadriana sive spiritu maligno Cotonus, quid se vellet Deus scire circa R. R.? (*Res Regni?*) Quid circa commorationem in curia? Quid circa admonitiones privatas et publicas? Quicquid circa viam et iter? Quicquid circa confessionem ejus generalem? Quicquid circa commorationem cum Patribus? Quicquid circa comitem Lavallum? circa vota, sacrum, casus conscientiæ? circa conversionem animarum? Quicquid circa canonizationem, utrum urgere se velit? Quicquid circa bellum cum Hispanis et hæreticis; circa missionem in Franciam Novam et totam oram adversæ Americæ? circa viam quam tenere debet ut suadeat efficaciter; viam ut abstineat a peccatis? Erant et quæstiones eruditæ; An linguæ a Deo? Quis evidentissimus Scripturæ locus ad probandum Purgatorium et invocationem Sanctorum? Quomodo animalia in arca Noë capi potuerint? Qui filii Dei filias hominum dilexerint? Pedibusne incesserit serpens ante Adamæ lapsum? Quamdiu in cælo ipsi, et in Paradiso terreno parentes fuerint? Qui sunt septem Spiritus ante thronum Dei? Archangelorumne Rex? Quomodo insulæ animalia acceperint, et eo homines post Adamum pervenerint? Ubi paradisus terrestris? Quota pars conciderit Angelorum? Quæ adoratio Dei in Cherubin? Quod majus periculum nostrum? Cui restitutioni Rex sit obnoxius? An expediat matrem Pasitheam venire? Quid de D. R. (*ducis Ronii*) conversione sperari possit? Qui hæretici ad fidem accessuri facilius in aula? Quicquid periculi creatur in societatem a dæmonibus? Quicquid contra se? Quid utilissimum ad conversionem omnium hæreticorum? Quis scholæ Pictaviensis (*Poictiers*) fundationem maxime impediat, et quid? Quid ut firma pax cum Hispanis? Siquid se velit scire Deus de tem-

pore quo Calvini hæresis extinguetur? Circa Genevæ plagiarium quid se scire velit Deus per ipsum spiritum? Quid circa profectionem patris generalis in Hispaniam? Qua ratione converti Rex Angliæ Regina et Regnum maxime et facile queant? Turcæ qua supplantari ratione, qua converti infideles? Quid circa Genevæ conservationem tam sæpe? Quid circa Regis sanitatem? Quid circa compositionem animorum inter Regem et magnates subditos? Quid circa urbes obsidionales? Quid circa Lesdiguerium et ejus conversionem? Quid Ambiensem (*Amiens*) scholam impediat? Quid Trecensem (*Troyes?*) Circa durationem hæresis? Quærebat et qua ratione juvari posset D. de Viroduno, qui jam tum ad ecclesiasticam, quam postea adeptus est, dignitatem aspirabat? Hæc alii ridebant et mordaciter carpebant: nam si veritatis amore ducitur, cur a patre mendacii eam sciscitatur? Dum vero loca indagat Scripturæ probandis iis, quæ ecclesia tenet, quid aliud agere, quam aut se de iis dubitare, aut ab eo, qui Scripturam ex proposito calumniari amat eorum probationem frustra petere? Alii omnino damnabant: nam expresso Dei verbo prohiberi, ne quis sciscitetur ariolos, et observet auguria et somnia, neque sit maleficus, atque incantator; neque qui Pythones consulat, nec divinos, et quærat a mortuis veritatem: omnia enim hæc abominari Dominum, et propter ejuscemodi scelera gentes deleturum. Cui autem opus esse perscrutari super Regis salute, nisi a quo adversus illam cogitatur, aut post illam speratur? Non oportere nec licere, ut de statu reipublicæ nefaria curiositate quæratur: nam qui de salute Principis vel summa republica mathematicos, ariolos, auspices, vaticinatores consulunt, cum iis qui responderint capite plectendos esse: et scitum est, quod a beato Thoma Aquinate dicitur, non licere dæmones adjurare per modum deprecationis, quia hoc ad benevolentiam pertinet; et Deus prohibet, ne socii dæmonum simus: sed licere per virtutem Divini hominis eos adjurando ejicere, ne noceant: non autem ut per eos aliquid discamus aut consequamur. Pauci denique excusabant; et quod inconsiderato pietatis studio excogitatum et factum fuerat silentio sepultum malebant. Sane Rex, qui rem in occulto minime probabat, et Ronio, ut autographum retineret

neque alii daret, enixe imperaverat, eum evulgatum indoluit, quod provideret futurum, ut apud bonos prudentesque multum Petri Cotoni existimationi ex ea occasione detraheretur, cujus ipse opera et industria, ut sibi videbatur, in multis rebus utiliter utebatur. Itaque ut os aulicis obstrueret, rem quantum poterat verbis elevabat, et de ea aliter sentire quam re vera sentiebat præ se ferebat."

IV. *Kal. Oct.* C. Labbæum Ep. 473. Scaligeri Epistolam mittit.

III. *Non. Sept.* Scaligerum Ep. 474. "Erat novissima Epistola mea κακάγγελος et metus plena, cum mentes piorum nescio quis terror panicus tenebat: non ille quidem sine ulla caussa temere conceptus, sed, quod omnino fatendum est, longius quam oportuit progressus. Audisti, credo, de programmate variis locis publice affixo; id scriptum impium adeo nostros terruit, quod præsertim eodem die aliquis Hablone reversus esset trucidatus, ut non dubitarent plerique diei Bartholomeæ immanitatem per Regis absentiam repetitum iri. Fuit hactenus, et erit, spero, vanus hic timor noster; re enim ipsa apparuit publicæ tranquillitatis studiosissimos esse non tantum principes verum et magistratus quoque cæteros."

III. *Eid. Oct.* A. Melvinum Ep. 475, de fiducia in pietate Regis Angliæ.

XIV. *Kal. Nov.* Scaligerum Ep. 476. Ex libris Francofordiensibus se notasse Geographiam Pauli Merulæ, vidisse Minerval Scaligero et Drusio appensum a Serario. De Balforio Gymnasiarcha Burdigalensi qui Cleomedem illustravit.

III. *Non. Nov.* Heinsium Ep. 477. Rogat de exemplaribus a Beisio ad Raphelengium missis. "Cum jam clausæ hæ literæ essent, accepi nuntium de morte magni viri Theodori Bezæ." Hortatur ut scribat carmina epicedia.

J. Vasanium Ep. 478. Respondet Epistolæ 366, 164 (*Burn. MSS.*)

Scaligerum Ep. 479. Laudat Exoticorum libros decem a C. Clusio editos: Polybius Latine loqui cepit: Fronto Ducæus nactus est codicem Marcellini Comitis: de morte placidissima Bezæ: Heinsium poscit carmen epicedium, ipsum, Baudium.

P. Bertium Ep. 480, accuratam cognitionem omnium hæreseων ad veram pietatem tuendam profuturam.

Gothofredum Jungermannum Ep. 481. De Eustathio et voce Παρεμβολίτης.

XIV. *Kal. Dec.* D. Hœschelium Ep. 482. De Origene quem misit; de loco Syrachidæ: Procopium illum, Polybium se exercere.

VI. *Kal. Dec.* Scaligerum Ep. 483. Literas ejus exspectat.

Eid. Dec. Eundem Ep. 484. De notulis in Marcellinum Comitem, Polybii versione, et rudi Græcarum literarum Perrotto; de negotio a Principe Arausionensi per Tremolliam expediendo. Vide Ep. 490.

VIII. *Kal. Jan.* Eundem Ep. 485, de Perrotto; de Chronico hominis Germani Sethi Calvisii.

1606. *Kal. Jan.* Cl. Salmasium Ep. 487. Edat specimen lucubrationum, curet valetudinem.

XVI. *Kal. Feb.* Heinsium Ep. 488. Acceptæ Epistolæ elegantiam miratur.

Scaligerum Ep. 489. Orat ut ad Nautonerium scribat.

XIV. *Kal. Feb.* Eundem Ep. 490. De notis in Cyclopem, Balforio, Thoma Lydiat, Polybio suo. De Domina de la Tremouille (Ep. 484). "Illa sola efficiet ut ad tuum pervenias, aut——" Vid. Ep. 512. De M. De la Bourdaiziere et gemmis ejus.

Eundem Ep. 491, de Epistola Arabice scripta ad Antonium Lusitaniæ quondam Regem, et de Abloala.

Non. Feb. Eundem Ep. 492, se prius scripsisse.

III. *Eid. Mar.* Eundem Ep. 493. Vertuniani literas et libellum mittit. "Ruimus in servitium infame infamis Scorti quod τὴν ἑπτάλοφον insidet; cujus monarchiam in temporalibus, ut loquuntur, novis subinde scriptis ex illa urbe aut locis vicinis prodeuntibus videmus confirmari, ut jam quid adjici possit non intelligam. Eo spectant illi tot Annalium Tomi; eo quicquid hodie fere editur: denique hic est hodie ὅρος εὐσεβείας.——De tuo negotio scripsi nuper. Res in periculo quidem versatur, sed spe tamen non caret. Si Tremollia vellet negotium suscipere, sola potest illud conficere." De monstro conanti omnes linguas revocare ad Hebraicam originem.

IX. *Kal. Apr.* Scipionem Gentilem Ep. 494. Literas a Conrado Ottone allatas: eum fore utilem Ecclesiæ sperat.

III. *Kal. Apr.* Lingelshemium Ep. 495. Actas gratias agnoscit; se in Polybio esse.

Hœschelium Ep. 496. De suis occupationibus, Procopio, et Polybio.

Pr. Kal. Apr. C. Rittershusium Ep. 497. Cupere se de rebus ejus cognoscere. Isidorum nemo vidit.

Kal. Apr. Scaligerum Ep. 498, de Arabico Diplomate; accepta epigrammata; de Burdonio, Scioppio, αὐτογράφῳ Gossepieponymi (*Coton*).

Pr. Eid. Apr. C. Rittershusium Ep. 499. Promittit se scripturum: de libro parato Ingolstadii in Scaligerum.

VIII. *Kal. Mai.* Scaligerum Ep. 500, de carmine ejus in Bezam.

Kal. Mai. D. Baudium Ep. 501. Accepisse se orationem ejus ad studiosos Leidenses habitam, admirari carmen quo Bezæ parentavit: expectandum brevi Suetonium Parisiis editum.

VI. *Non. Mai.* Scaligerum Ep. 502. Nicolaus Claudius Fabricius Peireschius Lugdunum proficiscitur; ostendit Casauboni majorum qui Veronæ imperitarunt monumenta.

III. *Kal. Jun.* Scaligerum Ep. 503. De obitu Lipsii. "Vidisti quæ scripta sunt de illius obitu? Equidem obstupui, cum legerem in ipso agone mortis vestem pelliceam B. Virgini dicasse, et statim jussisse afferri. Deum immortalem! quæ hæc anilis superstitio? cum interea de Christo, qui solus et μονώτατος est σωτὴρ, ne γρὺ quidem." De Setho Calvisio, Scioppio.

Heinsium Ep. 504. Pro munere accepto Poematum agit gratias. De Maximo Tyrio.

Bonaventuram Vulcanium Ep. 505, de Cyrillo ejus.

VI. *Eid. Jun.* Scaligerum Ep. 506, de literis non redditis, Setho Calvisio, et locis Polybii.

XIII. *Kal. Quint.* Lingelshemium Ep. 507. Mittit musteum libellum, Gregorii Nysseni Epistolam.

Scaligerum Ep. 508. Mittit ejusdem libelli exemplar.

Jun. 20. Plessiacum Ep. 509. Editionem se Patrum Lutetiæ curare non posse.

Pr. Non. Quint. Scaligerum Ep. 510. "Nos in Polybio nostro strenue pergimus per aliquot hosce dies; intermiseram enim nuper ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ. Dux Urbinas misit ad me scriptum manu codicem notæ sane optimæ, sed qui non Polybium, verum Epitomen Polybii continet. Nihil in eo, quod non sit editum, et quamvis magnam vetustatem liber præfert, non multa tamen invenio meliora quam in aliis." Exspectare se codicem Bavaricum, mittere Albategnium et Capelli opus de nummis.

VIII. *Kal. Sext.* Jacobum Guijonium Ep. 511, de literis Arabicis, et studiis suis.

III. *Kal. Sext.* Scaligerum Ep. 512, 513. Cupit de valetudine ejus cognoscere. "Narro tibi quod miraberis: tuum illud malum, pessimum nomen repente factum est optimum. Ecce habeo ipse in manibus, quod tibi debetur, quam summam quum hoc ipso pene momento temporis domum ipse attulerim, certum est non prius conquiescere, quam invenero cui tuto illam credam et isthuc deferendam tradam.——Alias narrabo qui perveneris ad tuum: nam scelestus ille tuus debitor de malitia nihil remisit, sed ὁ ὑπέρμεγας Thuanus ὁ καὶ χρήσει καὶ κτήσει σὸς rem confecit."

III. *Non. Sext.* Scaligerum Ep. 514. De Scioppio.

XIV. *Kal. Sept.* Hœschelium Ep. 515. De notis in Procopium non missis.

IX. *Kal. Sept.* Jo. Caselium Ep. 516. De Scioppio: mittit Epistolam Gregorii Nysseni.

VII. *Kal. Sept.* Scaligerum Ep. 517. De Frontone Ducæo et Chronico quod ille parabat. "Cæterum mœstissimus hæc tibi scribo sub discessum in proximum pagum, Bretoneriam nomine, eo enim (*septimo ab urbe lapide*) fugat nos ingravescens in dies pestilentia, quæ domum meam pene undique cingit.——Juvenem, qui mihi a te fuit commendatus, rus mecum abduco, ut in mathematicis disciplinis filium meum instituat."

V. *Kal. Sept.* C. Rittershusium Ep. 518. Isidorum non pervenisse; de Scioppio, Baronio. "Si essem Atheus, Romæ essem, quo optimis conditionibus fuisse me evocatum multi norunt."

C. Labbæum Ep. 519. Monet, si latius malum grassetur, ne pertinaciter in urbe maneat.

Lingelshemium Ep. 520. De Scioppio et de Polybio suo.

Jan. Gruterum Ep. 521. Mittit Nyssenum: Lipsium in Græcis plane puerum fuisse.

Hœschelium Ep. 522. Mittit notas περὶ κτισμάτων, et Nyssenum.

C. Barthium Ep. 523, literas acceptas.

J. Kirchmannum Ep. 524, nullam se scribendi ad illum occasionem prætermissurum. Iterum Ep. 538.

IV. *Non. Sept.* Lingelshemium Ep. 525. Commendat Cl. Salmasium.

VII. *Eid. Sept.* Heinsium Ep. 526, de profectione sua ab urbe propter grassantem pestem.

XII. *Kal. Oct.* C. Labbæum Ep. 527, de itinere suo Bretoneriam confecto, libris emendis, curanda valetudine.

IV. *Kal. Oct.* Baudium Ep. 528, de carmine in Eusebium Scaligeri.

Scaligerum Ep. 529. De Eusebio ejus.

III. *Kal. Oct.* Heinsium Ep. 530. de Maximo Tyrio ejus, Eusebio Scaligeri, Polybio suo.

C. Labbæum Ep. 531. de præfatione in Canones Isagogicos, et futuris adversantium clamoribus.

III. *Non. Oct.* Eundem Ep. 532. De rebus suis apud Genevenses. "Omnia me cruciant, quæ prætermitto, ne commemoratione tot tristium te quoque in mœrorem adducam. Unum est quod te nolo ignorare, Paulum Stephanum (498, 23) de quo scripsisti, abesse illum quidem Geneva, sed non ob eam quam existimas caussam, verum ideo, quia dum satagit innocentiam ejus propugnare, quem nesciat esse perfidissimum et sceleratissimum, in fraudem incidit. Parum abest, quin dicam δικαιότατον εἶναι τοῦτον μίσθον τῆς πολυπραγμοσύνης καὶ περιεργίας. Sed tamen hoc casu quin gravissime angamur ego et uxor facere non possumus. Et profecto melior hæc illi soror fuit semper, quam ille ipsi frater."

Oct. 15. F. Vertunianum Ep. 533. "Je vous escris la presente de la Bretonniere, huict lieues de Paris, estant icy retiré avec ma famille pour la contagion. J'ay eu cest heur de passer une partie du temps des que je suis avec Monsieur Scaliger, c'est a dire, avec son Eusebe, lequel apres longues attentes j'ay receu, et n'ay cesse, que n'aye devoré uno velut

spiritu. Ayant doncques joui d'un si grand bien, je vous ay voulu donner advis, qu'il y en a Paris, si desirez en avoir, comme je m'asseure que ne voulez vous priver de ce grand tresor, re et nomine, Thesaurum enim Temporum opus inscripsit."

iv. *Kal. Nov.* C. Labbæum Ep. 534. Rogat an justa caussa sit, cur diutius absit a musæo.

Pr. Non. Nov. P. Petavium Ep. 535. *Lutetiæ.* Luget obitum Calignonis; de Eusebio Scaligeri, atque altera ejus Epistola, scriptisque contra Clavios, Genebrardos, Feuardentios, etc. "Bellarminum quoque omne suum virus in Paulum Venetum, heroem magnum et vere διοπετῆ prius affusurum quam ad nostrum amicum se convertat. Audisti, puto, quem in locum res nobilissimæ illius Reipublicæ pravis consiliis eorum, qui Ecclesiæ Dei volunt τυραννικῶς imperare, sint perductæ: nisi enim præter omnium opinionem aliquis ἀπὸ μηχανῆς Θεὸς affulserit, quin ad arma veniatur, fieri haud potest. Scribebat (*infra* 364, 75 *Burn. MSS.*) nuper ad me vir amplissimus Legatus Venetensis (*Canaius*) hortans, ut quia lues publica esset mihi fugienda, Venetias excurrerem; reperturum ibi, quorum caussa laborem itineris non pigeret suscepisse. Cum primis vero, magnum Paulum visurum me, ipsa verba illius ponam, quem Deus necessario tempore ad magnum opus fortissimum athletam excitasset. Recte sane et vere ille; nam ut principia se dant, ingens aliquid molitur ἐπὶ πᾶσι, quod providere ὁ mens humana liquide satis non potest."

vii. *Eid. Nov.* Scaligerum Ep. 536. De Scioppio, Scribanio, Bellarmino, Paulo Sarpio. "Oro te, illustrissime domine, vidisti, quæ abreptitius ille Bellarminus nuper contra Venetos scripsit? Eam scriptionem ita concludit Sophista Satanicus, ut dicat, siquis putet Pontificem esse Deum, nequaquam mirari quemque debere. Tum τερθρείας putidas subjicit, cur id nemini debeat mirum videri.——Magna Deo gratia quod mediis Venetiis virum magnanimum magnum illum Paulum excitavit, qui teterrimi Sophistarum fraudes et paralogismos quibus orbi Christiano illudit palam faceret.——Nos vero diu est, cum in urbem rediimus, idque multis de caussis necessariis, maxime autem ut iter ad piam matrem institueremus;

ad quod cis paucissimos dies nos accingere, Deo propitio, stat sententia."

XIII. *Kal. Dec.* C. Labbæum Ep. 537. "Invitus feci, quod, te insalutato, itineri me accinxi; sed adivi ipse ad te pridie quam proficiscerer, nec domi offendi. Quod præsens non potui, per epistolam facio, teque oro ut ad illustrissimum heroem (*Scaligerum*) scribas de profectione mea adeo subita ut ne ad ipsum quidem literas dare potuerim, ut optabam. ——Peto etiam a te, ut, cum vacabit, meam et meos, ὁδοῦ πάρεργον, salutes, filiumque ad studia literarum tuis verbis accendas."

1607. VI. *Eid. Jan.* Scaligerum Ep. 539, recens reversus ex itinere ad matrem.

Non. Feb. C. Salmasium Ep. 540. De invento Heidelbergæ in bibliotheca Palatina τοῦ Κύκλου τοῦ ὑπ' Ἀγαθίου ἐκδοθέντος codice.

Scaligerum Ep. 541. Laudat ejus scripta; de Paulo du May, et Salmasio.

V. *Eid. Mar.* Scaligerum Ep. 542. "Vidistin', obsecro, quæ Venetiis prodiere scripta a paucis mensibus? Si vidisti, præsertim autem magni illius Pauli Veneti, de iis quid judices, cupio ex te intelligere. Ego enim cum illa lego, spe nescio qua ducor, futurum fortasse illic aliquando et literis sacris et meliori literaturæ locum. Mirum dictu quam multi, quam brevi tempore animum ad scribendum applicuerint: atqui nemo erat, qui existimaret in ea urbe unum aut alterum posse reperiri earum rerum intelligentem, quæ a doctrina Loiolitana abhorrent tantopere."

Eid. Mar. Salmasium Ep. 543. Epigrammata ejus accepta agnoscit.

XV. *Kal. Apr.* Fr. Taubmannum Ep. 544. Se scripsisse.

Wolfgangum Seberum Ep. 545. De Pollucis editione.

Hœschelium Ep. 546. De Chartis Procopianis. "Si ab imminentis, ut affirmant ἰατρῶν παῖδες, luis periculo urbem Deus liberaverit, hæc æstas cum proxima hyeme Polybianis curis me absolvet." De improbata (a Velsero) lucubratiuncula sua in Gregorium Nyssenum.

Scipionem Gentilem Ep. 547. De Paulo Veneto.

Sebast. Tengnagelium (*bibliothecæ Cæsarianæ Præfectum*),

Ep. 548. Literas ejus plenas esse eruditionis et benevolentiæ; de Arabicis studiis suis.

v. *Kal. Apr.* Scaligerum Ep. 549. Suas non pervenisse miratur: negat se facilem in ostendendis ejus literis. "Anni quatuor sunt ex quo scripsi ad Sedanensem amicum (*Tilenum* 262, 299) paullo liberius de ipso (*Perronio*). Forte accidit ut Mazerius quidam meas ad Legatum Venetensem (*Canaium*) mitteret, qui oblitus amicitiæ ad *αὐτὸ τὸ θηρίον* (*Scioppium*) et omnes amicos meos magnos exemplaria illarum literarum misit. Quid multa? expostulavit injuriam a me sibi factam *ὁ δεινὸς σοφιστὴς* (*Canaius*), effecitque ut displicere hoc sibi Rex ipse mihi diceret (507, 4) sed hoc tam comi tam benigna oratione ut luculentius bonitatis ejus argumentum nullum unquam sim expertus: nam actum de me esse multis jam erat persuasum. Ego vero neque negavi factum ut de eo scriberem, et nihil scripsisse cujus pœniteret constanter affirmavi."

vi. *Eid. Ap.* Eundem Ep. 550. Libellum adversus somnia *τοῦ χρονολόγου* se non vidisse: R. Stephanum lentum in Martiali: de Marcellini codice: de bibliotheca. "Nunc quid agam, quibus in studiis sim, scies, cum opus aliquod videbis *ἀνώνυμον*, (*de libertate Ecclesiastica*) quod nonnullorum preces importunæ mihi expresserunt. Feci libens ut parasitos *τοῦ Λατείνου* flagitiorum suorum admonerem. Deus opus auctori velit esse innoxium: quicquid erit, gloriosum est Dei et Regum caussam tueri contra istas pestes. Moderatione in scribendo ea usi sumus, ut quis sim *τὴν θρήσκειαν* non tam ex iis quæ dicentur, quam ex iis quæ non dicentur sint intellecturi. Hoc arcanum diutius continere in sinu non potui, quin ejus te, quem patris loco habeo, facerem participem."

xv. *Kal. Mai.* Heinsium Ep. 551. Unum illum auctores veteres illustrare: de Maximo, suo Polybio, Vegetio Scriverii.

Iterum Ep. 579.

Scaligerum Ep. 552. De notis in Marcellinum: invitatur ut Agennum redeat.

Iterum Ep. 553. Juvenem illi commendat.

iii. *Kal. Mai.* Heinsium Ep. 554. Silentium ejus miratur.

Scaligerum Ep. 555. De Bibliotheca; accepturum illum *ἀνώνυμον χρονικόν·* de Elencho ejus; de scriptione sua jam *φρούδη*. "Sed si erit justa occasio, redibimus ad priores curas.——

Pudet me tamdiu vixisse ecclesiæ Dei inutilem; qui videor mihi posse fastum immanem *τοῦ ὡρογράφου* illius Baronis (*Baronii*) certissimis rationibus retundere." Commendat juvenem Aquitanum Vigierium theologiæ studiosum.

Pr. Kal. Jun. Eundem Ep. 556. De scriptis contra illum: de Cardinali Borromeo.

Jun. 8. A Monseigneur Ep. 557. *Gallice.* Negat se aliquid contra Papam scripsisse. "Je vous supplie faire envers sa Majesté, que si la patience m'eschape, ne pouvant souffrir estre appellé Athée, et voir des lettres contrefaites soubs mon nom pour avoir occasion de mesdire, que sa Majesté ne s'offence contre moy, ou me permette me retirer ailleurs, sitot que mon grand ouvrage de Polybe, qui s'imprime, sera achevé."

XIV. *Kal. Jul.* Chr. Justelli literis delectatus, respondet de igne Persarum sacro Ep. 558.

Canaii Epistolæ 43 extant inter Burn. MSS. Quæ sequuntur Venetiis datæ sunt annis 1605–1607.

364, 71 (*Burn. MSS.*) "Clarissimo viro Isaaco Casaubono P. Canaius a Fraxinis salutem. Et familiari podagra diruptus, et variis instantibus curis distractus et temporis angustia oppressus, non committam tamen ut tantum munus a tanto viro absque aliqua officiosæ ac sinceræ gratitudinis nota accipiam. Tibi igitur, ter maxime hominum quotquot literas tractant, gratias quas possum maximas ago (habebo autem quandiu ero) quod immeritum ac judicio forsan tuo indignum tam præclaro tui amoris testimonio ornare et tam humano, imo tam divino facto *μισανθρωποτάτης παροιμίας**, *τηλοῦ φίλος οὐ φιλῶν τὴν φιλίαν τόπῳ οὐ τρόπῳ κρίνεται*, mendacium convincere volueris; quo beneficio *ὡς ἥδομαι, ὡς τέρπομαι* nulla umquam lingua fari, manus nulla possit scribere. Quod *λογοδιαρροίας* culpam deprecaris, scito mihi tua legenti illud, non sine alto suspirio, sæpissime in animum rediisse, *οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.* Nam quæ tantæ eruditionis satietas, quod gratiarum ac *ἀνθοσμιῶν* fastidium esse queat? Pluribus meæ in te observantiæ satisfacere nunc non licet. Hoc tamen

* Τηλοῦ φίλοι ναίοντες οὐκ εἰσὶν φίλοι.

non omittam, me non ita pridem tuum Athenæum percurrisse nostro more scilicet, id est, oscitanter, *ἀνέσεως χάριν*, in hac *νουσικλειδοῦς ἐρημίᾳ τροφῆς, καὶ περιστάσει οἰκειοτέρᾳ*, ubi nec *λεσχηνεύεσθαι*, nec *συμπεριφέρεσθαι*, nec ullo frui colloquio mihi adhuc contigit, quo vis ingenii acui aut absentium Musarum amor queat accendi. At si nihil aliud, hoc saltem in aureis tuis animadversionibus animadverto nihil plane tibi in re literaria esse *ἀδύνατον*, imo nihil difficile. Quid enim post tot tantaque miracula non audeas, non perficias? Deum igitur oro et tota mente veneror, cum tibi ingenii, diligentiæ, memoriæ, judicii, solertiæ, omnium denique animi dotium plenitudinem *ὑπὲρ ἄνθρωπον* contulerit, ut vitæ quoque longitudinem et corporis robur et Mæcenatis tui favorem tantis thesauris in usum publicum effundendis parem largiri benignissime dignetur. *Γένοιτο, γένοιτο.* Plura *σὺν Θεῷ* per proximum tabellarium. Vale O seculi nostri decus, *κ' εἰς ὥραν, καὶ ἔπειτα φίλ' ἄνδρων ἐν καλῷ εἴης.* Augustam tuam historiam vidi, quam ut cum Suetonio secunda et emendatiori editione ornes, totumque volumen regium Regi ut inscribas, deleto infœlicis ac obscuri *ἀνθρωπαρίου* nomine, quo tantas opes olim obscurasti, et sum auctor et rogo obnixe. Nam se suo quemque pede metiri verum est. Alia quæ edidisti nondum huc pervenerunt, nec quæ de satyra scripsisse te ad Ruthenum præsidem ex primo et fortuito charissimi tui muneris affectu video. Obsecro igitur quicquid tui extat Domino Des Champs indicare ne graveris. Suetonium Regi nec mortalium cuiquam alteri inscribendum ut cures, iterum officiosissime contendo, et ut exorem obnixissime oro, ne te imprudentiæ meque impudentiæ damnes. Facile verum ex locupletissimo penore, quicquid hinc damni accepero, sarcies cum erit commodum. Iterum ac tertium ac infinitum fœliciter vale. *Venetiis* 10 *Kal. Apr.* 1605."

364, 72 (*Burn. MSS.*) "P. Canaius a Fraxinis Isaaco Casaubono viro clarissimo S. D. Nescio quo fato fiat, vir clarissime, ut quo ardentius mellitissimi tui sermonis ambrosiam sitio, et tanti boni fruitione non indignus videri studeo, hoc magis a rescribendi officio, sine quò totum hoc commercium mihi tantopere exoptatum corruit, deterreri me sentiam. Nam dum mihi meæ imperitiæ conscius, raptim ut moris est nostri,

σχετλιάζειν vereor, ne te Atticis assuetum nostra *σκληρὰ* et *πράμνια* male feriant: et in palatino strepitu otium quasillarum ad *ἀνθοσμίαν νεκταροσταγῆ* undique colligendam expecto, ecce me assiduus publicæ hujus et inquietæ vitæ fluctus obruit, et plures jam respondendi occasiones magno meo cum rubore abripuit. Pereat igitur omnis hæc ambitiosa dissimulatio, et quando urbanatim nequeo, at rusticatim et ut in fidei commissis assolet, quibuscunque tandem verbis liceat debitum si non solvere at saltem agnoscere. Jamdudum enim accepi tuas a. d. VI. Eid. Maias datas, quibus si dixero nihil mihi esse suavius, nihil quod animi mei sensus omnes *ἐνεργητικωτέρᾳ* jucunditate fodiat simul ac titillet, minus hercle dixero quam sentiam. Adeo me nescio quod astrum ad purissimi tui styli efficaciam ineffabili quadam vi recipiendam temperat. Cujus miraculi fidem vel hoc tibi faciat, vir maxime, quod *μηδέποτε ταῖς χάρισι, ἀλλ' οὐδὲ ταῖς μούσαις θύσας*, tecum tamen *λεσχηνεύεσθαι* et de studiis aliquid garrire *ὀξυπεινεῖ*. Exegit enim a me nuper vir quidam vestras, i. e. Delphinas, heroicis multis factis clarus, sed amore in literas, ac denique absoluta quadam virtute bonorum omnium amore dignissimus, mihi vero privatim ita colendus ut petenti quicquam abnuere fas vix sit, exegit, inquam, ut libros Aristotelis de anima non carptim, saltuatim, ex interpretum glossis, ut nuper causidicus quidam Vasco, sed integro nostro idiomate ita donarem, ut quod fieri posset, singula auctoris verba ac sensum simul germanum, non suppositum, non affictum breviter explicarem: onus sane vel Herculeis humeris tremendum. Sed quid multa? Cum renuere puderet, sic tandem convenimus, ut tum demum sibi satisfactum esse agnosceret, si tibi et illustri Navarræ Cancellario mea versio satisfaceret; vos vero non ad gratiam, non ad tantæ petitionis nimietatem eludendam, sed ex recta et integra animi vestri sententia judicaretis, ut opus a Delphinate expetitum Delphinatum præcipue judicio censeatur. Cum igitur illum ad vos pervenisse et rem judicandam vobis insinuasse existimem, quid tandem vobis videatur scire percupio. Equidem si quid in Aristotele unquam vidi, nihil in toto Aristotele ea tractatione quæ ad mentem pertinet obscurius vidi. In qua tamen explananda quo fidelius et candidius totis animi viribus nitor, eo longius

a vulgaribus interpretum opinionibus me abduci inficias non eo. Quod etsi me non mediocriter commoveat, absit tamen ut tanto auctori quidquam ipsi non scriptum, non intellectum impingam. Stat enim aut purum putum Aristotelem, non Averroes, non Thomam, non alium quemquam in Gallicum hoc theatrum inducere, aut ab incepto prorsus supersedere. Certe siquid unquam laboriose, siquid diligenter aggressus sum, plus in quatuor capitum tertii libri paraphrasi quam in re ulla alia sudasse profiteor. Quamvis enim organum majus sit opus, ad manum tamen erat magnus ille Alberius, qui difficilia quæque sic explicabat, ut nihil præter maternam ἔκφρασιν conferrem. Hic ab omni fere ope destitutus, et commentariorum mole obrutus potius quam instructus quid præstiterim nescio. Juvit sane non mediocriter ac laudavit vir eruditus, reverendus ille frater Paulus per literas tibi cognitus. Sed cum longe plus videant oculi, quam oculus, hoc a te et ab illustrissimo quæstore supplex peto, oro, obsecro, ut cum per vestras occupationes licebit, brevem hanc versionem si non totam at saltem capitum quarti ad octavum tertii libri ad Græcum textum attente conferre et severe examinare, ac liberas nulloque fuco aspersas vestras miniaturas ad me mittere dignemini. Hoc enim sum ingenio, ut vix per me quidquam perficiam, at amicorum ope fretus nihil non audeam. Quo gravius autem censuram vestram exercebitis, eo magis amicitiæ vestræ morem candidum agnoscam et colam: nec me privatim tantum obligatum habebitis, sed et publice in Galliam grati eritis, cui tum demum difficillimam hanc physicæ partem, interim dum reliqua cudimus, proponere decrevimus, cum tantis viris adstipulantibus, fidem et auctoritatem nostris lucubrationibus apud bonos et peritos conciliari posse intelligemus. Locus unus est lib. 1. text. 27 ex Homero, in quo hæreo. Ἕκτωρ scilicet κεῖται ἀλλοφρονέων, quem cum ad hunc Ciceronis in prima Tuscul. conferrem *Plena in eo erroris sunt omnia. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles etc.* totum illum locum inspexi apud Poetam, sed hemistichium hoc nusquam reperi. Quæso igitur ubinam *lateat, et quomodo tibi explicatio nostra sapiat, indicare ne graveris. Sed etsi quid ex membranis ad textus emendationem habeas obnixe rogo ut communices, facies me

* Vid. Hom. Il. ό. 245. ὀλιγηπελέων. ξ'. 438.

ad reliqua Aristotelis vel eodem vel quo tibi commodius videbitur stilo aggredienda alacriorem. Nihil enim facilius quam rem bene perceptam clare et perspicue enuntiare. Cæterum quod de Suetonii præfatione monueram, postquam cur ita facerem indicavi, statuas tu, vir maxime, prout libuerit. At iterum monere liceat historiæ Augustæ titulum suo ambitu non minus Suetonium quam sequentium Augustorum scriptores, ut mihi quidem videtur, complecti. Privato igitur nemini licere rem augustam augusto nomini consecratam usurpare aut attingere. Nam etsi in particulari Suetonii editione absurdum hoc latuit, cum primum tamen corpus integrum immortalium lucubrationum tuarum prodibit, statim in oculos omnium non sine aliquo nostro rubore incurres. Quo tamen metu si me liberas, libens acquiesco. Et Deum illum bonorum omnium datorem veneror, ut te hunc in annum et usque in annos hunc sequentes servet, ornet, augeat. *Venetiis prid. Cal. Jun.* 1605."

"Monsieur, De la presente escripte j'ay receu la votre touchant de Polybe du Duc d'Urbin. Je vous prie croire, que j'employeray tout mon credit pour vous faire avoir ou l'exemplaire mesme, ou les conferences diligentes d'iceluy. Je luy en heusse desja escript: mais ayant a faire un voyage vers iceluy de la part de sa Majeste, j'ay mieux aimé differer quelques jours afin de vous donner le contentement que desires. Dequoy par mes prochaines lettres je vous advertiray amplement."

364, 73 (*Burn. MSS.*) "Clarissimo viro D. Isaaco Casaubono P. Canaius a Fraxinis S. D. Etsi vix mihi veri sit simile, virorum maxime, per sordidas inculti hujusce stili tenebras, ullam observantiæ in te meæ speciem purissimis luminibus tuis afferri posse; moriar tamen, sed ante diem moriar fato præreptus acerbo ni exultat hilari cor lætantis gaudio, ni, inquam, nimia dulcedine percitus languet animus, dum mellitissimarum tuarum partem illam lego, qua te nostris non mediocriter affici nobis persuadere voluisti. Sive igitur tam grata simulatione animum ad assiduas et immortales tuas occupationes interpellandas nobis facere, seu veri in nos amoris tui vim ac furorem ita exprimere visum tibi fuerit, curabo diligenter quamdiu saltem me hac qualicunque vale-

tudine frui sinet Deus, ne officium nostrum posthac desideres. Fallor enim ni littus hoc, cujus sterilitate et ἀπραξίᾳ tamdiu obtorpueramus, bona tandem fruge se vestiat, novisque jam floribus arrideat, et grata literarum argumenta quotidie suggerat, postquam dissidium istud pontificium eo jam redactum est ut conciliationis spes omnis abierit, et φροῦδον sit pium Domini nostri pro publica Christiani orbis quiete solliciti studium, quo partes ab acerba ista discessione ad æquiorem juris disceptationem revocare conatus est. Quamvis igitur ad horrentia Martis nondum ventum sit, ac quisque belli Italici, bellicorumque sumptuum ac calamitatum primus auctor videri refugiat, spretis tamen omnibus componendæ rei mediis, illuc mihi crede, quamvis lento ac invito gradu, illuc tamen necessario itur, neque jam alio hac qua uterque pergit, iri potest. Sed veteri et germanico digladiantium more res geritur. Ad Pontificis interdictum senatus contrario edicto respondisse suæque ac suorum saluti ac tutelæ providisse contentus ad novum ictum caput porrigit, nec ante referire legitimum ducit quam denuo novo insultu petatur. Interea tamen ne nihil ageret, quoque clarius suam in patria libertate propulsanda constantiam testaretur, amplam illam et reverendam Jesuitarum societatem quasi pontificio arbitrio nimis addictam et reipublicæ partibus iniquiorem Venetis finibus in perpetuum exegit, lege addita, ne de illius restitutione aliter unquam deliberetur quam gravissimæ de illorum vita, moribus et institutis factæ inquisitiones prius legantur, præsentibus ad minus 180 senatoribus, iis scilicet exclusis quos hic papistas vocant, id est, qui sua suorumque causa aliquid spei vel rei Romæ habent, et quinque ex hoc numero sextæ pro iis censeant, quod vix ac ne vix quidem unquam fore certissimum est. Sed et alia non minus Pontificiæ menti dolitura sub juris tamen et æqui specie parantur hac fini, ut tot vellicationibus expugnata Pontificis lentitudine, qua negotium in longum trahere et lento tormento reipublicæ animum frangere nititur, primus tandem ad arma exiliat, quibus se non imparem fore et brevi finem huic molestiæ impositurum multis validisque rationibus persuasum habere tenetur. Nos interea, quod Christianissimi Regis oratores imprimis decet, concordiam suadere, novas ejus rationes assidue proponere,

sævaque belli mala prædicere non desinimus. Sed aut nihil omnino video, aut surdis nos canere video. Quicquid vero contigerit, cum tibi audire sit gratum, diligenter referam. Cæterum cum tuis jucundissimis eruditi Hotomani literas jungere volueris, responsum nostrum his additum tibi commendatum esse velim, ut tuto ad illum perveniat. Polybium ad te totis quatuor mensibus nondum venisse miror et commoveor. Ideoque cum remittere voles, D. Deschamps monui ut celeriori via id curet. Ac si tum Duci Urbinati rescribas, scio gratissimum illi te facturum, literas enim colit, et vitæ elegantia refert non vulgare philosophiæ studium et amorem. Sed in titulis vide quæso ne tam Latinitati quam inveterato apud istos delicatulos usui inservias. Serenitate gaudent isti reguli, et siquid aliud tribuas, lædi se ac minui conqueruntur. Et quo libentius hoc honoris a nobis impetrent, nos non solum illustrissimos sed et excellentissimos esse jubent. Itaque non tantum in usum sed et in formulam conceptam et inviolabilem res abiit. Mihi pro tam levi officio gratias agi nunquam patiar. Nostri tamen mentionem qualemcunque a te fieri non renuo, cum mortis jamjam imminentis faucibus nomen nostrum hac ratione eripi et in posteros transmitti non ignorem, cujus immortalitatis cupidine vel sapientes affici sapientum magnus ille senator testatur. Amplissimum Præsidem D. Thuanum nostris verbis officiosissime salutes velim, simulque indices magnum illum fratrem Paulum non tantum stipendio publico ornatum esse, sed et in senatum, quoties de arduo isto negotio agitur, vocari, et quicquid nomine publico hactenus exiit, ipsius manu exaratum fuisse. Siquid igitur ad hanc suam spartam ornandam conferre velit, sciat se amico rem omnium gratissimam facturum. Pro munere promisso gratias ago gratissima mente maximas. Vale, O dulce decus meum. Deus te, tuam, tuos, servet, ornet, augeat. *Venetiis 4 Kal. Julias* 1606.

"Literas nostras ἀντιβολῶ σε nemini visas esse velis, qui nobis inde aliquid periculi vel invidiæ prudens vel imprudens creare queat. Tecum enim non aliter quam mecum loqui valeo. Vides autem tempora et quantis telis nos lubricus hic status objiciat. Nobis vero omnia humana perferre leve est, dum ne quid nostra culpa accidat, cum præcipue littus

jam teneamus, viribus in dies labentibus, et matris sinum appetentibus, ad quem ut placide et sine nota recipiar, Deum dies invoco et noctes."

364, 74 (*Burn. MSS.*) "Clarissimo viro D. Isaaco Casaubono P. Canaius a Fraxinis S. D. Polybium Urbinatem ad te tandem pervenisse gaudes, et ut expectationi tuæ respondeat opto ex animo. Pro aureo tuo munere gratias quas possum maximas ago, cujus dulcedine ut rapiar, *καὶ ὡς θαυμασίως μου ὁ λόγος οὗτος ἀντιλαμβάνεται,* quo *μετὰ πολλῆς τῆς πραΰτητος, λείως τε καὶ ἀπταίστως καὶ ἀνυσίμως οἷον ἐλαίου ῥεῦμα ἀψοφητὶ ῥέοντος,* nos in genuinam primævæ pietatis cognitionem deducis, nullis sane verbis explicaverim. Macte igitur tam generoso et sanctissimo proposito, vir maxime, et fremente quamvis ac frendente invidia *σκληρῶν καὶ ἀντιτύπων* istorum, qui nunc soli sapere videntur, fastum Socratico tuo genio illudere ac contundere perge, quos, cum nihil nisi merum crepent ferrum, cruorem, vulnera, videas plerosque subula leonem excipere, *ἢ ὥσπερ ἐκ φαρέτρας ῥηματίσκια ἀνασπῶνται ἀποτοξεύειν, καὶ τὸ λεγόμενον, οἴκοθεν τὸν πολέμιον καὶ ἐναντιωσόμενον ἔχειν ἐντὸς ὑποφθεγγόμενον, ἃ ὥσπερ τὸν ἄτοπον* Εὐρυκλέα *ἀεὶ περιφέρεσθαι*: quorum insanabilem insaniam viso alio elleboro quam sanctorum Patrum (quorum titulis et imaginibus tantopere gloriantur) eloquentia purgari nunquam posse mihi sane constat. Sed de his alias commodius *σὺν Θεῷ.* Scelestum istum Scorpium a quo te læsum quereris, non vidi nec videbo. Nihil enim quam supervacua legere occupato satius puto. Tibi vero, virorum optime, qui Platonem et Aristotelem adversus Athenæi tui maledicum livorem tam strenue defendisti nec novum nec mirum videri scio, si æternum florentissimæ tuæ famæ triumphum scurræ vel lixæ alicujus convitium sequatur. Istum enim Deus conteret et falsiloquam ex ima linguam radice revellet: te vero laude clarum reque lautum splendida servabit, Interque vicos sospiti dabit frui Vitæ beatæ commodis, Transmittetque tuam longæva in secula famam. Γένοιτο, *γένοιτο.* Vale. *Venetiis* 5 *Kal. Aug.* 1606.

A tergo scriptum "Repondrez Sabmedy prochain si le vous plaist Monsieur, vostre tres humble serviteur Deschamps."

364, 75 (*Burn. MSS.*) "Etsi solitam nostram *ὀξυχειρίαν* rediviva et tantum non perennis ista chiragria non leniter

frangat, non committam tamen ut tuas a. d. IV Eid. Sext. et IX Kal. Sept. datas diutius absque responso detineam. Imprimis enim gratias ago tibi gratissimas pro amplissimi Thuani literis, quibus propter singularem benevolentiæ in me significationem munus et optatissimos historiæ suæ novos tomos addere dignatus est, et cum tanti boni concillator mihi fueris, obnixe te rogo et obsecro ut gratitudinis, studii et obsequii, imo pietatis in illum nostræ adstipulator et fidejussor sis assidue. Deum enim testor, unus ille, ex omnibus quos novi, divini et humani juris antistes meruit dici, unus ille cum Deo pie, cum hominibus candide, cum fortuna fortiter, cum virtute constanter, cum amicis officiose, cum omnibus sincere novit agere. Sed cur quæso in villam abeuntem non es prosecutus? Cur alio cogitas? At utinam, utinam, hucusque, mi *ποθεινότατε*, exspatiari et grassantem luem fugere cogitares, dum ætas itineraria labori potest sufficere, dumque ego hic te hospitiolo recreare, et regionis peritia juvare, et redeuntem comitari cupio et valeo. Fallor enim, ni te Italica peregrinatio mirum in modum delectaret. Quod si consilio et voto nostro annuis, fac modo id ut sciam. Aut enim nihil omnino sum, nec possum apud illos qui aliquid possunt, aut commeatum et viaticum tibi quotiescunque libuerit impetrabo. Ego vero te plures adhuc menses, nisi aliquid *ἀπροσδοκήτως* contingat, expectabo. Cæterum etsi nobilem hanc terram monstra et belluas ferre, imo colere, et purpura et auro fulgentes adorare non immerito stupes, scito tamen hic quoque, ut et ubique terrarum, profanum vulgus a melioris notæ viris separandum esse, neque hic deesse quorum gratia montes et maria peragrasse te non pigeat. Dixit olim, si bene memini, Crates *μέχρι τούτου δεῖν φιλοσοφεῖν, μέχρις ἂν δόξωσιν οἱ στρατηγοὶ εἶναι ὀνηλάται.* Cur igitur stomachemur, cur potius nobis non gratulemur, quibus non tantum asinarios sed asinos ipsos *στρατηγοὺς* videre datum est? Sed absque risu scito Cordum istum quem notas mendacia sua et adulationem *θεήλατον* non impune laturum. Et si Venetias invisas, videbis una magnum athletam quem Deus adversus illum excitavit. Et quamvis occupatissimum magno tamen et utilissimo opere obligavit, qui belluæ artes detegere statuit: cui si clarissimus noster Pithœus socium se adjungeret, melius sane et nominis sui

dignitati et patriæ pietati consuleret, quam frustra expectando qui otia sibi faciat, dum tantas opes inutiliter detinet, sibique suisque perire illas mavult, quam gratis gratum et benignum se præbere. De rebus nostris siquid scire aves, habeto breviter: Quicquid hactenus in componenda ista controversia sudatum fuit *φροῦδον* fuisse: odia et odiorum incitamenta in dies crescere: Pontificem amplificandæ auctoritatis quam retinendæ concordiæ studiosiorem nihil non movere ut principum omnium arma in Rempublicam moveat: quod dum molitur, ne temere extrema adhibere videatur legatum Hispaniam extra ordinem præmitti, cujus adventum in dies expectamus, qui novas pacis conditiones Regis sui nomine, sed Pontificis suasu adferat, quarum summam hanc esse aiunt, ut ex toto Cardinalium collegio eligant, quos volent, Veneti qui de rebus controversis arbitrentur, quod si recusent, vim et paratum exercitum ostentet. Sed cum non sit verisimile sapientissimum Senatum unquam consensurum, ut judices illi sedeant, quos partes esse, et propter sacramentum quo Pontifici sunt astricti, sententiam in hac caussa jam dixisse nemo nescit, quid ex pomposa ista legatione sperandum sit facile vides. Nam cum instans hyems, et Regum animus a bello Italico alienus, et annonæ difficultas bellicum apparatum impediat, huc interim se vertet Pontifex, ut interdictorum et dirarum replicationibus senatus constantiam quatiat, et subditorum fidelitatem concutiat. Veneti contra ad amicos et confœderatos legatos destinant. Nos interea surdis boni publici curam et gregis Christiani unitatem commendamus. Itaque longa ni fallor Ilias inchoatur. Vale, amice dulcissime, Deus te, tuosque omnes servet, ornet, augeat. Uxor mea dominæ tuæ salutem meis verbis hic adscribit, et quid agat Philippa nostra charissima, quidque de illa statuas, scire avet. Iterum vale. *Venetiis* 3 *Non. Oct.* 1606."

"Ecce suavissimas tuas Kal. Jan. datas eodem fere momento accipio, quo nuntius iste dimittendus est. Non patiar tamen ut ante discedat, quam vota pro felici tuo reditu dudum suscepta qua maxima possum pietate expleam, tibique simul, amicorum optime et virorum maxime, gratias gratissimas agam quod tanta diligentia et tot inter occupationes tam optato evangelio beare me dignatus sis. Pro tanto autem

gaudio quid referam? En opportune magnus ille Paulus munus affert, cui cum nomen suum detraxerit, et discipuli adscripserit, cur non et inde tantumdem mihi usurpem, ut hinc saltem cognoscas quam ardenter cupiam meo in te officio, vel potius pietati, qua possum, satisfacere. Munus, scio, erit gratissimum. Nihil enim in eo genere accuratius, nihil ad convincendos adversarios robustius adferri posse existimo. Quod autem negotium ad umbilicum esse perductum isthic aiunt, *πολλοῦ γε καὶ δεῖ*. Siquidem Reipublicæ animum, non dicam facere, sed sequi velim, qui præire debuissem. Quod ad illam attinet, prudentiam et magnanimitatem tam numerosi Senatus nemo satis laudaverit. Ipsimet hostes mirantur: qui minas et terriculamenta præferebat, Iberus nihil amplius quam reconciliationis gratiam affectat. Hoc tamen nostris laboribus tribuit Deus, ut belli et pacis arbitrium Domino nostro sit concessum; a quo responsum cras expectari. Ex quo de summa rerum deliberabitur. Equidem etsi longe plus timeo quam spero de futuro, tamen nihil aliud possum enuntiare quam quod ex præterito licet conjicere. Cum igitur lis hæc longius jam processerit, quam providerant omnes qui de rebus humanis aliquid videre se autumant, cur non et in posterum judicia nostra fallat, et spes superet? Quod igitur e re et dignitate domini mei esse puto, satagere non desinam. Eventus *γε Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται*. Polybium a bibliothecario Urbinate repetitum obsecro, quam primum poteris, remittas. Fulgentii librum ad amplissimum Thuanum misi cum C. Sanxii fasciculus eum capere non posset. Ego cum mea et omnibus meis tibi et tuæ lectissimæ dominæ tuisque omnibus bona omnia precamur. Ignosce festinanti. *Venetiis Non. Feb.* 1607. De reditu non ante statuam, quam quo res sint evasuræ, videam. Sed vix ante Augustum vasa colligere possum.

Tuus totus P. Canaius a Fraxinis."

364, 76 (*Burn. MSS.*) "Clarissimo viro Isaaco Casaubono Philippus Canaius a Fraxinis S.P.D.—Dum variis *ἐπισυστάσεσι* districtus responsum ad tuas a. d. III Kal. Apr. datas differo, ecce aliæ XI Kal. Maias scriptæ pudore non leni me suffundunt, quod diligentior in hoc officio non fuerim. Sed cum scirem illustrissimum legatum Venetensem jampridem literis et publicis et privatis serio monitum fuisse ut auctorem optatissimi

libelli ad opus perficiendum efficacissime excitaret, neque pateretur rerum istarum mutatione illius propositum mutari, quid ad priores illas rescriberem non habebam, nec certe habeo, nisi hoc scire velis, folia quæ huc mittuntur statim in manus serenissimi et doctissimi Principis pervenire, et per eum præstantissimis Senatoribus communicari, qui illa lectione ita afficiuntur, ut nihil melius in illo genere fieri posse non sine summa viri summi admiratione prædicent, Deumque venerentur, occasionem tam splendido tam necessario operi in tanto Christiani orbis torpore datam fuisse. Sed dum sibi nimium indulgent, nec reverendo Patri Paulo nec mihi tantarum deliciarum gustu frui hactenus concesserunt. Cæterum etsi Regis sapientissimi cura et manu extinctum est istud incendium, non tamen extinctæ sunt, nec sane extingui unquam possunt illius caussæ et fomenta, quamdiu viget et pietatis præcipuæ speciem occupat inexplebilis ista rerum alienarum sitis. Quare non immerito prudentissimus Senatus curat ut adversus imminentia mala, parata habeant remedia. Summum igitur virum illum rogatum velim ne provinciam semel susceptam deserat, et publicis necessitatibus suæque immortali gloriæ consulere pergat feliciter et quantum fieri poterit festinanter. Quod ad Polybium, cum *παρεμπεσούσας* avocationes tuas non ignorem, doleo sane vehementer te intempestive de restitutione interpellatum fuisse. Sed quamvis ante Septembrem discedere non cogitem, attamen cum reputarem quot mensibus hinc ad te pervenerit, et viderem vix nobis totidem in hac statione superesse, quam honeste deserere prius non possum, quam pacto de restituendo satisfecero, tibi hoc indicare necessarium videbatur. Sed cum isto exemplari frui nondum potueris, spero mihi aliquot hebdomadarum dilationem ab optimo Principe denegatum non iri. Utere igitur, donec tibi vel potius publicæ expectationi satisfeceris. Satis enim erit si certum spatium quo te absoluturum speras sumpseris, ne pro tertia dilatione mihi sit postulandum. Interea reditum paro et instruo. Uxor autem ad quam præcipue hæc molestia pertinet, quæ vix unius aut alterius mensis labore se expediet, ad gratissimas lectissimæ Dominæ tuæ et Philippæ charissimæ tuæ literas non respondet, sed brevi coram, tam optato officio functuram se sperat et spondet.

Interea omnipotens et misericors ille Pater Domini nostri Jesu Christi vos, vestraque omnia tueatur, protegat, augeat, benedicat. Amen. Amen. *Venetiis* XVII *Kal. Jun.* 1607."

364, 77 (*Burn. MSS.*) "Quod Polybium Urbinatem una cum tuis suavissimis a. d. IX Kal. Jun. datis ut jusseras, non acceperim, mihi, imo ipsi Polybio totique adeo rei literariæ gratulor. Et Deschampio gratias ingentes ago, quod Lugduno eum ad te tam opportune revocaverit, cum longe præstet te animo tuo in publicum bonum plenius satisfacere, quam me fidem in mei unius gratiam citius liberare. Dummodo enim per assiduas et multiplices tuas curas huic codici totum Julium impendere tibi liceat, non erit ἀδύνατον illum ad Kal. Sept. hic sistere ante quas hanc stationem deserere non statui. Interim tamen elegantissimas tuas ad serenissimum principem mittendas putavi, tum ut sub tanto gratitudinis tuæ pignore dilationem æquius ferat, tum ut dilationis caussis acceptis, negligentiæ nota libentius me liberet. Omnino enim non fit verisimile velle optimum principem sui in literas amoris et meriti laudem nimis scrupulosa et acerba beneficii sui repetitione vel tantillum imminui. Utere igitur quantum voles, vir maxime, nec enim amplius voles, quam quantum publicis utilitatibus satis erit, quibus vel teruncium detrahere sacrilegiorum gravissimum esse nemo negaverit. Cæterum aureum illum libellum vere liberum et libertatis publicæ assertorem non exire, boni omnes ægrius longe ferunt, quam si conceptus, si optima sui parte visus nunquam fuisset. Sed de his et aliis commodius coram, Deo volente, cui si precibus tuis reditum nostrum variis periculis obnoxium commendaveris, rem facies tua in nos pietate nostraque inte observantia dignissimam. Interim ego cum uxore et meis lectissimæ dominæ tuæ, tibique et tuis salutem et εὐπραξίαν a bonorum omnium largitore precari non desinemus. Vale. *Venetiis a. d.* III *Kal. Jul.* 1607."

FINIS TOMI PRIMI.